STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.



CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

I

LIBER GENESIS

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

GENESIM

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

STUDENTS' LIBRARY
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
WITHDRAWN
FRANCISCAN MONASTERY
ST. LOUIS, MO.
220.6
C977c
v.1

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1895

Omnia iura vindicabuntur.



EX TYPOGRAPHIA FIRMIN-DIDOT. — MESNILI AD STRATAM.

220
C977c
v.6

1945

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est: Commentarius in Genesim, auctore P. Francisco de Hummelauer S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videtur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten d. 31 Iulii 1894.

IACOBUS RATHGEB S. I.
Praepositus Provinciae.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 8 Augusti 1894.

† FRANCISCUS, CARD. RICHARD
Arch. Parisiensis.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 84, in Schemate : benedictio 5^{ae} diei erronee adscripta est 4^{ae} diei. — Pag. 88, 17 l. *ipsa*. — Pag. 151, 13 l. ערום. — Pag. 160, 12 l. זרע. — Pag. 200 et 201 annum mortis Noe sec. LXX scribe non 3106 sed 2606. — Pag. 381, 34 l. Χωζά Judith 15,5. — Pag. 502, 21 l. *Syr.*, 23 l. *Lyr.* — Pag. 532, 27 dele sententiam : Potuere etc.

Pag. 255, in medio : adde citationem « Civiltà Cattolica » 1894 IV. 288 sq.

INTRODUCTIO

Geneseos commentarius, maxime priorum undecim capitum, quae historiam quam dicunt primitivam tradunt, necessario in molem aliis commentariis ampliorem excrescat necesse est. Sunt enim de hexaemero, de paradiso, de diluvio, de chronologia patriarcharum aliisque quaestiones multae et intricatae. Quodsi porro commentario introductionem praemitteremus numeris omnibus absolutam, cresceret in immensum opus. Visum est igitur introductionem scribere quam brevissimam. Quaecunque ad totius Pentateuchi spectant introductionem, videas apud *R. Cornely* Introd. II. 1, ubi haec centum undeseptuaginta omnino paginis digeruntur. Imo ne justam quidem h. l. in librum Genesis tradimus introductionem. Variae quippe pericopae, uti suas habent difficultates, controversias, fata, ita suas habebunt introductiones suis quasque locis inserendas. Una erat quaestio, quae h. l. silentio praeteriri nulla ratione poterat, quaestio de *compositione Geneseos.* Quam breviter iam attingemus : positive verius, quam negative. Modernorum sc. criticorum systemata alibi descripta et discussa supponentes, quid ipsi de Geneseos compositione sentiamus, exponemus.

1. *Libri Genesis generalis conspectus.*

Liber apud Hebraeos inscriptionum librorum ignaros a prima voce appellabatur *Beresith,* a *LXX* appellatus est Γένεσις. Quod nomen interpretabatur *Theod. Mops.,* ut idem esset atque κτίσις, *creatio,* atque ita commentarium (fragmenta edidit Sachau 1869) inscripsit Ἑρμηνεία τῆς κτίσεως. Cf. *Syr.* בריתא. Poteris vero nomen etiam eo interpretari, ut idem sonet atque vox γένεσις 2,4 et 5,1 ; ergo « Liber Generationum » seu « Liber Tholedoth » ; et ita nomen habetur perquam

aptum, cum reapse Genesis constet undecim partibus, quae praeter primam omnes vocem Tholedoth in fronte gerunt. — De antiquitate divisionis Pentateuchi in quinque libros vide *Cornely II.* 1.4, *F. Kaulen* (Einleitung in die hl. Schrift, Freiburg i. B. 1876 p. 157). Quaestionem, sintne priora libri Exodi capita ad Genesim trahenda necne, remittimus ad commentarium in Exodum. — Partes illae libri sunt sequentes :

1) Cosmogonia 1,1-2,3
2) Generationes coeli et terrae 2,4-4,26
3) Generationes Adam 5,1-6,8
4) Generationes Noe 6,9-9,29
5) Generationes filiorum Noe 10,1-11,9
6) Generationes Sem 11,10-26
7) Generationes Thare 11,27-25,11
8) Generationes Ismael 25,12-18
9) Generationes Isaac 25,19-35,29
10) Generationes Esau 36,1-43
11) Generationes Iacob 37,1-50,25.

Cosmogonia secundum schema accurate definitum mundum adspectabilem hexaemero a Deo effectum, stabilitumque septimae diei cultum describit. Quam abrupte potius excipiunt *Generationes coeli et terrae*, quae, si inscriptionem 2, 4 demas, certe non unam continuam cum praecedentibus efficiunt narrationem. Referunt eae autem post acta in paradiso Cainique fratricidium genealogiam Cainitarum, quae non ad instar sacrarum genealogiarum annos adscriptos habet, aliquorum tamen virorum quaedam acta commemorat. E contra *Generationes Adam*, postquam 5, 1 sq. aliqua 1, 27 dicta repetivere, explicant genealogiam ab Adam per Seth ad Noe, certis formulis nativitatem, paternitatem et mortem exprimentes; a quibus formulis bis solummodo parumper se expediunt, cum v. 22 sq. translationem Henoch referunt, v. 29 nomen Noe interpretantur. Adnectunt 6, 1-8 sequentis diluvii causam. *Generationes Noe*, repetito 6, 10 ultimo praecedentis genealogiae 5, 31 membro, diluvium et reliqua Noe et filiorum acta enarrant; 9, 28 sq., quod ei genealogiae deerat, supplent, annos sc. Noe a diluvio ad mortem. *Generationes filiorum Noe* cap. 10 nudam habent genealogiam, at diversae atque cap. 5 et 11 rationis. Recensentur non singularum generationum singuli viri, sed plures omnino ex una alterave generatione, nullis adscriptis annis. Reapse non viri iis nominibus designantur, sed populi. 11, 1-9 adjicitur e confusione linguarum secuta gentium dispersio. *Generationes Sem* nudam habent genealogiam ad instar cap. 5 exaratam. *Generationes Thare*, resumpto 11, 27 ultimo praecedentis genealogiae 11, 26 membro praemissisque paucis de ipso Thare, fuse tradunt historiam Abraham, cui interseruntur acta Lot, et 22, 21-24 appenditur elenchus filiorum Nachor Rebeccae origines explicans. Post relatam Abrahae mortem, ad instar cap. 10 describuntur *Generationes Ismael;* tamen, quod secus in iis, qui ad stirpem electam non pertinent, haud observatur, anni vitae Ismaelis et mors commemorantur. *Generationes Isaac* primum rursus 25, 19 sq. cum ante narratis nexum efficiunt, repetito illo « Abraham genuit Isaac » et nuptiis Rebeccae commemoratis. Dein geminorum ortus et dissidia et redintegrata amicitia narran-

tur. Concludit pericope, uti 25, 7 sqq. illa de Abraham, recensita 35, 27 sqq. Isaaci aetate et morte, ad instar quidem sacrarum genealogiarum, nonnihil tamen uberiore dictione. *Generationes Esau* 36, 1-8 eo fere stilo, qui in ipsis gentis electae actis usuvenit, Esau in terra sancta nuptias enarrant. Dein ad instar potius cap. 10; 22, 20-24; 25, 12-18 tria adnectuntur documenta : Generationes Esau in monte Seir 36, 9-19; filii Seir Horraei 36, 20-30; reges Edomitarum 36, 31-43. *Generationes Iacob* fata potissimum Ioseph recensent. Ad instar generationum Thare et Isaac Iacobi et Iosephi annos et mortem supplent.

Brevis hic conspectus quae sit machina pandit totam narrationem sustentans : est ea sc. *genealogia*, aptissima sane originum alicuius gentis describendarum substructio.

Non tamen, quas enumerabamus, pericopae sunt omnes pares inter se, sed aliae *principales*, aliae *accessoriae*. Principales sunt Cosmogonia, Historia coeli et terrae, Generationes Adam, Noe, Sem, Thare, Isaac, Iacob, quae seminis electi historiam a mundi primordiis prosequuntur. Accessoriae sunt filiorum Noe, Ismael et Esau. In partibus principalibus iis, quae genealogiam habent, secundum *constantem* rationem producitur genealogia, adscriptis annis etc.; ad quam vel tum redit narratio, quando in uberem etiam plurium capitum excrevit sermonem. Partes accessoriae genealogiae limites vix excedunt sunt- que primarie non individuorum, sed tribuum et nationum generationes; unde chronologiam non habent, sed potius geographiam.

Narratio eam fere sequitur *legem*, ut, quoties genealogia in plures finditur ramos, *primum rami secundarii expediantur, postea genealogia principalis producatur*. Cf. *A. Delattre S. J.* : Le plan de la Genèse, in : Revue des questions historiques XI. 1 sqq., Paris 1876. Posterorum Adae primi expediuntur Cainitae. Posterorum Noe primi Iaphetidae, quibuscum Hebraeis antiquitus rarum esset commercium; dein Chamitae; tandem Semitae. Heberitarum primi recensentur Iectanidae. Item describuntur 25,1-4 filii Ceturae; 25,12-18 Generationes Ismael, antequam 25,19 ad Generationes Isaac procedatur. Ante explicatas Generationes Iacob expediuntur Generationes Esau.

Geneseos auctor cum certe non fuerit Hebraeorum ex Aegypto exodo antiquior, rebus in Genesi narratis exstitit ipse longe recentior earumque notitiam hausit e traditione sive scripta sive orali, e *documentis* seu *fontibus* quibusdam. Tantum igitur abest, ut Genesis auctorem negemus e fontibus hausisse, ut id potius omnino et necessario concedamus. Quare merito in eorum fontium, numerum, compositionem inquirat interpres, dummodo cautius procedat quam fervidius memineritque, in disquisitione tam subtili non omnia posse definiri, sed quaedam necessario relinquenda esse incerta.

Duo potissimum in hac disquisitione praesto sunt systemata : *systema hypercriticum* recentiorum rationalistarum, et veterum *systema traditionis.*

Critici quippe moderni, uti reliquum « Hexateuchum », ita etiam Genesin censent sero e variis scriptis consutam, quae non genuinam historiam verasve revelationes, sed mythos populares retulerint. Hexateuchum plerique brevi post exsilium babylonicum absolutum censent, Genesin recentioribus eiusdem partibus accensent. Omnem operam collocant in fontibus ab invicem discernendis, e quibus noster sacer textus coaluerit. Qua in re triplici potissimum utuntur argumento : *nominum divinorum,* quae alia alii fontes adhibeant; *contradictionum* et *repetitionum,* quae diversos prodant scriptores; *stili diversitatis* tandem. Negari tamen haud potest, auctores illos febri quadam consumi contradictionum ubique detegendarum. Non quaevis dictorum repetitio sermonisque latitudo diversos prodit auctores. Stili quamdam in pericopis diversitatem observari minime infitiamur, ejusque rationem aliquam reddere conabimur : at aequo longius recentiores progressi, primum statuunt elenchum aliquem expressionum, quibus A vel B vel C, elohistam vel iahvistam delectari affirmant, dein singulos versus, imo minuta versuum frusta, ubi eae leguntur expressiones, forcipe excidentes modo huic modo illi attribuunt auctori.

Antesignanorum eius scholae placita exponit *Cornely* II, 1, p. 25 sqq. Quibus addimus recentioris cuiusdam de origine s. librorum placita, *M. Vernes :* Les résultats de l'exégèse biblique, Paris 1890. Is, qui generosorum tironum mos est, antecessorum vestigia non terit solum, sed longo itinere anticipat. Totum canonem V. T. pronuntiat post exsilium ortum, et quidem circiter 200 a. C. annis, Iahvistae codicem 300, Deuteronomium 250. Textum 2 Par. 34, 14 sqq. (de volumine legis sub Iosia rege reperto) nequaquam Deuteronomium respicere affirmat. 2 Esdr. 9 esse « tout légendaire »; operam ab Esdra sacro volumini impensam exaggerari consuevisse; quaecunque ante Saulem acta narrentur esse figmenta inculcandis sacris doctrinis excogitata. « Les savantes reconstructions de la critique moderne sont l'effet d'une grande illusion ». Quae placita vel ipsi *E. Nestle* (Zarncke's Liter. Centralblatt, Leipzig 1890 n. 46), critico moderno, audaciora sunt visa : at e principiis scholae ciusque adhibita methodo legitime derivantur. Quousque vero in discerpendo textu critici nostri progrediantur, perspicies, si oculos coniicias in libellum *E. Kautsch* et *A. Socin :* Die Genesis mit aeusserer Unterscheidung der Quellenschriften, Freiburg i. B. 1888; ubi integer Geneseos textus variatis typis ita distinguitur, ut quid Q, J^1, J^2, E, J E, R, glosssator, auctor cap. 14 scripserint, solo oculorum obtutu discernas. Ejusmodi tentamina abortiva sunt, cum nunquam prudens critica ita complete variorum auctorum scriptis separandis futura sit par.

2. *Nomina divina.*

In ipso veluti disputationis de fontibus Geneseos limine expedienda

nobis est quaestio de *nominibus divinis*, quae acriter quondam agitabatur, modo ab ipsis criticis non ita confidenter appellatur.

« Cum iam », inquit *Reuss* n. 69, « praeter Geneseos reliquorum etiam librorum nomen אלהים fere ignorantium indoles et origo in quaestionem vocetur, illudque nomen concedatur a duobus diversorum plane temporum auctoribus esse adhibitum, istud criterium parum iuvat, imo disputationem obscurat et corrumpit ». Itemque *Kuenen* p. 59 : « Superfluum erit monere, auctores aequo nimium institisse diversis nominibus divinis diversis locis adhibitis ». Tamen quaestio silentio praetermitti nequit.

Quaestio potissimum est de duobus nominibus יהוה et אלהים, et nomine ex utroque composito יהוה אלהים. Est praeterea et aliud nomen rarius adhibitum et consentientibus omnibus perantiquum, nomen sc. אל 35, 2 sq. Quod plerumque aliquid habet additum : אל עליון cap. 14, in actis Abraham et Melchisedech ; אל ראי 16, 13 ; אל עולם 21, 33 ; אל ביתאל 31, 13 et 35, 15 ; אל אלהי ישראל 33, 20 ; אל אלהי אביך 46, 3 ; maxime vero אל שדי 17, 1 ; 28, 3 ; 35, 11 ; 43, 14 ; 48, 3 ; cf. 49, 25. Cuiusmodi nomina in Pentateucho secus habentur, praeter locum classicum Ex. 6, 3, in solis actis Balaam Num. 23, 8. 19. 22. 23 ; 24, 4. 8. 16 ; dein Ruth 1, 20 sq. in loco item poetico ; saepissime in libro Iob, rarius in prophetis et psalmis.

אלהים aliqui petiere a radice arab. אלה « vereri », ergo « ille, quem veremur ». Probabilius vox affinis est nominis אל, assyr. *ilu*. Quod iam communissime derivant ab אלה, ut significatio sit secundum *Noeldeke* « dominus », secundum *Lagarde* « ille, ad quem tenditur », secundum *Halévy* « refugium », secundum *Dillm.* « potentia ». Ergo אלהים fere sonaret « potestates » vel « dominationes ». — יהוה, pronuntiandum *Iahveh*, repetitur Ex. 3, 14 a radice הוה vel היה, « ille, qui est ». — שדי a *LXX Vulg.* concipiebatur ut forma superlativa derivata a שדה vel שדד : παντοκράτωρ. Ab *Ew.* derivatur a שדה « fudit », ergo « largae benignitatis effusor », quam derivationem accurate tuitus est *Ch. Robert* in Muséon, Louvain 1891. Aliqui audacius ad linguam assyram confugiunt. A qua controversia nos tanto libentius abstinemus, quod minime compertum habeamus utrum antiquissimum hoc divinum nomen primitus e lingua semitica, an e non semitica fluxerit. Conabatur iam *Caj.*, nominum divinorum rationem reddere ubique ex etymis, methodo artificiosiore quam tutiore. Quaestio quippe tandem est de usu loquendi, qui etymologias persaepe ignoret. An nos, quoties pro « numine » dicimus « Deus », etymo sanscritico usum loquendi conformamus?

Nomina divina in s. textu sat facile *depravari* consuevisse demonstrant cum textus hebraei variantes lectiones, tum magis etiam versionum a textu hebraeo discrepantiae. Quae ortum ducunt partim a vertentium incuria, partim ab apographorum hebraeorum, quibus ii utebantur, dissonantiis. Ita *Chald.* nominum אלהים et יהוה discrimen fere sustulit, pro אלהים ubique sufficiens יהוה, iis exceptis textibus, quibus אלהים cum sit nomen naturae, retineri omnino debuit. Quem nos in sequentibus merito negligimus, illud tamen notantes Iudaeos vel ante Christum ad nomina divina mutanda fuisse satis pronos. Idem docemur exemplo *LXX*, qui sat multis a reliquis textibus dissonant.

Nomen אל in Genesi eadem voce θεός exprimunt, atque nomen אלהים; quandoque (33,20; 46,3) illud omittunt; אל שדי vertunt « Deus tuus » (Gen. 17,1; 35,11) aut « Deus meus » (28,3; 43,14; 48,3; 49,25) aut « Deus eorum » (Ex. 6,3). Non raro habent יהוה אלהים, ubi reliqui aut solum יהוה aut solum אלהים legunt : 4,6. 9. 13. 15. 26; 5,29; 6,3. 5. 8. 12.13. 22; 7,1. 5. 9. 16; 8,15. 21; 9,12; 24, 40; 29,31; 30,30. Idem in aliis etiam V. T. libris observatur : cf. textum hebraeum et graecum ad 1 Reg. 2,23; 4,3; 19,9; 26,8; 2 Reg. 2,27. In iis, quae librorum Paral. cum libris Sam. communia sunt, monet *Wellh.* (ad 2 Reg. 7,22), illos semper pro אדני יהוה habere יהוה אלהים : ergo ne ipsi quidem auctores inspirati de nominibus divinis, qualia in libris antiquioribus legerentur immutatis, servandis ita erant solliciti.

Unde patet, quantopere in hac de nominibus divinis disputatione *prudenti crisi* opus sit. E quorum usu antequam quidquam de compositione Geneseos inferat quis, quodnam primitus in textu fuerit nomen, sedulo disquirat necesse est. Quae res non unius alteriusve textus, ne Masorethici quidem, lectione definiri potest, sed collatis textibus et lectionibus omnibus. Neque ita quidem semper, quid primitus in textu fuerit, indubie eruetur, cum quarumdam, quae antiquissimis irrepserint temporibus, mutationum omnia nos vestigia fortasse deficiant. Hinc colligas, quam temere moderni quidam, ubi in uno aliquo versu deprehenderint diversum a reliquis nomen divinum, idcirco diversum illico ejus versus statuant auctorem. Parum e singulis ejusmodi versibus erui potest; plus utique ex integris pericopis alterutrum nomen divinum constanter adhibentibus. Indidem colligas, illam mutatorum nominum explicationem movere suspicionem, quae omnium omnino in ea re lectionum, quales apud Masor. exstant, planam reddat rationem, cum illa gratuito aeque ac improbabiliter adstruat omnes eas lectiones esse genuinas. Vera potius explicatio mutatorum divinorum nominum afferet rationem generatim quidem sufficientem, sed non singula quaeque dubia funditus diluentem.

Ubi porro nominum divinorum lectiones prudenti crisi discusseris, duplex tibi offertur via nominum divinorum per integras pericopas diversitatis explicandae : una, ut supponas eam diversitatem primitus in textu sacro fuisse; altera, ut disquiras, annon eadem post aevum mosaicum, sed ante exortum Samaritanorum schisma textum invaserit, non tam casu aut incuria, quod in diversitate integras pericopas pervadente admitti nequit, quam fucata atque inepta quorumdam pietate. Priore tramite incedunt critici moderni, diversa jam centonibus, e quibus textus sacer consuebatur, divina nomina infuisse proclamantes; incedunt e catholicis bene multi, qui diversa diversis locis

nomina divina apte adhiberi ex ipsa rerum narratarum indole demonstrare student. Cf. *R. Cornely* Introd. II. 1 p. 105 sqq. Nos ei interpretationi suam agnoscentes probabilitatem, alteram tamen viam ipsi inibimus. Qua in re solidius aliquod fundamentum circumspicientes, illud nobis visi sumus reperisse in textu Ex. 6,2 sq. : *Ego sum Iahve, et apparui Abraham, Isaac et Iacob tamquam El Schaddai, nomen autem meum Iahve non indicavi eis.*

Contextus hic est. Ubi Deus Moysi suum aperuit consilium populi hebraei illo duce Aegypto educendi, Moyses suam primum Ex. 3,11 excusavit humilitatem. Cui dixit Deus : « Ego ero tecum ». Ille vero extemplo quaestionem adiecit : « Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen eius ? quid dicam eis » ? Sc. Deus, non iam solum ut patriarcharum Deus familiam electam, sed ut populi Deus populum ducturus, nomine nulli alii genti concesso a suo populo appellandus erat. Erant Aegyptii populus Ammon, Chananaei populus Baal : non decebat Hebraeos sequi Deum anonymum. Pharao, si nomine Dei anonymi appellabatur, utique respondisset : « Quod est nomen eius » ? Qui enim nomine Iahve rogatus superbe respondit : « Nescio Iahve » (Ex. 5,2), multo minus Deo anonymo roganti quidquam concessisset. Norant id filii Israel, ideoque Moysen illico erant interrogaturi : « Quod est nomen eius » ? Praesentiebat idipsum Moyses eandem Deo quaestionem proponens. Norat id imprimis Deus, ideoque nomen Iahve Moysi et Hebraeis concessit. Hoc porro Ex. 6,2 sq. nomen respiciens ait : « Ego sum Iahve, etc. ».

Textum discutiet commentarius in Ex., nos eum accipimus sensu obvio et naturali, ut affirmentur patriarchae non nominis significationem, sed ipsum *nomen* Iahve ignorasse. Quod non est idem atque asserere, *vocem* יהוה illos latuisse; norant sine dubio eam formam a radice notissima legitime derivatam, ea fortasse utebantur tamquam *praedicato divino*, non vero tamquam *nomine proprio* Dei. Ne vero textus sensu obvio intelligatur, obstare putant illos Geneseos textus, quibus vel patriarcharum aevo homines videntur nomen Iahve invocasse. Qui nequaquam obstant, si ratio appareat defendendi, nomen Iahve serius in illos textus irrepsisse. — Obiiciunt porro nomina quaedam propria a יהוה, uti aiunt, derivanda : 1 Par. 2,25 אחיה; 7,8 אביה; Ex. 6,20 et Num. 26,59 יוכבד, nomen matris Moysis. De nomine Moria cf. dicenda ad 22,2. Ad illa igitur nomina haec notamus. 1) Non omnia nomina desinentia in יה necessario derivanda esse a יהוה, ostendit 1 Par. 4,8 בתיה, nomen mulieris aegyptiae, sane non a ss. nomine petitum. 2) Textus noster Par. in nominibus propriis describendis minime est fidus : potuere nomina אחיה, אביה primitus aliam similem habere terminationem, quae in eam, quae postmodum frequentissima evasit, a ss. nomine derivatam fuerit transmutata. 3) Nomen יוכבד suspicione non caret : scriptor Ex. 2,1 nomen matris Moysis reticet, neque est res ab indole Hebraeorum aliena, ut postmodum tribuerint matri nomen ad filii egregie facta alludens. Aut potuit nomen pridem fuisse אליכבד, mutato postmodum nomine divino, quod etiam in nominibus quandoque mutatum observamus. Aut potuit nomen pridem fuisse similis formae, v. g. איכבד (*Wellh.*). Sunt, qui dubitant, et quidem merito, sitne nomen derivationis hebraeae, cum nomen Moyses et fortasse etiam nomen Aaron e lingua aegyptiaca deriventur. Praeterea, secundum superius dicta, potuit ante Moysen forma aliqua verbi היה, imo ipsa forma יהוה vel יה nomini cuidam inseri, non tamquam divinitatis nomen proprium, sed tamquam praedicatum. 4) Quidquid sit de illis nominibus,

non faciunt ea argumentum ita stringens, quo a sensu obvio textus Ex. 6,2 sq. recedere cogaris. 5) Supposuere aliqui, nomen יהוה non patriarcharum quidem aevo, sed brevi ante Moysen aliquibus innotuisse. Quae suppositio ad difficultates solvendas admitti potest, sed non requiritur. 6) Manet factum textum Ex. 6,2 sq. confirmans, nomen יהוה in nullo patriarcharum aevi nomine proprio reperiri, pluries vero nomen אל : Ismael, Israel, Phanuel (32,30), Rahuel, Eliphaz (36,4) etc.

Igitur e textu Ex. 6,2 sq. *probabilis canon* derivatur, *in traditione, quam Genesis enarrat, nomen* יהוה *primitus non fuisse, sed recentius in eam penetrasse*. Traditionem dicimus eam, quae oretenus primum transmissa, postea scriptis consignata est. Et quidem potuit ea vel tum primum scriptis mandari, quando noster liber Genesis primum concinnatus est; vel potuit iam ante eum librum editum traditio sive tota sive quoad partes quasdam scriptis esse consignata, quae dein a Genesis auctore fuerint adhibita. Porro illud ex Ex. 6,2 sq. habemus, substitutionem illam nominis יהוה ante Moysen non esse factam.

Canon noster confirmatur sequentibus Geneseos textibus, in quos videtur nomen יהוה nonnisi serius irrepsisse.

1) Gen. 16,11 : « Vocabis nomen eius Ismael, eo quod audierit Iahve afflictionem tuam ». Nomen Ismael derivatur non a יהוה sed ab אל : ergo sententia primitus habebat אל. *Rossi* de lectione אלהים, quam tres codices restituerunt, ita sentit : « lectio melior ac textui conformior, ita enim habetur vera interpretatio nominis Ismael ». Tamen, praeter eos tres codices unumque sufficientem אל, reliqui omnes et versiones omnes habent יהוה, ut ea lectio quondam, licet non primitus, universalis fuisse demonstretur.

2) Gen. 28,16-22 narratur, quid Iacobum induxerit, ut Luzae nomen in Bethel mutaverit. Sc. Iacob viso somnio exclamans : « Vere *Iahve* est in loco isto », intelligit locum non esse aliud nisi domum *El*, ideoque appellat Beth *El* votumque vovet dicens : « Si *Elohim* fuerit mecum etc., erit mihi *Iahve* pro *Elohim* et locus hic erit Beth *El* ». Ita sane non est locutus Iacob. Nomen Beth *El* imposuit intelligens, *El* esse in eo loco, ideoque professus est, *El* sibi futurum esse pro *Elohim* seu Deo. Nomen יהוה serius in eas sententias irrepsit.

3) Gen. 16,13 : « Vocavit nomen Iahve, qui loquebatur ad eam, אל ראי ». Initio sententiae erat sane primitus non nomen Dei maxime proprium nullaque ulteriore appellatione determinandum יהוה, sed nomen naturae אלהים vel אל. Serius irrepsit יהוה.

4) Gen. 27,27 sq. : « Ecce odor filii mei sicut odor agri, cui benedixit Iahve. Det tibi Elohim de rore coeli etc. ». Benedictio evidenter est una; prior pars cum praecedente narratione intime cohaeret, est autem incompleta, nisi altera pars accedat, tum quod v. 27 solus nihil habeat benedictionis, tum quod ubertatis apprecatio pars sit omnium benedictionum patriarchalium. Isaac non utique duo diversa adhibuit nomina divina, traditio inde ab Isaac unicum in ea benedictione nomen divinum novit, nomen יהוה serius subintravit.

Plures invocari possunt textus, sed hi quatuor sufficiant. Sunt alii, in quibus cum effato Ex. 6,2 sq. sensu obvio intellecto collatis deprehenditur nomen יהוה esse subreptitium. Cum nomen Iahve patriarcharum aevo nondum fuerit divinitus manifes-

tatum, sane non dixit Deus ad Abraham 15,7 : « Ego Iahve, qui eduxi te etc. »; neque ad Iacob 28,13 : « Ego sum Iahve, Deus Abrahae etc. » Durius, ne dicam minus vere, dicitur 4,26 : « iste coepit invocare *nomen* Iahve », et 21,33 : « invocavit ibi *nomen* Iahve, Dei aeterni ».

Ergo disputatio de nominibus divinis quoad Genesin in eam nobis videtur resolvi quaestionem, *quando et qua ratione nomen* יהוה *in textum* (*sive jam scriptum sive oretenus traditum*) *penetraverit*. Ubi textus ipse attente perpensus sequentes pandit canones :

1) Licet adfuerit pruritus nominis יהוה ubique substituendi, excipiebantur tamen pericopae illae, quae quod essent omnibus oppido notae, sine plurimorum offensione mutari haud poterant. Cujusmodi erant Cosmogonia, circumcisionis institutio, genealogiae ipsius gentis electae, et ex patriarcharum vitis plura. Hae igitur pericopae nomen אלהים retinuere.

2) Tamen vel hae pericopae sigillo, ut ita dicam, iahvistico signatae ut plurimum deprehenduntur, nomine יהוה sive initio sive ad calcem inserto.

3) Summo studio praecavetur, ne, ubi diversa et imprimis rariora nomina divina adhibentur, lectori in mentem veniat *diversos* recenseri deos : quare nomen יהוה alteri nomini divino quandoque adscriptum conspicitur.

4) Aliquando in pericopas etiam elohisticas nomen יהוה irrepsit, quando agebatur de theophania vel solemniore Dei alloquio : haec quippe Iahve, Dei foederis, censebantur esse maxime propria.

5) In pericopis etiam iahvisticis retinetur nomen אלהים vel אל, quod patet per se, quando est nomen naturae.

6) Retinetur item in colloquiis profanorum, v. g. serpentis et Evae, Melchisedech cum Abraham etc. Eiusmodi ss. nomen pronuntiare haud censentur profani, ut neque Hebraei illi, qui eos alloquuntur. Cf. *P. Iulian :* La composition de la Genèse, Paris, 1888, p. 190 sqq.

Nomina divina antiquiora (אל solum, vel addito aliquo ornatum) solum perseverarere in pericopis elohisticis vel in textibus ubi vel propter contextum vel secundum Can. 6 modo propositum ea nomina mutari non poterant. Sic 16,13; 21,33; 33,20 nomen אל connectitur cum nominibus locorum ideoque non poterat mutari. Cap. 14 אל עליון remansit, quia nomini יהוה in colloquio cum Melchisedech non Hebraeo locus non erat. Reliqua habentur in pericopis elohisticis. Hinc non imprudenter coniicies, in textibus, qui nunc יהוה habent, non semper primitus אלהים fuisse, sed etiam אל. — Adverte, nos de pericopis elohisticis et iahvisticis loqui sensu non plane eodem, atque recentiores critici : hi nomina haec petunt ab ea, quam ipsi adstruunt, diversitate non nominum divinorum tantum, sed item auctorum; nos de auctore vel auctoribus necdum quidquam definientes, solam nominum divinorum in diversis pericopis diversitatem designamus.

Progredimur jam ad nominum אלהים et יהוה in Genesi secundum canones supra propositos usum explicandum.

Cosmogonia, Gen. 1,1-2,3. Textus unanimiter scribunt אלהים, consentientibus etiam *Aq. Symm. Theod.* Pericope tam arcte cum sabbati observantia connectebatur eratque tam alte mentibus omnium impressa, ut scribae temperaverint a nomine יהוה vel semel inserendo.

Generationes coeli et terrae, Gen. 2,4-4,26.

a) *Acta in paradiso*, Gen. 2,4-3,24. Constanter adhibent יהוה אלהים *Hebr. Sam. Vulg. Syr.*, dum *LXX* idipsum scribunt duodecies, אלהים novies. In quibus non numeravi 3, 1. 3. 5, ubi Eva et serpens colloquentes secundum Can. 6 nomine non יהוה sed אלהים Deum exprimunt. Censent recentiores communiter (cf. *Budde*[1] p. 60, *Dillm.* p. 40, *Kuenen* p. 309), יהוה אלהים, hac pericope adhiberi, quo lector edoceatur, unum eundemque deum esse אלהים praecedentis et יהוה sequentis pericopae.

b) *Cain et Cainitae*, Gen. 4,1-26. Constanter adhibent יהוה *Hebr. Sam. Vulg. Syr.*; lectio quidem recepta *Vulg.* v. 1 est אלהים, sed codices plures habent יהוה, consentitque *Symm.* E contra *LXX* habet יהוה אלהים sexies, אלהים ter, יהוה v. 3, dum v. 10 sitne legendum אלהים an יהוה ambigitur. Haec narratio Hebraeorum genealogiam nonnisi mediate attingebat, sat facile in ea nomen divinum mutari potuit. — Sed cur v. 25 nomen Seth explicans Eva utitur nomine אלהים, quae v. 1 nomen Cain explicans usa erat nomine יהוה? Adverte Seth procreasse gentem illam, quae 6,2. 4 « filii אלהים » nuncupantur : potuit menti rabbinicae id scrupulum movere, ut nomen progenitoris adhibito nomine יהוה explicaretur, cuius posteri solum a nomine אלהים appellationem essent nacturi. Cf. 5,3, ubi Seth dicitur genitus ad imaginem Adam, uti hic v. 1 dicebatur creatus ad imaginem Dei.

Generationes Adam, Gen. 5,1-6,8.

a) *Genealogia Sethitarum*, cap. 5. Habent omnes אלהים secundum Can. 1. Tamen v. 29 secundum Can. 2 nomine יהוה insignitur, quo haec etiam pericope Deum foederis spectare aliqua ratione demonstretur.

b) *Diluvii praeambulum*, Gen. 6,1-8. Est v. 2.4 nomen « filii אלהים » : sc. nomen ss. non est visum hominibus attribuendum. De cetero pericope est iahvistica, cum *Hebr. Sam. Syr.* habeant יהוה quinquies; *LXX* ter יהוה אלהים et bis אלהים; *Vulg.* v. 6 sq. nomen divinum supprimit, v. 3 habet אלהים, v. 8 יהוה et v. 5 lectionem dubiam. v. 6 יהוה confirmatur *Aq.* testimonio. Haec pericope, cum intimum cum Cainitarum genealogia habeat nexum, uti illa minus alte mentibus inhaesisse videtur.

Generationes Noe, Gen. 6,9-9,29.

a) *Aedificandae et intrandae arcae mandatum*, Gen. 6,9-7,5. *LXX* hic uti alias extra rhombum saltant, semper scribentes יהוה אלהים praeter 6,9. 11, ubi ceteris consonant. Reliqui constanter habent אלהים (6,9 etiam *Aq. Symm.*) praeter 7,5, ubi omnes habent יהוה. Sed lectio plane dubia est 7,1, ubi *Hebr. Vulg.* יהוה, *Sam. Syr.* אלהים. Auctoritatibus aeque divisis inter se, si lectionem Sam. Syr. sequaris, habebis 6,9-7,5 pericopen elohisticam, 7,5 ad calcem sigillo veluti iahvistico (Can. 2) insignitam. Uti patet, haec de patriarcha Hebraeorum antecessore traditio erat notissima.

b) *Arcae ingressus*, Gen. 7,6-16. Etiam hic discordant textus. *LXX* habent bis אלהים, semel יהוה אלהים; sed, cum tam in praecedentibus quam in sequentibus constanter suo tramite incedant, reapse aliorum lectiones neque consentientes con-

[1] Abbreviatas auctorum citationes explanatas habes in fine Introductionis.

firmant, neque dissentientes infirmant. V. 9 *Sam.* habet יהוה, *Hebr. Syr.* אלהים, lectio *Vulg.* anceps : praevalet igitur אלהים, v. 16ª legunt omnes אלהים, v. 16ᵇ vero יהוה. Habes rursum pericopen elohisticam, nomine יהוה ad calcem ornatam.

c) *Diluvii descriptio*, Gen. 7,17-24. Nullum habetur nomen divinum.

d) *Egressus ex arca*, Gen. 8,1-22. v. 1. 15 omnes ter habent אלהים (*LXX* v. 15 יהוה אלהים), v. 20 sq. ter יהוה (*LXX* v. 21 bis יהוה אלהים); prius v. 21 יהוה confirmatur testimonio *Aq. Symm. Theod.* Sed adverte v. 20 sq. enarrari Noe post diluvium *sacrificium* : quod solemne factum, ad calcem tam longae (6,9-8,22) elohisticae narrationis relatum, censuit nominum divinorum permutator Deo foederis esse omnino appropriandum adscripto triplici יהוה (Can. 2. 4).

e) *Acta post diluvium*, Gen. 9,1-29. Textus septies habent אלהים, sed ad calcem, v. 26 in benedictione Sem, non utique v. 27 in benedictione Iaphet, adscriptum cernitur nomen יהוה, hanc item pericopen Dei foederis propriam faciens.

Generationes filiorum Noe, Gen. 10,1-11,9. Constat pericope genealogia gentium, cui inseritur factum Nemrod et appenditur historia turris. Non videntur haec aeque nota fuisse omnibus Hebraeis atque acta Noe ipsiusque populi electi genealogiae : hinc habes nomen יהוה sexies, textibus omnibus conspirantibus.

Generationes Sem, Gen. 11,10-26. Nullum habetur nomen divinum. Genealogia haec sane in omnibus Israelis tentoriis recitabatur.

Generationes Thare, Gen. 11,27-25,12.

a) ***A vocatione Abrahae usque ad natum Ismael***, Gen. 11,27-16,16. Pericope est iahvistica. Dices, eam includere promissiones plures Abrahae factas, ergo debuisse esse notissimam et nomine אלהים insigniri. At non est necessario statuendum, singulas promissiones patriarchae factas aeque alte posterorum mentibus inhaesisse : habes in pericopis elohisticis promissiones factas, cum institueretur circumcisio et Isaac ad sacrificium duceretur; has oppido norant. — Gen. 11,27-32, licet nomine divino careat, tamen a sequente narratione non est separandum. Cap. 12 sq. nomen יהוה habent decies et ter *Hebr. Sam. Vulg.*; *LXX* 12,17 dubia est lectio; 13,10 *LXX Syr.* bis habent אלהים (*LXX* etiam v. 13 sq.), verum adverte altero loco (« sicut hortus Dei ») vocem videri esse nomen naturae, ideoque infelicius emendatorem substituisse יהוה pro אלהים. — 14,19. 20. 22 ex Can. 6 nefas erat eleminare אל עליון, quia de colloquio cum non Hebraeo agebatur; et propter contextum idem nomen etiam retentum est v. 18. At secundum Can. 3 eidem nomini v. 22 adscriptum est nomen יהוה, ne cui forte in mentem veniret, Abraham praeter Iahve aliud numen agnovisse. *Syr.* אל עליון vertit אלהא מריא, cum *Sam.* v. 22 pro יהוה habet אלהים; igitur v. 22, ne bis illud אלהא describat, priore loco, ubi hebraeo אלהים correspondisset, illud omittit. — Gen. 15 sq. legitur יהוה decies quinquies. Cum *Syr.* secus tam אדני quam יהוה vertat מריא אלהא, neque hanc vocem luberet 15,2. 8 bis scribere, hinc ib. אדני יהוה vertit מריא אלהא, cui expressioni alias correspondet hebraeum יהוה אלהים. In textu classico 15,6 *LXX Vulg. Syr.* habent אלהים (« credidit Abraham Deo »); *LXX* item v. 7; *Vulg.* 16,5.

b) *Instituta circumcisio*, Gen. 17,1-27. Haec pericope intime cum ritu circumcisionis connexa, uti cosmogonia cum sabbati religione, servavit nomen אלהים. Tamen secundum Can. 2 nomen יהוה praefert v. 1.

c) *Promissus Isaac, destructa Sodoma, Sara apud Abimelech*, Gen. 18,1-20,18. Haec iahvistica. Cap. 18 sq. legitur nomen יהוה decies septies; at incipiente 19,29 narratione de filiarum Lot incestu bis retinetur אלהים, fortasse quod nomen ss. non videretur rei tam foedae et Ammonitarum et Moabitarum originibus commiscendum. 17,1 *Syr.*, uti postea 35,11, voci אל שדי sibi fortasse non plane perspicuae addit אלהא,

quo patenti exemplo perspicias, qua ratione quandoque nomina divina in textum irrepserint. 18,14 *Vulg. LXX* אלהים, et potest reapse vox accipi ut nomen naturae : « Numquid Deo quidquam est difficile? » 18,27 pro אדני notat *Rossi* tres codices habere אדני יהוה, viginti unum solum יהוה; item v. 31 unum codicem habere אדני יהוה, novem solum יהוה; quo rursum perspicias, quo modo nomina divina quandoque in textum penetraverint. Cf. *Rossi* ad 20,4. — Ad Abimelechum alienigenam cap. 20 Deus neque ut Iahve accedit neque eo se nomine illi manifestat. Tamen ultimo versu habetur rursum יהוה (*Sam.* אלהים), etiam huic capiti quasi sigillum imprimens.

d) *Natus Isaac, dimissus Ismael*, Gen. 21,1-21. Res omnibus notissima, novies habetur nomen אלהים (*LXX* v. 2.6). Tamen hoc etiam caput v. 1 ex Can. 2 bis nomen יהוה in fronte praefert.

e) *Foedus inter Abraham et Abimelech*, Gen. 21,22-34. Res sane non ita omnibus nota. Tamen Abimelech v. 22 sq. nomen יהוה pronuntiare non permittitur. Sed v. 33 nomini proprio nemoris אל עולם secundum Can. 3 praefigitur יהוה.

f) *Sacrificium Isaac*, Gen. 22,1-19. Habetur אלהים quinquies v. 1. 3. 8. 9. 12 (*Syr.* praeterea v. 11. 15). At incipiente theophania v. 11 secundum Can. 4 irrepit יהוה : « angelus Iahve ». In angeli quidem verbis v. 12 perseveravit אלהים; at v. 14. 15. 16 succedit יהוה. Adverte porro ad v. 14, Abraham certe (cf. Ex. 6,2 sq.) loci nomen non derivasse a יהוה, neque hoc nomen ss. tunc vel postea in proverbio aliquo circumferri consuevisse (cf. quae diximus ad 10,9).

g) *Posteritas Nachor*, Gen. 22,20-24. Nomen divinum non habetur.

h) *Sarae mors et sepultura*, Gen. 23,1-20. Res, ut patet, notissima. Sed nomen divinum non habetur. Hethitae v. 6 nomen יהוה pronuntiare nequeunt, et praeterea אלהים ibi accipi potest ut nomen naturae.

i) *Rebeccae nuptiae*, Gen. 24,1-67. Habetur יהוה decies novies; אלהים v. 3.7.12. 42.48 est nomen naturae.

j) Post recensitos *filios Celurae* narratur *Abrahae mors et sepultura*, Gen. 25,1-11; res notissima, ideoque v. 11 אלהים retinetur.

Generationes Ismael, Gen. 25, 12-18, nomen divinum non habent.

Generationes Isaac, Gen. 25, 19-35, 29.

a) *Discordiae Iacob et Esau*, Gen. 25, 19-27, 46. Habetur יהוה decies quater. אלהים 26, 24 et 27, 20 est nomen naturae. 25, 21 altero loco *LXX* habet אלהים : sane in uno illo versu non fuere primitus diversa nomina divina. Sed sunt aliqua, quae contra canones a nobis statutos facere videntur. 26, 28 sq. Abimelech bis nomen יהוה pronuntiat, et 27, 28 omnes habent אלהים. Et tamen fingi nequit, in una eademque benedictione v. 27 sq. primitus fuisse primum יהוה et secundo אלהים. Primitus sane secundum Ex. 6, 2 sq. fuere duo אלהים : cur prius tantum loco cessit? an verba v. 28 transiere in communem aliquam benedictionis formulam, quam omnes frequenter usurparent? an in hac tandem pericope dormitabat nominum divinorum permutator? an aliquae textui ab ipso mutato vel non mutato seriores mutationes accidere, quarum iam nulla nos vestigia maneant? Recole, quod supra dicebamus, in hac quaestione enodanda systema, quod nullam omnino patiatur difficultatem, suspicionem potius movere, cum omnes divinorum nominum receptas lectiones genuinas esse gratuito supponat.

b) *Visio scalae*, Gen. 28, 1-22, Hebraeis omnibus notissima. Hinc v. 3 servabatur אל שדי, v. 4. 12 אלהים (v. 4 *Sam.* יהוה). At, ubi ventum est ad theophaniam, secundum Can. 4 irrepsit יהוה v. 13 bis (semel tantum apud LXX) et v. 16. 21. — v. 20 יהוה אלהים *LXX* deformatum legebant in יהוה אלהים. — In explicanda rursus nomi-

nis Bethel derivatione v. 17. 20. 22 nomen אלהים expungi non poterat, etiam ideo quod fere nominis naturae rationem haberet.

c) Nuptiae Iacob et filii, Gen. 29, 1-35, 29. Narratio haec, quippe quae cum tribuum origine intime cohaereat, est elohistica. Sed in describendo ortu filiorum natu maiorum 29, 31. 32. 33. 35 et Ioseph 30, 24, qui semper prae reliquis filiis efferuntur, adscribitur יהוה (29, 31 *LXX* יהוה אלהים; v. 32 *Syr.* אלהים; 30, 24 *LXX Aq. Symm. Theod. Syr.* אלהים). 30, 22 sola *Vulg.* יהוה. 30, 27 יהוה contra *Vulg. LXX Syr.* est dubiae lectionis. Sed 30, 30 omnes habent יהוה : si etiam 30, 27 lectionem יהוה praeferas, habes « benedictionem » tam Labano quam Iacobo concessam ad Iahve Deum foederis revocatam, quod ex Can. 4 explicari potest. Ceterum v. 30 *LXX* יהוה אלהים eius, quod primitus solum in textu prostabat, אלהים fortasse servat vestigium. — 31, 3 Deus reditum in Palaestinam iubens ex Can. 4 nomine יהוה effertur, est enim illud summi momenti iussum, Deum foederis propius attingens. Sequuntur octo אלהים, praeter alia septem, quae sunt nomina naturae. Rursum יהוה (*LXX* אלהים) secundum Can. 4 usurpatur v. 49 in solemni adjuratione : « Intueatur et iudicet Iahve inter nos », et 32, 9 in solemni invocatione : « Iahve, qui dixisti etc. ». — 31, 7. 9. 16 *Sam.* יהוה. — 35, 7 אל ante ביתאל cum *Vulg. LXX Syr.* expungendum est.

Generationes Esau, Gen. 36, 1-43, nomen divinum non habent.

Generationes Iacob, Gen. 37, 1-50, 25.

a) Acta Ioseph ante exaltationem, Gen. 37, 1-40, 23. Habetur cap. 38 sq. יהוה undecies. Utique 39, 9 et 40, 8 Ioseph Aegyptios alloquens adhibet nomen אלהים (Can. 6). Mirandum non est, acta Ioseph ante exaltationem aliquo tempore minus inter Hebraeos fuisse nota, quam publica eius gesta. Hinc pericope haec est iahvistica.

b) Iosephi exaltatio et posteriora acta, Gen. 41, 1-50, 25. Pericopen esse elohisticam, non demonstrant quidem 41, 16. 25. 32. 38. 39, ubi Ioseph et Pharao colloquentes inter se non alio (Can. 6) quam nomine אלהים uti poterant : demonstrat autem v. 51 sq., ubi nomina filiorum Ioseph eodem appellato nomine explicantur. Idem adhibet non solum Ioseph Aegyptii personam agens 42, 18 et 43, 29, et Iuda 44, 16 Iosephum arbitratus Aegyptium esse : sed item Ioseph a fratribus agnitus 45, 5. 7. 8. 9, et fratres inter se 42, 28 colloquentes. Pericopen esse elohisticam etiam demonstrant 43, 14; 46, 3; 48, 3; 49, 25 nomina divina antiquiora non mutata. Benedictiones primum cap. 48 filiis Ioseph, dein cap. 49 filiis Iacob singulis concessae sane in omnium ore erant. Redit tamen hic, quod alias observabamus : 49, 18, medio vaticinio locoque perquam solemni inseritur nomen יהוה, quo haec etiam pericope Dei foederis Iahve veluti propria fiat (Can. 2).

Igitur pericopas elohisticas numeramus has : Cosmogoniam, genealogiam Sethitarum, Generationes Noe, Generationes Sem, circumcisionis institutionem (cap. 17), nativitatem Isaac (21, 1-21), eiusdem sacrificium (22, 1-19), Sarae et Abrahae mortem et sepulturam (cap. 23; 25, 1-11), visionem scalae (28, 1-22), Iosephi exaltationem et posteriora acta (cap. 41-50). Non negamus, earum etiam pericoparum, quae nullum habent nomen divinum, aliquas potuisse esse aeque notas omnibus, atque eas quas recensuimus.

Monebamus ex Ex. 6,2 sq. effici, nominum divinorum in Genesi mutationem ante Moysen non esse factam. Iam erat completa, quando Samaritani a Iudaeis secessere. An ergo ipse libri Genesis auctor in narratione traditione ad ipsum delata nomina ex parte mutavit? Earum

utique mutationum aliquae rabbinicum potius spiritum sapiunt Moysemque minime dignum. Ceterum, perpensis canonibus supra statutis, crediderim nomen יהוה paulatim neque ita brevi tempore in textum irrepsisse : primum fortasse insertum esse pericopis minus notis (Can. 1), dein aliis etiam initio vel ad calcem esse adscriptum (Can. 2), tandem in solemniores quosdam (Can. 4) pericoparum elohisticarum locos penetrassse; servatis praeterea Can. 5,6 et 3. Illud vero jam est in comperto, nominum divinorum diversitatem quaestioni de compositione Genesis vix lucis quidquam afferre.

3. *Traditionis antiquissimae natura et strata.*

Progredimur jam ad veterum *systema traditionis*. Traditio fuit constans tam apud Hebraeos et Samaritanos, quam postmodum apud Christianos, primorum temporum historiam et revelationes continua traditione transmissas esse Deo protegente erroris immunes. Quare Geneseos fontes indagantem oportet imprimis in ejusmodi sacrae traditionis naturam et fata inquirere.

Aliqui igitur autumati sunt, s. traditionem antiquitus apud stirpem electam, uit apud reliquas gentes, esse obscuratam et deformatam (cf. *Len.* Origines I. 335 sqq., et passim), dein ab auctore Geneseos rursum esse emundatam atque restitutam. Quae hypothesis, dummodo a s. textu omnem mythum excludat atque errorem, a fide non est aliena, gratuito tamen adhibetur discordatque ab iis, quae de servata posterioribus aevis traditione comperta habemus. Quibus illam non deprehendimus obscuratam primum ac postmodum in integrum esse restitutam, sed usque perseverasse substantialiter intactam. Neque ullum ad eundem effectum prima mundi aetate requirebatur miraculum, sed eadem tantummodo ad revelationem conservandam Dei providentia, quae posterioribus aevis est concessa.

Antiquissima illa traditio primitus utique erat *oralis*, aliquando autem est *scripto* consignata. Si traditioni Babyloniorum fidem adhibeas, vel antediluviani homines scribendi artem callebant. Profecto impune affirmabis, eum scriptorem, qui traditiones varias a majoribus receptas in unam Genesin coegerit, aliqua jam ante descripta praesto habuisse. Tamen ipso patriarcharum aevo scribendi artem Hebraeos ignorasse coniicio cum inde, quod nulla ejus in Genesi omnino habeatur mentio (cf. dicenda ad 38,18), tum ex iis, quae modo sum dicturus.

Deprehenditur sc. in Genesi, in trium patriarcharum historiis, constans studium narrata conjungendi certis locis, monumentis, nominibus tam locorum quam personarum, tamquam adjumentis mne-

moneuticis. Atqui ejusmodi studium prodit aevum scribendi artis potius ignarum, cum ea ars ejusmodi adminiculis facile careat.

Ubicunque in trium patriarcharum actis non habetur una aliqua continua narratio, uti illa de fide Abrahae, de fraudibus Iacob et Laban, de rebus Ioseph, quae suo veluti momento legentis mentem obstringunt eiusque memoriae inhaerent, narratio fere sequitur *stationes itinerum*. Abrahamum comitaris ab Ur ad Haran (11, 27-32), ab Haran ad Sichem (12, 1-7), a Sichem ad Bethel (12, 8), a Bethel per Negeb in Aegyptum (12, 9-20), ab Aegypto in Bethel et Mambre (cap. 13 sqq.). Isaac a Chai Roi (25, 11) transit in Gerar (26, 1), inde per varia vallis Gerar loca in Bersabee. Iacob Syriam petens subsistit in Bethel (cap. 28); indidem redux attingit Galaad (cap. 31), Mahanaim et Phanuel (cap. 32). Sedem figit primum in Socoth (33, 17), inde prope Sichem, postea in Bethel; subsistit in Bethlehem, prope Turrem Eder, ac tandem revertitur in Mambre.

Neque nomina solum stationum traduntur, sed earum sat frequenter *situs describitur* : locus apud Sichem 12, 6 « usque ad quercum Moreh »; 12, 8 locus prope Bethel, « ab occidente habens Bethel et ab oriente Hai »; 13, 18 « quercus Mambre, quae est in Hebron »; 14, 17 « vallis Save, quae est Vallis Regis »; 16, 14 puteus Chai Roi, « ipse est inter Cades et Barad »; 23, 17 « ager, qui erat in Machpelah, quod erat ad orientem Mambre »; in quo agro erat spelunca 23, 19 et 35, 8 Elon Bakuth « ad radices Bethel subter quercum ». Et nota, describi stationes locorumque situs *intra* fines terrae promissae, *non extra*. Ur et Haran recensentur, quae omitti vix poterant, cum illinc Deus Abram evocaverit, hic Thare diem obierit supremum et Nachor sedem fixerit : at situs non describitur. Aegypti praeter nudum nomen traditur nihil, non urbs Pharaonum sedes, non terrae Gessen limites.

Neque nomina solum et situs traduntur, sed factorum *monumenta* quaedam demonstrantur. Habes *altaria* a patriarchis erecta prope Sichem 12, 7; in Bethel 12, 8 et alterum 35, 7; in Mambre 13, 18; in Bersabee 26, 25; et rursum prope Sichem 33, 20. Habes *nemus* plantatum in Bersabee 21, 33 et *titulos* erectos in Bethel 28, 18 et 35, 14, titulum et *tumulum* in Galaad 31, 45 sqq. Habes *sepulcra* Sarae, Abraham et Iacob, Rachelis 35, 19, Deborae 35, 8. Ubi rursum advertas, non in Syria, non in Gerar, non in Aegypto eiusmodi monumenta commemorari.

Frequentissima porro factorum monumenta sunt ipsa locorum *nomina*, quae ob ea facta appellata esse traduntur. Esto quidem, non nisi post patriarcharum aevum Arbee vocata sit Hebron, et Ephratha Bethlehem (33, 6; 35, 19. 27), sintque haec duo recentiora nomina a redactore inserta. At Luzam certe Iacob (28, 19; 35, 15) appellavit Bethel. Similiter patriarchae appellavere plurium puteorum nomina, nomen Eljireh 22, 14, nomen Phanuel 32, 30. Quamvis, quotiescunque nomina appellata esse legas, cave ne *primum* semper appellata affirmes : non nominum origines explicantur, sed inculcandis quibusdam factis nomina aut nova aliqua effinguntur, aut iam ante exsistentia adaptantur. Ea vis est formulae : « idcirco appellatum est nomen loci illius... ». Nomina sunt non etymologica, sed *mnemoneutica*. Quod inter alia patet in nomine Babel 11, 9, quod nequaquam post aedificatam turrim, sed cum ipsa sane ante turrim urbe est natum neque a בלל etymologice derivatur : sed quod nomen iam ante « portae Dei » significationem habens exstiterat, illud ob assonantiam quamdam cum radice בלל ad commemorandam « confusionem » Babylone subortam deputatum est. Hinc neque admirationem habet ullam, quandoque idem nomen appellatum referri *bis* : nomen Bethel inditum est ad commemorandum primum visionem scalae, postea favores alios divinitus Iacobo exhibitos; nomen

Bersabee (21, 31; 26, 33) memoriale exstitit primum fœderis Abraham inter et Abimelech, dein abundantium aquarum ab Isaac repertarum. Potuere igitur et alia quaedam nomina, v. g. Mahanaim, Socoth (32, 2; 33, 17), iam ante in usu fuisse, quam a patriarchis appellarentur; potuit nominatim Segor 19, 22 vel ante Pentapoleos ruinam aut צוער i. e. « parva » vocari, aut nomen habere simile sonans, quod dein Hebraei memoriale salutis Lot transmutaverint. Ubi liceat secundum aliquorum placita illud etiam referre, ea quae in s. textu habentur Gomorrhae et Sodomae nomina ad radices revocari significationis « obruendi » et « deteriorandi » (*Lagarde*, Orientalia II. 54 sq.). Eiusmodi nomina in ipsa urbium conditione imposita esse, quis adstruat? Neque gentes illae videntur fuisse semitae, et a semiticis radicibus nomina mutuaturae. Sed urbium nomina vel radicibus illis semitis consonabant, vel iisdem ab Hebraeis sunt conformata, quo divinum in Pentapolin iudicium pronuntiata revocarent in memoriam. Ceterum adverte hic rursus affine quid eius, quod supra dicebamus, in sola terra sancta, si Babel excipias, nomina locorum appellari : ibi quippe oportebat memorialia traditionis figi.

Quae de locorum nominibus disputavimus, eadem ad *hominum nomina* extendenda quadamtenus sunt. Recole, linguam primitivam non fuisse hebraeam, nomina igitur antiquissimorum hominum probabilius non eandem adamussim, atque nunc in Genesi, habuisse formam. Arte profecto quadam effectum est, ut ipso sono ea nomina hominum eorum indolem aut fata adumbrarent. Adam cum demonstrat, qui de terra sumptus et ad terram rediturus colendae terrae est deputatus; Virago eam, quae de viro sumpta eique est indissolubiliter conjugata; Heva matrem, sc. omnium; Abel, si hebraeum etymon quaeras, halitum brevi et irreparabiliter diffluentem; Noema 4, 22 formosam. An putas, nomina Eden et Nod fortuito sonare amoenitatem et instabilitatem? aut fortuitam esse assonantiam 2, 10. 14 inter פרד et פרת? Explanatio adjicitur nominibus Cain, Seth, Noe; allusio 9, 25 sqq. habetur ad nomina Sem, Chanaan, Iaphet. Nomen Nemrod, quod rebellem sonat, non sane a parentibus inditum est infanti, sed levi, quod crediderim, veri nominis deformatione natum ad viri fata adumbranda. Simile quid dicas de nomine Phaleg 10, 25, quod imponentes infanti parentes non sunt sane supponendi futurae terrarum divisionis fuisse prophetice conscii. Nomen Moab utique mater non repetebat a בן אב, quod tamen 19, 32 fere videtur suggerere. Ipse Deus hominibus quibusdam indens nomina selegit ea, quae facta quaedam in memoriam revocarent : Ismael, Abraham, Sara, Isaac. Quid dicam de filiorum Iacob Gen. 29 sq. nominibus, quae singula suam habent adscriptam explanationem, nomen Ioseph imo 30, 23 sq. duplicem, easque vix non omnes ab agnominationibus cap. 49 oppido diversas?

Hinc digrediatur quis ad paronomasias illas, in antiquissimis imprimis cap. 2-6 traditionibus frequentissimas, v. g. cap. 2 ערום significatione cum « callidus » tum « nudus » usurpatum. Quibus tamen rimandis non est hic locus.

Porro haec omnia : loca, monumenta, nomina, id maxime efficiebant, ut traditiones illae antiquae altius atque firmius hominum memoriis inhaererent. Locorum nomina et adspectus praeteritos suggerebant eventus; cippi, altaria, sepulcra totidem erant rerum ante actarum testes; inerant in ipsis nominibus factorum atque dictorum haud obscura indicia. Quibus omnibus ad ea videmur revocari tempora, quibus traditio nondum scriptis continebatur variisque, non sine numine, artibus certa atque accurata rerum ante actarum memoria praeservabatur.

Neque tamen tempus, quo scribendi artem Hebraei primum noverunt, accurate definire valemus. Eam sine dubio calluere Joseph et Moyses et exodi tempore certe aliqui. Patriarchas Josepho antiquiores eandem ignorasse suggerunt rationes modo

explicatae; non tamen praeter omne dubium demonstrant, cum idem traditionis certis veluti locis et nominibus affigendae artificium etiam post Moysen, imo Samuelis aevo, identidem adhibitum esse deprehendatur.

Antiquissimas illas in stirpe electa traditiones *fideliter esse asservatas*, praeter artes modo indicatas, inferas ex eo quod postmodum inter Iudaeos et Christianos Deo providente obtigit : non minorem quippe primo, quam sequentibus aevis curam Deus habuisse censendus est veritatis revelatae. Idipsum respectu Cosmogoniae fit evidens comparatis aliarum Asiae citerioris gentium cosmogoniis, quo perspicies, in cosmogonia sacra vel antiquitus jam infuisse non res solum, quas nostra Cosmogonia habet, sed quadamtenus ipsas voces. Cf. quae hac de re dicturi sumus. Idipsum colligere licet e Generationibus coeli et terrae, ubi omnia narrantur ita concinne simul et vivide, ut testem immediatum credideris audire loquentem, et e Generationibus Noe, quae testis immediati narrationem referunt. Ergo, sive maturius sive serius haec scriptis fuerint mandata, substantialiter incorrupta fuere tradita. Neque concedere graveris incorrupta perseverasse, quae nondum fortasse scripto, sed oretenus tradebantur.

Agitur quippe de factis supremi momenti, quae non infinitis veluti interjectis temporum, sed paucarum generationum spatiis ab antiquis illis hominibus distarent ipsiusque gentis promissionumque origines spectarent. Adverte, quam accurate apud Arabes Hebraeis sanguine junctos antiquitus traditiones quaedam, imprimis genealogiae, conservatae sint non scriptae. Recole tandem specialem Dei hac in re providentiam, quae stirpi electae prae ceteris gentibus ad servandas traditiones concedebatur.

Aliud est, quo traditionis sacrae puritas affici potuit, *linguae mutationes*, de quibus plura vide ad Gen. 11. Lingua primitiva utique non fuit hebraea. Habuerint in campo Sennaar Semitae linguam aliquam omnibus communem protosemiticam, e qua tamquam e communi fonte postmodum prodierint hebraea, assyra et aliae. Intra hanc linguam et per omnes ejus mutationes potuit traditio primorum temporum conservari substantialiter intacta, ea fere ratione qua in lingua germanica oratio dominica eadem permansit ab aevo Caroli Magni usque hodie, licet sensim in ore hominum quaedam mutarentur. Verum potuit esse, et probabilius fuit, lingua primitiva protosemitica antiquior et ab ea plurimum diversa. Etiam sic potuit traditio sacra providente Deo eadem perseverare, dum voces et lingua in ore hominum sensim mutarentur; idque tanto facilius, si patriarcharum aliqui prophetiae dono insigniti (cf. 2 Petr. 2, 5) puritati traditionis supponantur invigilasse.

Unum est, quod in spontanea eiusmodi linguae evolutione ceteris mutatis poterat facile perseverare immutatum, nomina quaedam propria, quae cum significationem haberent in lingua antiquiore, poterant sono eodem sed significatione iam impervia retineri. Cujus rei deprehenduntur saltem vestigia aliqua in nominibus Euphratis et Eden. Quippe nomen פרת originem traxit ab accadico *pura*, « flumen » (cf. ad 2, 14); Eden vero idem creditur esse atque accadicum *i-di-in*, quod in linguam assyriacam transsumptum sonat *idinu* et « planitiem » denotat (cf. ad 2, 8 et *Schrader KAT* p. 27). Cum antiquissima nomina propria (cf. Adam, Heva, Abel) derivarentur a proprietatibus rei maxime obviis, iisque specificis potius quam individuis, reapse veri simillimum apparet, homines et primum quod norint flumen appellasse ». *pura*, « flumen », et primam quam conspexerint planitiem *i-di-in*, i. e. « planities Non tamen hinc sequitur linguam primitivam fuisse ipsam accadicam, sed aut fuisse accadicam aut evolutione aliquando in hanc transiisse.

Alia est hypothesis, quam praetermittere h. l. haud possumus. Potuit traditio primitiva in antiquiore aliqua lingua tamquam *lingua sacra* praeservari, quoad haec ipsa lingua ex usu hominum evanuisset, dein tandem ex illa in linguam semiticam *versione* transferri. Potuit id etiam fieri salva traditionis puritate. Temporibus antiquissimis florebat in oriente et maxime ad Euphratem vertendi ars exstantque plurimi textus accadici, etiam sacri, adscriptam habentes versionem assyriacam sive interlinearem sive e latere adjectam. Tamen Geneseos narratio eum prae se fert nativum saporem, quo indicatur non versione esse ex altera lingua transsumpta, sed sponte in sua lingua et cum illa crevisse.

Porro, si sacrae hujus traditionis origines et processus rimere, facile perspicies, non totam simul esse natam, sed successivis auctam incrementis. Acta in paradiso ipsis generis humani primordiis tradi coepere, serius Cainitarum et Sethitarum fata, serius etiam acta Noe, dum genealogia sacra arboris instar novos continuo produceret ramos. Singulae generationes et tradita a majoribus religiose servabant et sua, si quae erant, addebant. Neque *diversis* tantum *temporibus* diversae nascebantur pericopae, sed *diverso* eaedem *stilo* conceptae. Eratne idem omnino dicendi genus iisdemque distinctum expressionibus tempore diluvii, quod in paradiso floruerat? An iisdem omnibus, quibus Noe aut Adam, idiomatibus delectabantur Abraham aut Jacob? Debuere profecto in illis traditionibus *stili differentiae* deprehendi. Fingat utique aliquis, non eo in libro Genesis stilo res narrari, quo ab Adam, Noe aliisque narrari coeptae sint, sed totam narrationem a redactore funditus esse recusam ejusque stilo conformatam : ast hypothesis ea est non gratuito adstruenda, sed certis rationibus stabilienda. At non stabilietur : differentias stili in Genesi observari libentes concedimus. Quibus concessis, non ideo a limine excludi censendum est systema traditionis, sed sedulo dispiciendum, an eae sint illae differentiae, quae in eo systemate explanari nequeant, an secus.

Sententia modernorum solo *critico*, quodcunque illud tandem sit, fundamento nititur; sententia antiqua solidum *historicum* habet fun-

damentum, quale sc. e testimonio traditionis continuae coalescit. Quod si illud praeterea demonstremus, in eadem sententia dari sufficientem explanationem ejus, quae in s. textu indubie obtinet, stilorum diversitatis, sententiam illam ab adversariorum calumniis efficaciter vindicatam et ob momentum *historicum simul et criticum* unice tenendam habebimus.

Porro vel obiter rem intuenti patet, traditionum libro Genesis reconditarum tria merito distingui strata.

Primum est *stratum adamicum* seu *praenoeticum*, ab initio libri ad diluvium usque; quae traditiones debuere ab Adam initium sumpsisse et ante diluvium esse substantialiter completae, licet fortasse Noe illis supremam manum admoverit, eas colligendo et complendo. Quascunque quis fingat earum ante diluvium traditionum fuisse vicissitudines, per unum Noe illae ad posteros certa forma et erroris expertes transmissae sunt.

Secundum est *stratum noeticum* seu *praeabrahamicum* complectiturque illas, praeter adamiticas, traditiones, quas Abraham e terra Sennaar secum asportavit, imprimis narrationem diluvii, filiorum Noe acta et progenies, genealogiam Sem.

Tertium est *stratum abrahamicum* seu *praemosaicum*, eas complectens traditiones, quae post discessum e terra Sennaar natae sunt.

4. *Traditionis stratum primum.*

Tribus prioribus capitibus narrata ab *Adamo* primo tradita fuerint oportet. Cosmogonia ostendemus referri visionem ipsi factam. Ab ipso item ortum duxisse dicenda est pericope 2,5-4,16. Ipse (praeter Hevam) unus norat, quae cap. 2 sq. acta narrantur; ab ipso traditionem caedis Abel profectam esse admittere cogeris, cum sane ab ipso potius, quam a Cainitis aut aliis, eam Sethitae traditam acceperint. Aliunde vero narratio est tam vivida, ut a teste immediato primum profecta esse non imprudenter defendatur; stilus a diffusiore Generationum Noe stilo tam diversus, ut diversum ipsoque Noe antiquiorem auctorem merito sibi vindicare videatur.

Stili quasdam urgent differentias, ob quas Cosmogonia suo illi elohistae, sequentia iahvistae adiudicent auctori. Sermonem inde a 2,4 aiunt esse longe vividiorem : respondeas, in Cosmogonia narrationem adstringi schemati cuidam perquam articuloso, quo sermo evadat simul et magis gravis minusque vividus. — Monent 2,7.19 hominis animaliumque productionem exprimi non per עשה vel ברא, sed per יצר; sed nota 2,7 describi hominis corpus a Deo *formatum*, itemque animalia v. 19 *formata* exhiberi; dum 1,25 sq. utrumque factum voce generica עשה exprimitur, et alterum 1,27 voce ברא. 6,7, quem locum ipsi iahvistae attribuunt, habetur verbum

ברא. Ergo et adhibiti 2,7.19 verbi יצר perspicitur ratio, neque ברא ab iis omnino textibus exsulat, qui arbitrarie assignantur iahvistae. — Dum 1,24 sq. 30 et (cum pro ובכל הארץ probabilius corrigendum sit ובכל חית הארץ) forte etiam v. 26 legitur חית הארץ, habetur 2,19 sq.; 3,1.14 חית השדה, similiterque 2,5 שיח השדה, 2,6 et 3,18 עשב השדה. Respondeo, cum Cosmogoniae schema id exigat, ut eaedem expressiones identidem repetantur, hinc adhibita v. 24 expressio חית הארץ debebat v. 25.26. 30 retineri; illi quatuor textus in unum recidunt et obiectio evanescit. — Si quae inter Cosmogoniam et pericopen sequentem leviuscula exsistat stili diversitas, ea inde sufficienter explicatur, quod Cosmogonia in omnium semper ore fuerit, in sabbatorum fortasse conventibus recitaretur, hincque ad sermonem vulgarem propriùs accesserit.

Praeter 1,1-4,16 etiam 4,17-26 et 6,1-8 primo traditionis strato concedimus, quae pridem una cum praecedentibus et inter se continua fuerint narratio. Neque tamen haec universa ab Adam profecta censemus, certe non 6,1-8. Etenim divina comminatio 6,3 pronuntiata fuit centum et viginti ante diluvium (1307) annis, ergo non ante annum ab orbe condito 1187. Quo tempore Adam dudum erat vita functus. Sed haec ipsi ab Adam profectae traditioni accrevere, stilo perseverante vix non eodem.

4,17 arcte cum 4,16 connectitur : post indicatas Caini sedes recensetur filius. At 4,17-26 et 6,1-8 unam efficiunt narrationem. Cainitarum genealogia ita describitur, ut eius gentis effrenatam indicet licentiam. Recensetur 4,25 sq. Seth, priorum Sethitarum pater. Narrantur 6,1-8 Sethitarum et Cainitarum, « filiorum Dei » et « filiarum hominum » infanda connubia, atque in eorum poenam decreta divinitus cunctorum destructio. Haec omnia reapse sunt una. E contra, nisi 6,1-8 et 6, 9 sqq. diversis fontibus adscribas, non cernitur ratio, cur decernendi diluvii occasio 6,1-8 *ante* Generationes Noe enarretur. — Aliqua stili idiomata afferunt, sed quae per se spectata non magni sunt momenti. החל v. 1 comparant cum eadem voce 4,26; 10,8; 11, 6 (cf. etiam 9,20) : tamen vocem solius iahvistae propriam esse non demonstrant. — v. 1.7 על פני האדמה *Budde* p. 8 sq. declarat esse prorsus iahvisticum, appellans 4,14 et 7,4.23. Sed cap. 7 esse iahvisticum diversique a 6,9-22 auctoris, gratuito asseritur et 7,3, in eodem cum 7,4 contextu, legitur על פני הארץ. Quid ergo in ea tandem expressione iahvisticum est? an פני על? sed illud habes 1,2. An האדמה prae הארץ? at earum vocum scriptor 7,3 sq. nullum discrimen agnovit. 2,5-4,26 utique praevalet אדמה : 2,5.6.7.9.19; 3,17.19.23; 4,10.11.14. ארץ, praeter specialem regionem (2,11.12.13; 4,16) videtur designare terram vel regionem universim acceptam (2,6; 4,12.14), אדמה e contra terram ut arabilem. In generationibus Noe utraque vox simul scribitur 7,4.23; 8,13; 9,2. In expressione « ea, quae moventur super terram » 6, 20; 7,8.14.21; 8.17.19; 9,2 modo אדמה, modo ארץ usurpatur.

Ceterum in his adversarium habemus neminem, cum nostri discernendis Geneseos fontibus vix operam impenderint, recentiores vero critici haec omnia (2,4-4,26; 6,1-8), pauculis quibusdam exceptis, uni tribuant auctori, quem plerique iahvistam vocant. Cur Cosmogoniae stilus a sequentibus quadamtenus discrepet, rationem attulimus supra.

Porro, dum hae rerum antediluvianarum traditiones formabantur, inde fere a mundi primordiis succrescebat aliud quoddam diversae indolis documentum, *Liber Generationis Adam;* ubi praefixa vox *liber* vestigii est instar, eam primitus genealogiam fuisse a praecedentibus, et hinc etiam a sequentibus (6,1-8), quae cum illis arctissime cohaereant, distinctam. Est ea autem documentum non operose e codicibus collectum, non acu consutum, non forcipe et glutine formatum; sed sponte natum ante codices omnes ea fere ratione, qua apud Arabes etiamnum nascuntur et adolescunt genealogiae. Primorum patriarcharum in tentoriis recitabantur nomina et anni aetatis, quando filium principem genuissent, reliqui item vitae anni et mors. Post funus quodque novus carmini accedebat versiculus; versiculus laeti natalis memoriam servabat. Quo tenacius res memoriae inhaereret, certis quaeque formulis enuntiabantur, nunquam, nisi quatenus lingua ipsa mutaretur, mutandis. Unde non mireris, si unam alteramve expressionem antiquatam offendas. Qualis certe est forma הוליד (« parere fecit », accurate dictum de patre, dum secus minus accurate dici consuevit ילד). Hanc, praeter locos poeticos Iob 38,28 et Is. 59,4, in solis reperis *sacris* genealogiis cap. 5 et 11, et ex illis imitatione transsumptam in Gen. 17,20; 25,19 (10,8 apud Sam.); serius item 1 Par. 4,2 sqq.; 5,30 sqq.; 8,1 sqq.; 9,39 sqq. Nudae genealogiae aut primitus interserebantur aut postmodum additae sunt modo nominum explanationes (5,29) modo narratiunculae (5,22 sqq.). Fuerintne horum intersertorum antiquitus plura, quorum Genesis auctor aut alius ante ipsum aliqua suppresserit, quis definire valet? Porro eas Adae Generationes diluvio ereptus Noe complevit, additis vitae summis et mortis annis pro Iared, Mathusala, Lamech diluvio absorptis, itemque trium filiorum nominibus (5,31 ויולד).

Ex dictis porro satis patet, cur hujus, itemque sequentium genealogiarum, stilus ab aliarum pericoparum stilo quadamtenus discrepet et propius ad stilum Cosmogoniae accedat.

5. *Traditionis stratum alterum.*

Secundum traditionis stratum illud est, quod noeticum seu praeabrahamicum appellare placet; cujus pars longe potissima ea est, quae nunc inscriptione *Generationes Noe* insignitur (6,9-9,29). Hic nobis cum criticis modernis cominus omnino est dimicandum, haec eorum systematis tutissima arx. « Inde ab *Hupfeld* et *Schrader* », inquit *Budde* p. 248, « res haec in comperto est. Clare et certo integrae duae narrationes, Libri sc. fundamentalis » — germ. Grundschrift — » et

Iahvistae ab invicem fuere discretae ». Uberior h. l. nostra sit disputatio oportet. Argumentum e nominibus divinis petitum supra expedivimus. Alterum adversarii argumentum desumunt a rebus *bis narratis*, ideoque a diversis sane auctoribus narratis, cum difficilius idem auctor eadem supponatur enarrasse bis.

Igitur Generationes Noe ei, quod toti subest Genesi, schemati adaptantur. 6,9-12, quem versum etiam *Hebr.* inserto ב a sequentibus secernit, prooemii rationem habet, quod post titulum consuetum succincte repetit Noe virtutem, filiorum nomina, diluvii causam carnis universae corruptionem. 9,28 sq. narratio absolvitur adscriptis reliquis vitae Noe annis eiusque morte, ad instar genealogiae Sethitarum. Ipsius narrationis primum locum obtinet *mandatum aedificandae arcae* 6,13-22. Et v. 13 quidem divinum promulgat decretum, v. 14-16 arcae rationes, v. 17-21 eiusdem usum explicat, ut sit vera *foederis* arca, semen electum cum animalibus et escis e ruina eripiens. Pro clausula est v. 22 : « Fecit igitur Noe omnia, quae praecepit illi Deus ». Eadem sententia claudit pericopen 7,1-5, quae nequaquam iterat mandatum aedificandae arcae, sed aedificatae *arcae ingrediendae mandatum* tradit. Quod mandatum e 7,4 datum est septiduo ante coeptum diluvium, dum prius illud diu ante dari debuit. Aliqua in altero distinctius quam in priore enuntiantur mandato : animalia assumenda esse non solum munda sed item immunda, et horum quidem paria bina, illorum septena; pluviam duraturam esse diebus quadraginta. Neque tamen ideo mandatum alterum dici potest mera prioris repetitio.

Maior in sequente pericope 7,6-24 habetur difficultas, ubi v. 6-10 et v. 11-16 ita inter se sunt affinia, ut aliqua repeti quisque perspiciat. Et primum quidem diluvii v. 6 tempus per annum vitae Noe breviter definitur. v. 7-9 *ingressus in arcam*, qui v. 5 omnino obiter attingebatur, pluribus describitur verbis e v. 2 sq. mutuatis. v. 10 diluvii initium elapso, quod v. 4 indicebatur, septiduo commemoratur. At v. 11 rursum diluvii tempus accuratius per mensem etiam et diem determinatur, expressis duabus diluvii causis, aquis sc. superioribus et inferioribus. v. 12 non septiduum quidem versu 4, at vero quadraginta dies ib. praenuntiati commemorantur. v. 13 ingressus familiae Noe iisdem fere, atque v. 7, verbis refertur, nisi quod octo servatorum numerus distinctius exprimatur. v. 14-16 ipse, qui v. 8 sq. narrabatur, animalium ingressus rursum describitur, verbis tamen e 6,19 sq. potius, quam e 7, 2 sq. transsumptis. Inde a v. 17 tandem diluvium ipsum, quod v. 10 una sententiola exprimebatur, fusius describitur : in se v. 17-20, in ruina effecta v. 21-23, in sua duratione v. 24. Quis non videat in his plura repeti? Ubi advertas :

1) Aliqua in hac narratione ab uno etiam eodemque narratore repeti, vel adversarii admittere coguntur : stilus non est concisus, sed diffusus. Ita bis v. 6 et v. 11 idem, uti adversarii volunt, auctor annum sexcentesimum Noe commemorat; idem auctor, alius tamen a scriptore v. 6.11, bis v. 4.10.12 septem dies et quadraginta dies commemorat; tam elohista quam iahvista plurimi sunt in recensendis animalium classibus.

2) Genus illud narrandi, quo res primum compendio veluti narratur, postea fusius tradenda, a genio Hebraeorum minime est alienum. Praeterea assignari possunt rationes, cur noster auctor aliqua ex ante dictis resumpserit et explicaverit. Tempus coepti diluvii primum anno vitae patriarchae tantummodo expresserat, quae hucusque unica ratio fuerat temporum describendorum. Verum, quod mox tempora per menses etiam et dies esset definiturus, 7,11 coepti diluvii mensem et diem supplevit.

v. 13 putavit, numerum sibi hominum in arca servatorum distinctius esse exprimendum, quam id v. 7 fuerat factum : erat quippe ille numerus summi momenti res. Erat item omnino edocendus lector, omnium classium et specierum animalia, munda atque immunda, masculos et feminas in arcam esse recepta. Genus vero narrandi prolixius admirationem facit nullam in narratore sene, sene inquam plus sexcentorum annorum.

3) Quodsi adstruere malis duas aliquando, fortasse vel ante concinnatum Pentateuchum, exstitisse narrationis de ingressu arcae recensiones, longiorem alteram v. 11 sqq., quae in breviorem formam v. 6-10 contracta fuerit, tandemque utramque in textum sacrum esse confusam, id defendere textus sacri neque reverentia neque veracitate prohiberis. Eiusmodi s. textus quandoque passus est fata. At nullo iure hinc inferat aliquis, narrationem etiam 6,9-7,5 e duabus esse compactam. Quae utique una est et individua narratio.

Verum etiam inde a 7,17 repetitionem sapiunt aliqua, quod clarius perspicies collato textu hebraeo. v. 17 habes ירבי המים, v. 18 ויגברו המים וירבו מאד על הארץ, v. 19 חמש עשרה אמה מלמעלה גברו המים, v. 20 illud מאד מאד explicatur והמים גברו מאד על הארץ. Rursum v. 19 habes ויכסו כל ההרים הגבהים אשר תחת כל השמים, v. 20 ויכסו ההרים. v. 21 enumerantur omnes animalium classes, quae diluvio consumptae sunt; v. 21 sq. idipsum repetit (« universi homines et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt »); יקום v. 23 rursum eadem cum homine animalia designat. Sed cave, lector, ne critices studio abreptus stili artem penitus ignores. Nonne ridicule post diluvium decem versibus annuntiatum, quatuor versibus praeceptum arcae ingressum, et septem versibus eundem descriptum, ipsum tandem diluvium uno alterove versiculo narrabatur? Concedenda aliqua narratori, maxime hebraeo eidemque seni, libertas. Adverte, quam apte diluvium per tot continuos dies specie *idem* perseverans, tantoque magis *idem*, quanto magis omnia sensim aquis mergerentur, earumdem expressionum *repetitione* pingatur.

v. 17 et *multiplicatae sunt* aquae — et *sustulerunt* arcam, et elevata est de terra »;

v. 18 « et *invaluerunt* aquae et multiplicatae sunt *valde* super terram, — et *ibat* arca super faciem aquarum »;

v. 19 « et aquae invaluerunt *valde valde* super terram, — *opertique sunt* omnes *montes* excelsi sub universo coelo »;

v. 20 « *quindecim cubitis* desuper invaluerunt aquae, — opertique sunt montes ».

Annon efficacem gradationem habet illud « multiplicatae sunt — invaluerunt valde — invaluerunt valde valde — quindecim cubitis invaluerunt »? Annon aliud est « sublevari » arcam, aliud sublevatam « ire »? Annon grave illud et impeditum dicendi genus narratorem prodit, qui ipse super interminum illud et uniforme pelagus delatus sit diebus amplius centum quinquaginta? Etiam ea, quae v. 21-23 repetitionem sapiunt, suum habent pondus : repetito omnia exstincta esse inculcantur, quo altius mentibus haereat illud : « remansit autem *solus* Noe et qui cum eo erant in arca ». Haec omnia nullo laborant pleonasmi vitio, non sunt consuti centones, sed ex uno veluti calamo tota insignis fluxit oratio. Idem dicendum de narratis cap. 8 et 9.

Urgent neoterici Generationes Noe, prout ab ipsis distinguantur, sponte neque ulla adhibita vi aut arte in duas dilabi narrationes; siquidem 6, 9-22; 7, 6. 11. 13-16. 18-21. 24; 8, 1-5. 13ª. 14-19; 9, 1-29 unam continuam efficere narrationem, cui 7, 1-5. 7-10. 12. 22 sq.; 8, 6-12. 13ᵇ. 20-22 commode tamquam alterius cujusdam narrationis fragmenta inserta esse concipiantur.

Tamen adverte, non omnia sponte in hanc hypothesin conspirare, sed forcipe opus esse quandoque. 7, 12 e contextu excisum tribuere coguntur ei auctori, qui v. 4 « quadraginta dies » descripserat. 8, 13[a] ei concedunt scriptori, qui alias temporum annos, menses, dies computat; sed 13[b] alteri attribuunt, cui « fenestrae » v. 6 cura concredebatur. Sed illud praeprimis pensandum venit, tota ea sacri textus comminutione tandem effici illud unum, *potuisse* unam nostram e duabus sic oriri narrationem, non vero sic reapse esse ortam. Nonne in plurimis prolixioribus narrationibus quaedam sunt accessoria, quae impune queant exscindi, narratione perseverante substantialiter integra? Nonne eo ritu sat multas Caesaris aut Livii narrationes licebit in duas duorum auctorum elucubrationes dissecare?

Alio porro argumento placita sua fulciunt adversarii, *duplicis rationis, qua diluvii tempora definiantur :* modo sc. adscribitur annus, mensis, dies 7,11; 8,4 sq. 13 sq.; modo traditur dierum summa septem vel quadraginta 7,4. 10. 12. 17. Quam duplicem numerorum seriem aiunt discordare, ideoque illos cap. 7 et 8 versus, qui prioris ordinis numeros exhibent, a reliqua narratione exscindunt. Numeros non discrepare, suo loco ostendemus. Num est res plane incredibilis, unum eundemque scriptorem et principaliores eventus adscriptis anno, mense, die definivisse et ea, quae minoris essent momenti, dierum summa, imo fortasse numero rotundo expressisse? Sane id facilius supponetur, quam textus cap. 7 in decem frusta secetur. Esto vero, non alium quam iahvistam potuisse scribere numeros « septem » et « quadraginta » : quo profecto jure elohistae « centum quinquaginta » dies 7,24 et 8,3 permittuntur?

Urgent adversarii, elohistam suum frequenter et rebus et expressionibus *ad Cosmogoniam alludere,* dum iahvista eandem ignorare videatur. Miram sane iahvistae ignorantiam, cum vel ethnici cosmogonias noverint nostrae similes! Sed cedet admiratio, ubi adverteris, narrationem eo praecise consilio in frusta discindi, ut, quaecunque ad Cosmogoniam alludant, quaecunque numeros habeant sacros vel rotundos, elohistae prae iahvista tribuantur. Lusus est hic a sana critica alienus.

Igitur 6, 20 et 7, 14 elohista uti 1, 25 sq. animalium classes enumerat expressione למינהו, למינהו; uti 1, 21 (ubi tamen legitur terminus compositus עוף כנף) scribit 7, 14 כנף; uti 1,27 ita 6,19 et 7,9. 16 sexus designat vocibus זכר ונקבה, iahvista 7,2 scribente איש ואשתו. Mandatum 9, 1. 7 « Crescite et multiplicamini » (cf. 8, 17), est repetitio prioris mandati 1, 28 sqq. Verba, quibus 7, 11 et 8, 2 diluvium describitur, aliquibus in memoriam revocant 1, 6-8. Divina imago inculcatur 9, 6. De cibis uti 1,29 agit 6,21 et 9,3. חיה uti 1,24 sq. feras designat 7,14. 21; 8,1. 17. 19; 9,2. 5. Voces ארץ et רמש leguntur 7, 21; 8, 17; 9, 7 et 6, 20; 7, 14. 21; 8, 17. 19; 9, 2 sq. Iam, inquiunt recentiores, harum expressionum triginta fere reperiuntur in pericopis, quas

elohisticas vocamus, nulla in iahvisticis : quid evidentius, quam eas pericopas iure merito distingui? — Verum adverte 7,9 et similiter 7,16 זכר ונקבה legi in versu, qui secus totus iahvistae concedatur : sc. ibi R eam expressionem ex A transscripsit in C (*Dillm.*)! Expressionum laudatarum undecim omnino leguntur in cap. 7, ubi nominum divinorum lectiones masor. incertae : textum moderni distinguunt unice ex expressionibus, numeris sacris et rotundis iisque, quas ipsi adstruunt, repetitionibus. Circulo circumferuntur vitioso.

Quae praeterea moderni appellant *idiomata*, ea minus etiam efficiunt.

De אדמה et ארץ dicebamus supra. — Ad varium ordinem, quo personae recensentur 6, 18; 7, 1. 7. 13; 8, 16. 18, cf. ad 6, 18. — De variis fenestrae 6, 16; 8, 6. 13 appellationibus cf. ad 6, 16. — De substantivis יצר et יקום cf. ad 6, 5 et 7, 4. — De בדורתיו et בדור הזה 6, 9 et 7, 1, cf. ad 7, 1. — De מי המבול 7, 7. 10; 9, 11, cf. ad 7, 7. — De מחה et שחת cf. ad 6, 13. — De זכר ונקבה cf. ad 7, 2. — Manent minusculae aliquae ratiunculae. Iahvista, inquiunt, tempus denotat praefixo ל 7, 4. 10. Qui duo textus reapse unicum efficiunt testimonium, agitur quippe de una eademque re. Etiam 8, 11 tempus praefixo ל denotatur, neque tamen ulla sufficiens profertur ratio pericopae 8, 6-12 alteri tribuendae auctori. Similiter tenent; elohistam in enumerandis animalium classibus uti praepositione ב (7, 21; 8, 17; 9, 2. 10. 15 sq.) : verum בין et ב simul reperiuntur 8, 17, quem versum illi elohistae concedunt, itemque 7, 21 sq., quos duos versus uni tribui auctori contextus exigit. Elohista delectari fertur expressione כל בשר. Reapse ea habetur 6, 12, ubi factum corruptionis enuntiatur; 6, 13. 17. 19 in decreto hoc factum consequente; 7, 15. 21 in eius decreti exsecutione; 8, 17 in mandato arca egrediendi; 9, 11. 15-17 in divina benedictione et promissione. Ea igitur expressio in diluvii narratione adhiberi omnino consuevit. Ei 7, 4. 23 substituitur vox יקום *substantia*, non quod alius loquatur auctor, sed quod utroque versu expressio quaeratur magis emphatica et grandisona. Expressio vero כל חי, כל החי, כל החיה generatim simul legitur cum כל בשר (6, 19; 7, 14; 8, 17. 19), tamen 8, 21 etiam sine hac expressione. Audacius eiusmodi ratiunculis diversos critici inferunt auctores. Et haec quidem sufficiant. Cf. etiam *Tablet* 1894 p. 164 sqq., 283 sqq.

Quae si omnia simul pensentur argumenta, fatendum est modernos nequaquam demonstrasse diluvii narrationem e duabus ortum duxisse. Est et aliud extrinsecum argumentum, quo illam non ab auctore Geneseos e duobus documentis esse consutam indubie stabilitur. *Narratio sc. cuneiformis*, quae certissime non est ex Geneseos narratione derivata, praeter ea, quae elohistae propria attribuuntur, ea quoque habet, quae solius sunt iahvistae : ergo haec omnia, antequam in Genesin reciperentur, unam efficiebant traditionem et narrationem.

Narratio cuneiformis non est unum cum narratione biblica documentum : plura habet, quae illa ignorat; plura ignorat, quae in illa reperiuntur. Sed ambae e communi traditionis primitivae fonte derivantur. A quo propius abest narratio biblica, longius cuneiformis, quae etiam mythologicis abundat. In ea citanda numeris ro-

manis columnam, arabicis columnae lineam designamus. Quaedam utique narrationis cuneiformis partes, v. g. I. 11-16. 36-38, ita sunt obliteratae, ut legi nequeant. Igitur I. 17-52 refert divinum arcae aedificandae mandatum (cf. Gen. 6,14-22), cui Xisuthrus (= Noe) se obsecuturum esse profitetur; speciatim describitur arcae longitudo, latitudo, altitudo, tectum et ea, quae in arcam sint comportanda. II. 1-29 narratur aedificatio arcae; commemorantur variae contignationes (cf. Gen. 6,16), bitumine omnia liniuntur (6,14). II. 30-34 sermo est de tempore a numine statuto, quo diluvium incipiat (cf. Gen. 7, 4), navis intranda praecipitur (7, 1), ostium clauditur (7,16). II. 35-39 intrant in arcam (7,7. 13). II. 40-III. 18 diluvium describitur pluribus intersparsis mythologicis. III. 19-23 pluviae duratio septiduo circumscribitur (cf. Gen. 7,4. 10 « quadraginta dies »). III. 24-31 referuntur omnes homines periisse (7,21-23) et omnia aquis esse oppleta (7,18). III. 32-37 arca septiduo ad montem Nizir subsistit (8,4). III. 38-44 aves emittuntur (8,6-12). Tandem III. 45-IV. 5 omnes navi excedunt offerturque holocaustum (8, 18-20). IV. 6-30 dii de eo inter se holocausto colloquuntur promittuntque, non ultra fore diluvium (8,21; 9,15). Iam in his praeter ea, quae ad pericopas spectant elohisticas, alia cernuntur non pauca, quae ad Gen. 7 referuntur, quod caput nominibus divinis incertum partim elohistae assignatur et partim iahvistae; sunt, quae moderni uno ore iahvistae tribuunt, uti ostium arcae clausum, aves emissae, holocaustum oblatum. In temporibus describendis nunquam exprimitur annus, dies, quod elohistae proprium censetur, sed summa dierum, quod iahvistae solemne esse pronuntiatur. Merito igitur *G. Bickell* (Zeitschrift für Kath. Theologie I. 128 sqq., Innsbruck 1877) et *F. Vigouroux* (Bible I. 192 sq. 250) contendunt, narratione cuneiformi ea subverti modernorum argumenta, quibus nonnisi diu post Moysis tempora biblicas de primordiis mundi narrationes concinnatas esse defendant. Una profecto antiquitus continua erat diluvii narratio tam ea, quae elohistae, quam quae iahvistae tribuuntur, complectens.

A qua se modernorum aliqui conclusione ut expediant, narrationem biblicam, mirabile dictu, e traditione babylonica, qualis cuneiformibus exhibetur, ortum duxisse contendunt. Ita *Del.* Par. p. 94 narrationem cum elohisticam tum iahvisticam post exsilium fingit esse concinnatam et utramque ex fontibus Babylonicis derivatam. *Schrader* KAT p. 54 : « quod tempus attinet », inquit, « quo chaldaica ad Hebraeos transmigraverit legenda, id unum certo possumus affirmare, id non serius factum esse quam narratoris iahvistae prophetae aevo, c. 800 a. C., quippe qui legendam suo inseruerit operi... Imo neque illud absurdum censemus, hos aliosque antiquissimos mythos Hebraeis primum innotuisse, quo tempore ipsi Babyloniam adhuc incolerent, atque ex Ur Chaldaeorum ab ipsis in Palaestinam esse transsumptos. Tempus utique, quando hae legendae cum Cosmogonia fuerint in spiritu Hebraeae antiquitatis recusae, recentius adstruere necesse non est Hebraeorum e Babylonia migratione ».

Horum pars falsa est, pars aequo timidior. Izdubari acta, quibuscum narratio diluvii cuneiformis connexa cernitur, iam antiquitus inter Babylonios celebrabantur et perantiquis quibusdam sigillis expressa conspiciuntur. Item in documentis anni c. 2000 a. C. habetur mentio « civitatis navis » Surippak, et alia similia (cf. *G. Smith :* Chaldäische Genesis, Leipzig 1876, p. 144 sq.). Ergo, etiamsi defendas eas traditiones a Babyloniis ad Hebraeos esse derivatas, non ideo adstruere cogeris recentiori id tempore factum. At gratuito traditiones illae a Babyloniis supponuntur ad Hebraeos transmissae. Babyloniorum quippe narratio certe in pluribus a veritate recedit, mythologicis commentis abundat : narratio biblica speciem prae se fert stricte historicam. Consuevere porro narrationes fictae corruptione oriri ex historicis, non hae

ex illis. Praeterea constat, Babylonios, Phoenices aliosque Asiae anterioris populos *suas* de mundi primordiis habuisse traditiones; cur suas Hebraeis denegemus traditiones et a Babyloniis mutuatas pronuntiemus? Quod tanto minus est ferendum, quod indubie Hebraei suas de Abrahamo, Isaac, Iacob aliisque habuerint traditiones, maxime explicitas et fictionum expertes, a Babyloniis certe non acceptas; nulla igitur appareat ratio, cur illis non propriae traditiones de aevo Abrahamo anteriore concedantur. Non igitur e Babyloniorum commentis fluxit Hebraea veritas, sed tam Hebraea quam Babylonica narratio ex communi fonte traditionis sacrae Semitarum profectae sunt, quae apud Babylonios quidem in plurimis est adulterata, apud Hebraeos pura perseveravit. In qua antiqua Semitarum traditione et ea erant, quae elohistae, et ea quae iahvistae a modernis adscribuntur.

Discussis igitur adversariorum argumentis nulla relinquitur ratio, cur Generationes Noe unam et individuam negemus esse unius auctoris narrationem. Quae thesis collata cuneiformi narratione ita indubie confirmatur, ut, etsi quis in variis illius partibus diversum se stilum deprehendere putaret, eum temere explicaret e narratione illa primitus e duabus compacta, sed cogeretur concedere eam diversitatem in narrationem pridem unam posterius irrepsisse, cum ea sive oretenus sive scripto a diversis liberius traderetur, ac demum e diversis diversum induta colorem rursus colligeretur.

Porro actorum Noe primum narratorem censemus exstitisse ipsum Noe. Plura ipse norat solus, omnia sc. ad se facta divina alloquia. « Generationes Noe Gen. 6,9 sqq. », inquit *F. Kaulen* (Einleitung, 2. Aufl., Freiburg i. B. 1884, p. 163), « ita *diarii* indolem prae se ferunt, ut a pluribus creditae sint ipso diluvii aevo primum esse concinnatae ». Narratio, quod infra pluribus ostendemus, certe est testis immediati, qualis utique fuit Noe. Dicendi genus amplum, non raro verbosum, tam diversum a stilo priorum capitum, omnino congruit seni nato annos plures sexcentis.

De *Generationibus Sem* 11,10-26 non est, cur multa dicamus. Ortae sunt eadem, qua Generationes Adam, ratione, imo earumdem exstitere individua continuatio. Iisdem servatis expressionibus inter posteros paulatim crevere, cum illis in campum Sennaar descendere, indidem ab Abraham in Chanaanitiden sunt delatae. Desiderantur tamen patriarcharum mortes summaeque annorum vitae, ni textum Sam. haec habentem anteferas. Fortasse genealogiae a variis non eadem adamussim ratione recitabantur, ut auctor Genesis pro antediluvianis genealogiam prolixiorem, pro postdiluvianis concisiorem prae manibus habuerit.

At aliud inter Generationes Noe et Sem insertum legitur documentum, *Generationes filiorum Noe*, non singulorum hominum origines, sed nationum affinitates describentes. Quae apud varias Noachidarum tribus magis etiam differebant inter se, quam patriarcharum, ubi exstabant, generationes. Tribus sc. quaeque eas accuratius gentes recensebat, quae sibi essent aut sanguine conjunctiores aut finibus contiguae; varios mythos de suis civitatibus fundatis inserebat. Traditio sacra ab ejusmodi utique mythis permansit immunis.

Hujus pericopae ob rationes alibi fusius discutiendas aliquam admittimus compositionem, sed quae in systemate traditionis non sufficienter solum, sed planius etiam quam e modernorum placitis explicetur. Rem concipimus ita. Genealogiae partes antiquiores fuere hae : v. 1-7. 20.22 sq. 31 sq. Quas jam tenebant Arphaxadaei in terra Sennaar Cuschitarum imperio subiecti, Aramaeorum contermini, Gomeritis et Iavanitis prae reliquis Iaphetidis viciniores. Quare earum gentium etiam tribus recensebant. Ignorabat vero haec genealogia antiquior, praeter alias sine dubio plures, tribus Mesraimo et Chanaano prognatas, quippe quae interjecto separarentur deserto. Quam genealogiam, qua forma trans Euphraten a majoribus traditam acceperat, in Chananaeam detulit Abraham ibique pro locorum conditione complevit, expressionibus usus non plane iisdem. Addidit sc. Nemrodum, e cujus regno secesserat, Mesraimitarum et Chananaeorum tribus, inter quas ipse peregrinabatur posterosque norat esse habitaturos, Iectanidas recentius ab Arphaxadaeis separatos suisque ceteris affiniores, tandemque turris aedificationem, quae dispergendorum populorum occasio fuisset.

Eundem patriarcham putaverim paradisi descriptioni 2,10ᵇ-14 inseruisse accuratam *situs paradisi* rationem; quae non ante debuit esse in votis, quam cum ab eo situ longius secederet stirps electa.

6. *Traditionis stratum tertium.*

Sicut genealogia Adam 5,31, ita 11,26 genealogia Sem in tria desinit nomina; et sicut illa tria nomina 6,10 initio sequentis Tholedoth repetuntur, ita 11,27 alia illa tria nomina. Egressus e Chaldaea uti ingressus arcae initium est novae pericopae, quae longius quam 11,27-32 (*Dillm.*) progressa universa Abrahae acta complectitur inscribiturque *Generationes Thare*, quo sc. duce stirps electa exodum e Chaldaea suscepit. Foederi cum Noe inito succedit alterum cum Abraham sancitum. Cur initio cap. 12 non scribatur titulus « Generationes », dicetur infra.

Narrationis sunt partes tres : peregrinationes Abrahae 11,27-14, 24;

fides Abrahae 15,1-22,19; supplementum 22,20-25,11. Secunda pars est, uti patet, potissima.

Pars prior Abrahamum veluti per varias *itinerum stationes* deducit; ubi *Sam.* cap. 12 sq. textum ita distinguit, ut singulae stationes suam habeant pericopen. Stationes intra terram sanctam sitae (non Haran, non Aegyptus) exstructo quaeque altari consecrantur. Sunt autem stationes hae :

11,27-32 ab Ur usque Haran,

12,1-7 ab Haran usque Sichem,

12,8 a Sichem usque Bethel,

12,9-20 per Negeb in Aegyptum,

13,1-18 ab Aegypto in Bethel et Hebron;

14,1-24 agmen claudit victoria de Euphratensibus reportata.

Est etiam in hoc narratoris ars, ut is, qui fugitivi instar Euphratensium finibus excesserit, eosdem in novis a Deo promissis finibus fundat. Quae ars unius narratoris index est.

Narrator igitur, Generationes ad instar antiquiorum generationum exorsurus 11, 27.32 formulas adhibet in eiusmodi generationibus adhiberi solitas, quin concludere indidem fas sit, eos versus ab alio esse scriptore insertos. Simili omnino ratione 23, 1 sq. Sarae et 25, 7 sq. Abrahae anni vitae et mors describuntur, ubi tamen usitatis hucusque expressionibus aliae accedunt vel succedunt : ואלה שני חיי שרה, אברהם אשר חי. Quae rursum argumentum diversi auctoris non efficiunt : unus enim idemque auctor et iis, quas ex antiquiore traditione callet, expressionibus utitur, et suas de novo adiicit. Neque diversi auctoris sunt 11,31; 12, 4b.5 ob adscriptos aetatis annos, ob enumerationem sociorum. Sicut aetas recensebatur Noe arcam ingredientis, ita traditur aetas Abraham e Haran egredientis. Operae sane pretium erat Abrahae in tam gravi exodo socios accurate recensere. v. 4a dicitur Lot cum Abraham *ivisse*, sc. sponte ambo divinae vocationi obsecuti sunt; v. 5 rursum Lot iis adnumeratur, quae Abraham secum *tulerit* : an ideo duo auctores adstruendi? — Urgent, narratorem itineris Aegyptiaci nihil novisse de Lot itineris comite, ergo esse a scriptore 12, 4 sq. diversum; verba autem 13,1 « et Lot cum eo » esse a redactore adiecta. Verum id gratis omnino effingitur. Nulla 12,10 mentio Lot habetur, quod is nihil memoria dignum in Aegypto egerit. Illum eo descendisse, inde legitime infertur, quod idem 13,1 ex Aegypto rediisse affirmetur : an dices, hunc redactorem reditum effinxisse? — Cap. 14 adhiberi expressiones plures secus in Genesi non adhiberi solitas, abunde explicatur inde, quod auctor h. l. bellicos, secus pacificos solum eventus enarret. Quodsi de rebus bellicis h. l. iisdem prorsus loqueretur, quas in recentioribus libris offendas, expressionibus, dubitaret forte aliquis, sitne cap. 14 recentioris cuiusdam auctoris. Expressiones obsoletae et inusitatae suggerunt, rem narrari ipsissimis auctoris perantiqui verbis, quem alium esse a praecedentium narratore nulla suadet ratio.

Cap. 15 incipit narrationis *pars secunda*. Rerum conditionem graphice describit 15,1-6 explicans, si ita loqui fas est, statum quaestionis. Sc. Abraham, quod iam ex ante narratis patet, speciali subest divinae providentiae, egregias non pro se solo sed pro semine accepit promissiones; at prole caret e coniuge sterili haud exspectanda. Porro in divina promissione v. 4 sq. iterata et in fide v. 6, qua Abraham contra spem credidit Deo promittenti, geminas habes causas, quae Abrahamo numerosam et gloriosam posteritatem procuravere; ut non immerito eam fidem S. Paulus tamquam rem in tota Abrahae vita potissimam celebraverit.

Iam, quid promissio fide suscepta Abrahae contulerit, sequens narratio pandit. Et

primum quidem 15,7-21 promissio solemni *foedere* sancitur. Postea Sara humana, non coelesti prudentia acta medium suggerit, quo divina promissio certius et citius ad effectum perducatur : ex altera coniuge iuniore Abraham filium nanciscitur Ismaelem (cap. 16). At non tales artes approbat Deus, sed interiecto duodecim omnino (cf. 16,16 et 17,1) annorum spatio, cap. 17 promissionem iterat obtinendi e coniuge sterili et sene filii, confirmatque mutatis coniugum nominibus et instituto foederis *signo* circumcisione. Ex quibus discas, quam intime actis Abrahae adscripti identidem aetatis anni cum narratione connectantur, ut non aliena manu adiecti fingi queant. — Brevi post cap. 18 rursum apparente Deo, et promissio iteratur, et Sarae infirma, ac implicite simul Abrahae genuina, fides manifestatur, praeprimis vero Sodomae clades praenuntiatur, qua Lot, non fide actus sed terrestrium studio, iacturam patitur rerum omnium fitque pater impiae prolis ex incestu conceptae. — De cap. 20 suo loco dicemus. Illud certe primitus in Genesi erat, cum secus 21,22 sqq. intelligi non posset; fortasse alio loco legebatur, puta post 12,9. Quae stili suggeruntur diversitates, paucae sunt et leves. — Cap. 21 tandem refert natum Isaac, dimissum Ismael. Quibus accedit foedus cum Abimelech initum, cum ob rei veritatem et gravitatem, tum ob inauguratam loci Bersabee religionem (cum 21,33 cf. 12,7.8 et 13,18) silentio haud praetereundum. Dum nato Isaac impletae sunt promissiones de filio Abrahae e Sara dando, nonnisi pluribus annis post Abrahae fides summe admirandum edit documentum, filio Isaac ad altare producto (cap. 22). De cuius capitis auctore mire dissentiunt recentiores.

Tertia pars 22,20-25,11 quaedam supplet : posteritatem Nachor, Sarae mortem et sepulturam, Isaac cum Rebecca nuptias, Abrahae e Cetura filios, Abrahae mortem et funus. Ceturae filii non voce הוליד producuntur, quae sacrarum genealogiarum propria est, sed a voce primum ילד, postea בני.

Quaerenti porro, a quo primum *auctore* haec Generationum Thare traditio profecta sit, responderi omnino debet, ab uno *Abraham* tamquam primo fonte eam derivari : narrantur quippe, quae ipse et plurima quidem, quae ipse solus expertus est. Genealogiae utique Nachoritarum 22,20-24 et Ceturaeorum 25,1 sqq. jam omnium fortasse ore circumferebantur, antequam traditioni sacrae accenserentur. Quae 25,5-11 de Abrahae bonis, morte, funere traduntur, ab Isaac primo memoriae tradita affirmari possunt. Acta Eliezer 24,66 Isaaco fuse relata sane ab eodem ad nos derivata esse credi possunt, ipsius fere facundi senis verbis. Cetera repetimus ab Abraham; estque stilus per omnia sibi consentiens. Pauca quaedam Abraham non ipse est expertus, sed a testibus immediatis narrata accepit : 16,7-14 et 21,15-21 narrata didicit sane ab Agar; 19,1-26.29-38 a Lot (quae Abraham suis oculis conspexit, habes v. 27 sq.). Tamen in his quoque stilus a reliqua narratione non dissentit : Abraham audita repetit et suo stilo et vere. Eum res, uti actae sunt, fideliter narrare evincunt cum narrationis universae sanitas et aequabilitas, tum specialius pericopae aliquae : cap. 14, quod et nativa se veritate commendat, et documentis cuneiformibus confirmatur; 21,22-34 antiquissimorum temporum emptie-

num ritum accurate ad oculum depingens. Etiam Dei alloquia et promissiones perquam accurate recenseri, exinde colligas, quod invicem collata et re et vocibus omnino consentiant.

Generationes Isaac narrationem usque ad mortem Isaac 35,29 producunt, plurima utique de Iacob, et nonnisi pauciora de ipso Isaac referentes, qui vitam videtur egisse magis quietam et aequalem, quam Abraham et Iacob. Quo veritas narrationis confirmatur, quae respuerit figmentis lacunas opplere.

Aliud praterea in actis Isaac observatur, vix quidquam in illis referri, quod idem non etiam Abrahae obtigerit. 26,1 sq. migrat Isaac famis tempore in Philisthaeam, uti Abraham 25,3 sqq. 21 migraverat in Aegyptum. Promissiones Abrahae pridem factae repetuntur. Rebecca in idem 25,7-11 discrimen apud Abimelech vocatur, quod 12,11 sqq. Sara apud Pharaonem incurrerat. Ditescit Isaac 26,12 sqq. apud Philisthaeos, uti Abraham 12,16 apud Aegyptios. Rixae de puteis habentur tam 21,25 sqq. quam 26,14-33. Utrobique nomen Bersabee imponitur exstruiturque altare ab utroque patriarcha 21,31 sqq. et 26, 23 sqq. Quare recentiores aliqui censuere, eundem esse Isaac qui et Abraham, duobus diversis nominibus unicum virum celebrari, eosdem eventus narrari bis. Verum, cur promissiones eaedem, quae Abrahae factae fuerant, non Isaaco solum sed item Iacobo repetantur, ratio patet : confirmanda sc. erat eorum virorum spes. Rixae de puteis in vitis pastorum erant sane frequentes, non alia bella eorum annales celebrabant. Vitae item pastorum universim consueverunt esse similes inter se, ut e similitudine nequeas inferre esse easdem. Adverte tamen rixam cap. 26 relatam pluribus differre ab altera cap. 21. Quo tempore mores ita essent rudes, ut facile trucidatis maritis eriperentur uxores, reapse medium servandae mariti vitae maxime obvium et multoties unicum illud esse debuit, ut coniugium celaretur. Non est igitur, quod miremur, illud medium iterato esse adhibitum, imo desperatis rebus omnibus adhiberi consuevisse. Non Isaac solum sed etiam Iacob loca ab Abraham consecrata habuisse sacra, cum virorum pietati attribuendum est, tum Dei providentiae aevo scribendi artis ignaro maiorem sacrae historiae partem paucis quibusdam locis, quo tenacius memoria servaretur, colliganti. De nomine Bersabee bis imposito dicebamus supra.

Illud tandem obiiciunt, Rebeccam uti Saram fuisse sterilem, inter Isaac et Ismael uti inter Iacob et Esau viguisse discordias : quae ut refutemus, operae pretium non est.

Quae Generationibus Isaac narrantur, ea commode tripartitam dividés : acta ante Iacobi iter in Syriam, Iacobi acta in Syria, ejusdem post reditum e Syria acta.

Igitur post exordium 25,19 sq. stilo genealogiarum (תולדות) exaratum, narratur 25,21-34 geminorum nativitas et ius primogeniturae divenditum; 26,1-33 res Iacob gestae, dum filii adolescebant. Quae pericope valde affinis est eius 11,27-13,18, quae stationes peregrinationum Abraham recensebat. Repetita sc. v. 1-5 Dei promissione, v. 6-16 acta in Gerar narrantur, v. 17-22 acta in Valle Gerar, v. 23-33 acta in Bersabee, quo loco intra fines terrae promissae sito consecratur altare. Dein pericope

26,34-28,9 rationes itineris Syriaci explicat duas. Quarum prima erant coniugia Esau parentibus invisa 26,34 sq., quare 27,46-28,9 mittitur Iacob in Syriam uxoris quaerendae causa. Cui rationi accedit altera 27,1-45, inimicitiae Esau in Iacob ob surreptam patris benedictionem filio natu maiori debitam.

26,34 sq. et 28,1-9, inquiunt recentiores, unam continuam efficiunt narrationem, dum cap. 27 alteram alterius scriptoris suppetit rationem itineris Syriaci explicandi. Utique sat continua fluit narratio exciso cap. 27 : verum id demonstrat ad summum, narrationem 26,34-28,9 e duabus oriri *potuisse*, non ortam esse. Omnino una et continua est narratio, qualis in textu legitur : potest sane unus scriptor duas unius facti recensere rationes. Rebeccam, quo iter suaderet, movebat imprimis periculum Iacobo ab Esau imminens; verum cum illud periculum neglecturus timeretur Isaac, qui Iacobo ob patratam fraudem irasceretur, Rebecca 27,46 nuptias invisas ei in mentem revocat, utque Iacob in Syriam mittatur suggerit. Num ea non est narratio una, continua? — Quae regio 24,10 latiore nomine, totum tractum ab Euphrate fere ad terram sanctam denotante (cf. quae diximus ad Iud. 3,8), dicebatur ארם נהרים, ea in his Tholedoth, etiam in verbis 25,20 nexus cum prioribus restituendi causa insertis, vocatur פדן ארם. Imo 25,20 (cf. 28,5 ; 31,20.24 ; Deut. 26,5) Bathuel et Laban scribuntur « Aramaei de Padan Aram ». Unde duos inferunt auctores, quorum alter Bathuelem reputaverit Arphaxadaeum incolentem Aram Naharaim, alter Aramaeum incolentem Padan Aram. Agnoscimus diversos loquendi modos, imo diversarum Tholedoth diversos auctores, sed pugnam nullam. Cuius sc. viri in praecedente Tholedoth Arphaxadaea origo clare enuntiabatur, is in Tholedoth sequente a regione, in qua, et incolis, inter quos sedem fixerat, Aramaeus dicitur. Regio ipsa iam vocatur Padan Aram, « planities Aram » (cf. quae dicemus ad 25,20), sive quod ita regio arctius circumscriberetur exclusis tractibus montanis, sive quod hoc nomen altero evasisset usitatius, vel in eius locum omnino successerit. In Deut. 23,5 etc., quo tempore Hebraeis cum illis Aramaeis nullum esset commercium, appellatio antiquior rursus adhibebatur. — De 27, 30 dicemus suo loco.

Acta in Syria narrantur 28,10-33,17. Itineri Syriaco aptissime praefigitur visio scalae 28,10-22, Iacobo promissiones patribus factas confirmans. Sequuntur acta cum Laban in exsilio, ubi, qui modo fratrem fraudibus circumvenerat, aegerrime se a soceri fraudibus defendit; acta cum Esau, quem redux offensum humillime demulcet. — *Acta post reditum* e Syria 33,18-35,29 rursum stationes sequuntur hinc inde migrantium. 33,18-34,31 a Socoth pergitur ad locum prope Sichem, ubi in agro coempto altare erigitur, Dinae stuprum urbis excidio punitur ; inde 35,1-15 in Bethel, ubi exstruitur altare, Deborae defunctae titulus erigitur, confirmantur promissiones; inde 35,16-20 in Bethlehem, ubi defuncta Rachel titulo honoratur; inde 35,21 sq. in Turrem Gregis, ubi Ruben torum parentis foedat. Interiecto 35,23-26 filiorum Iacob elencho, v. 27-29 pervenitur in Mambre, ubi morte Isaac eius generationes absolvuntur.

Quae generationes primum ab Isaac (cf. 25,21-26,32), potissimum vero a Iacob narratore profectae sunt, qui pleraque ipse, plura ipse solus expertus est. Genus dicendi partim succinctum, quamdiu sc. (cap. 26.35) narratio itinerum stationibus presse adhaeret, et in singulis stationibus acta breviario refert; partim prolixius, ubi artes artibus clusae, uxorum aemulationes, virorum odia et in gratiam reditus explicantur.

Generationes Iacob viri historiam ibi resumunt, ubi illa cap. 35 intercedente morte Isaac abrupta fuerat, narrantque miram Dei in fatis Iacob et Ioseph providentiam.

Qui Iosephum emere, modo 37, 25. 28; 39, 1 Ismaelitae audiunt, modo 37, 28. 36 Madianitae. 37, 28 אנשים מידנים articulo caret, ut non videantur hi Madianitae iidem esse, qui v. 25 Ismaelitae dicebantur. 40, 15 affirmat Ioseph, se furto esse abductum e regione Hebraeorum. En tibi igitur narrationes duas, quarum una Iosephum a Madianitis furto ablatum, altera ab Ismaelitis coemptum referebat. Ita fere *Kn.* — Articulus in s. textu tam saepe deprehenditur excidisse, ut eius 37, 28 absentia vix quidquam efficiat, praesertim cum *LXX* illum legisse videantur. Nonne merito furti poterat Ioseph arguere eos, qui rem non suam divendissent? Num debuit praeposito pincernarum fratrum pandere dedecus! Manet ergo iam unica difficultas, eosdem et Madianitas appellari et Ismaelitas. Verum etiam Iud. 8, 3. 24 iidem homines utroque nomine vocantur, ut merito dicat *Cai.*, ea nomina videri synonyma, conjiciatque *Del.*, Ismaelitarum uti postmodum Arabum appellationem exstitisse quarumvis tribuum desertum incolentium communem. Quodsi id e Iud. 8, 3. 24 efficiatur, perspicitur nomades illos procul adspectos 37, 25. 27 vocari nomine generico Ismaelitas, v. 28. 36 propius advectos nomine proprio Madianitas. At, inquies, quid sibi vult utrumque in uno v. 28 nomen? Potuit illuc Ismaelitarum nomen irrepsisse scribae cujusdam studio, qui monere voluerit lectorem, eosdem iam Madianitarum designari nomine, qui modo Ismaelitae dicti sint. — Alias difficultates suis locis expediemus : sunt eae omnes exigui momenti.

Narrationem universim spectatam unius esse auctoris, ejusdem eximia unitate demonstratur. Joseph prae fratribus patri carus eorum invidiam incurrit, cum delato quorumdam crimine pessimo, tum narratis somniis, quae ejus supra fratres futurum principatum portendere viderentur. Quare ad fratres quodam die procul patre missus, a Ruben quidem instanti neci eripitur, Iuda vero auctore Madianitis venditur, qui eum in Aegypto Putiphari magistro militum revendunt. Praesenti Dei ope adiutus, heri summam assequitur gratiam; sed ab hera primum ad luxuriam illectus, postea intentati adulterii accusatus, in carcerem conjicitur. Ubi duorum aulae eunuchorum somnia vere interpretatus, aliquanto post ad somnium Pharaonis interpretandum arcessitur. Quod ille de septem sterilitatis annis totidem abundantiae annos consecuturis intelligendum esse pronuntiat, monens etiam, ut vir regioni praeficiatur, qui frumenta pro annis egestatis recondat. Id munus a Pharaone Iosepho defertur, cui ex honestis nuptiis duo in Aegypto nascuntur filii. Veniunt iam in Aegyptum Iosephi fratres decem natu maiores frumenti coemendi causa, quos ille agnoscit, haud agnitus ipse. Eos simulata exploratorum suspicione interrogans discit de patre et fratre uterino Beniamin; praetextu dictorum veritatis experiendae Simeonem in vinculis retinet, quoad Benjamin producatur.

Dimissi reliqui suaque iam repetentes in saccis reperiunt, quam pro frumento solverant, pecuniam. Iacob Beniaminum dimittere primum recusat, mox fame pressus dimittit, Iuda vadimonium pro puero suscipiente. Ioseph fratres mensae adhibet, speciali Beniaminum honore prosecutus. Qui cum itineri se iam dedissent, rursum in singulorum saccis pecunia, in Beniamini praeterea sacco scyphus ipsius Ioseph reperitur. Ad Iosephum omnes redeunt, ubi Iuda vehementi oratione postulat, ut pro Beniamin, qui furti suspicionem incurrerat, in vinculis manere ipse permittatur illeque patri seni reddatur. Quibus commotus Ioseph fratribus se declarat, bonoque animo esse jussos, in Chananaeam ut redeant patremque in Aegyptum adducant, urget. Tandem Iacob in Bersabee divina visione recreatus itineri se dat, cuius socii recensentur universi, septuaginta animae. Ioseph per Iudam certior factus patri obviam festinat, primum fratres quinque, dein ipsum patrem ad Pharaonem producit, eis in optimo regni pago sedes assignat. Describitur porro, qua ratione tempore famis Ioseph rem publicam administraverit. Iacob morti propinquus a Ioseph iuramentum exigit, se in Chanaanitide fore sepeliendum; Iosephi filiis benedicit, et quidem Ephraim iuniori prae Manasse; filiis omnibus futuras in terra promissa sortes vaticinatur. Mortuus solemni funere primum in Aegypto, postea in Chanaanitide honoratur. Joseph fratribus rursum veniam injuriarum et gratiam pollicitus atque, ut sua aliquando ossa in Chanaanitiden transferant, supplicatus diem supremum obit.

Horum omnium traditio a Jacob ejusque filiis traxit originem. Imo tota illa de actis Jacob, inde a 25,21 narratio, licet Generationes Esau et titulus 37,2 et cap. 26 peregrinationes Isaac intercedant, admirandum in modum est una atque Dei in implendis promissis providentiam illustrat simili ratione, atque Abrahae acta excellentiam fidei celebrabant. Promissa Deus extremis vitae Iacob annis eatenus implere coeperat, quatenus Iacob numerosae posteritatis solida initia in filiis et nepotibus conspiciebat. Aegyptum, quod 15,13 sqq. significatum fuerat, erat ingressus, terrae sanctae possidendae longe illustrius cap. 49 vaticinium atque pagorum tribubus assignandorum veluti distinctam aliquam tabulam acceperat. Verum actis Iacob docemur, non humanis fraudibus juvari Dei providentiam, non humanis conformari votis. Iacob divinitus nactus obtinendi aliquando principatus oraculum, fraude fratrem iure primogeniturae paternaque benedictione privare nititur. In cuius fraudis poenam diuturno addicitur exsilio et in fraudulenti soceri manus incidit. Deceptus primum in uxoribus, postea in mercede, alteram hanc fraudem annuente Deo justa arte eludit, socero intercedente numine reconciliatur, fratrem placat, ter-

ram promissam rursus patrum ritu peregrinus incolit. At novarum is interim vicissitudinum semina jacuerat immoderato unius Rachelis ac postea unius Ioseph studio. Et videbantur primum parentis votis omnia favere, cuius Ruben, Simeon, Levi et Iuda foede actis iustam incurrentes offensionem viam videbantur sternere principatui Ioseph. Hic, innocens et ab omni fraude alienus, paterni favoris invidia primum fere oppressus, ad summum postea Deo providente honorem ipsumque inter fratres principatum evehitur : tamen patri morituro revelatur, non penes Ioseph permansurum principatum, sed aliquando in quartum despectae Liae filium transferendum, in quo etiam benedicendae sint omnes gentes.

Acta Iacob explicantes vix attigimus idiomata, quae diversorum esse auctorum indicia critici moderni contendunt. Quorum pleraque, cum in prioribus iam pericopis deprehenderentur, eo lector remittendus erat. Praeterea in hac posteriore Geneseos parte ad absurdum deducitur recentiorum systema : cum enim plurima, quae ante ipsi statuerant, ejusmodi indicia iam frequentissime occurrant, coguntur illi textum sacrum ridiculum in modum discindere. Longe planior eorum idiomatum in systemate traditionis redditur ratio. Sc., quo tempore recentiores hae traditiones formabantur, antiquiorum traditionum non solum res, sed etiam idiomata alte mentibus inhaeserant, ut iisdem idiomatibus iam loquerentur homines, imprimis ubi similia aut affinia essent narranda. Sic orator christianus quandoque expressionibus biblicis loquitur, quandoque toto orationis genere scripturam sacram imitatur. De pluribus idiomatibus dicetur in Commentario, maxime initio singulorum articulorum, sed etiam in ipsa textuum interpretatione : cf. ad 13, 3. 6; 21, 14. 23; 22, 15; 23, 1; 25, 20; 26, 1 sqq.; 28, 4; 29, 17; 30, 22. 28; 31, 25. 27. 33. 46 sq.; 34, 27; 42, 25; 45, 1. 3. 13; 47, 7; 48, 14 etc., etc.

Ceterum in eo, quod defendimus, stilum inde ab 11,27 esse quodammodo unum, recentiores fere habemus consentientes, qui longe maiorem narratorum partem uni tribuunt iahvistae. Quodsi aliquas eidem pericopas denegent, id praeter rationes supra indicatas ideo faciunt, quod alium aliquem auctorem somniis delectari adstruant, etc. Quae sunt commenta.

Est etiam aliud, quod stili inde ab 11, 27 unitatem plurimum promovet, *divinae promissiones*. Sunt eae intime conformes inter se, et rebus et verbis. Unus Deus de iisdem fere rebus loquitur stilo suo, expressionibus iisdem. Eas expressiones patriarchae de promissionibus loquentes, narrator easdem referens suas faciunt. Tres in Genesi habentur divinae cum promissionibus benedictiones, intime conjunctae inter se : benedictio Adae, Noe, Abrahae; postrema haec Isaaco et Iacobo confirmatur.

Benedictio Gen. 1, 28 sqq. Adae apprecatur prolis incrementum (« crescite et multiplicamini »), terrae possessionem (« replete terram et subjicite eam »), animalium dominium (« dominamini piscibus etc. »), plantas attribuit escam. Promissio non illico subditur, sed post lapsum : est promissio seminis 3, 15.

Benedictio Noe Gen. 9, 1 sqq. datur iisdem fere verbis : apprecatur Deus prolis in-

crementum v. 1. 7, terrae possessionem ib., animalium dominium v. 2, carnes concedit in cibum v. 3 sqq., prohibito sanguinis esu et homicidio. Promissio seminis confirmatur non directe sed indirecte, primum quatenus semen v. 9 futurum affirmatur, dein quatenus promittitur non futurum ultro diluvium ad delendam universam carnem v. 11 sqq. Hoc vero peculiare habetur, promissionem *foedere* sanciri ejusque foederis speciale institui *signum*. Cum foederis obiectum sit, ut causae naturales a semine opprimendo cohibeantur, hinc foederis signum in rerum natura seligitur iris : in Abraha e contra, cum foederis obiectum sit ipsa innata stirpis foecunditas, signum in ipso generationis organo statuitur circumcisio.

Benedictio Abrahae facta rursum praecedentium est omnino simillima. Nihil utique habetur de animalibus aut cibis, reliqua multo distinctius proponuntur. Praecedit Dei mandatum 12, 1 : « Egredere de terra tua... et veni in terram quam monstrabo tibi », quia *terra* a posteris Abrahae possidenda non iam est terra latius accepta, sed una aliqua regio seu aliquae minores regiones (ארצת 26, 3 sq.).

Ei mandato ubi obsecutus est Abraham, illico benedictio promittitur *numerosa prole* constitura 12, 2 sq. : « Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi »; quae benedictio cum promissione seminis 3, 15 connectitur sequentibus verbis : « atque in te benedicentur universae cognationes terrae ». Prolis numeri extolluntur adhibitis comparationibus pulveris terrae et stellarum coeli, quae numerari nequeant (13, 16; 15, 5; 16, 10; 22, 17). Dicitur porro Abram futurus in gentem magnam et robustam (18, 18), in « multitudinem gentium », המון גוים (17, 4), unde per assonantiam eius nomen mutatur in Abraham, uti et Sarai in Sara. Quae benedictio vel in filio ancillae verificabitur, « quia semen tuum est » (17, 20; 21, 13. 18), e quo duodecim duces praenuntiantur esse orituri; maxime vero in filio e Sara procreando (17, 16), qui futurus sit in populos et regum populorum pater. Talis multitudo *regionem* aliquam obtineat necesse est. Quare frequenter repetitur promissio terrae Chanaan semini dandae : 12, 7; 13, 15. 17; 15, 7. Cujus etiam fines describuntur 13, 14; 17, 18 sqq. Vocatur eadem « terra peregrinationis tuae », ארץ מגוריך 17, 8; promittiturque « possidenda » (15, 7), et quidem ita ut possideantur « inimicorum portae » (22, 17), « possessione sempiterna », אחזת עולם (17, 8). Cum qua promissione optime constabit posterorum in Aegypto 15, 13 sqq. commoratio. Promissionem Deus 15, 18 sqq. sancit solemni *foedere* cum Abraham inito. Quo implicite utique includebatur promissum prolis incrementum, sine quo terra Chanaan possideri non posset : explicite illud foedere includitur cap. 17, eiusque *foederis signum* instituitur circumcisio. Deus porro Abrahae foedere iunctus est « Deus Abraham et seminis eius » 17, 7 sq., eius « protectio et merces » 15, 1; qui illud foedus « custodire » (17, 10) tenentur. Foedus vero, uti prius illud 9, 12 fuerat לדרת עולם, ita et ipsum est ברית עולם (17, 7. 19), valiturum לדרת (17, 9).

Quibus expressionibus haec Abrahae promittebantur, iisdem fere Isaaco et Iacobo *confirmabantur*. « Ego sum Deus Abraham patris tui », ait Deus 26, 14 ad Isaac; « Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac », 28, 13 ad Iacob; « Ego sum El Schadai, Deus patris tui », 46, 3 (cf. 35, 11). « Ego tecum sum », dicit 26, 24 ad Isaac; promittit se affuturum Iacobo in itinere syriaco (28, 15; 31, 13) et aegyptiaco (46, 3 sq.). Benedicendas in ipsis ait omnes nationes (26, 4; 28, 14). Promittitur rursum seminis incrementum adhibitis comparationibus pulveris et stellarum (26, 4. 24; 28, 14); 35, 11 iisdem atque in benedictionibus Adae et Noe verbis; ad 28, 14 « dilataberis ad occidentem et orientem et septemtrionem et meridiem », cf. 13, 14. Promissio « faciam te in gentem magnam » 46, 4 addita voce « ibi », i. e. in Aegypto,

fit magis determinata. 35, 11 « gentes et turba gentium ex te erunt, et reges de lumbis tuis egredientur ». Iacobi nomen 32, 28 in Israel mutatur, quo ostendatur foedus Abrahae ad ipsum extendi; quod foedus 26, 3 « juramenti » nomine venit, et ibi et 28, 15 omnino « complendum » esse affirmatur. Terrae promissio repetitur 26, 3 sq.; 28, 13; 35, 12.

Eodem atque Deus promittens stilo loquuntur *patriarchae* eius promissiones recolentes. Ita 28, 3 sq. Isaac Dei benedictionem filio apprecatur : « Crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum; et det tibi benedictiones Abrahae, et semini tuo post te; ut possideas terram peregrinationis tuae, quam pollicitus est avo tuo ». Item Iacob 48, 3 sq., ubi etiam repetitur expressio אחזת עולם. Quod vero utroque loco pro קהל גויים (35, 11) habeatur קהל עמים, reapse momenti non est. 48, 16 incrementum apprecatur expressione, quae est ἅπαξ λεγόμενον : ויִדְגּוּ לָרֹב בְּקֶרֶב הָאָרֶץ. Cum his tandem conferas cap. 49, quod ultra priores promissiones non progreditur, sed earumdem, quatenus in Genesi explicabantur, futuram impletionem demonstrat. Messiam 3, 15 praemonstratum aenigmatico nomine שלה tamquam mundi abundantiae restituendi (cum 49, 11 sq. cf. 3, 18) auctorem depingit. Ceterum id fere ostendit, quo ritu terra promissa aliquando inter tribus Iacobo natas sit dispertienda, quaeve majoris minorisve incrementi benedictionem sint nacturae.

Patriarcharum vitis interseruntur duo alia documenta : *Generationes Ismael* 25,12-18 et *Generationes Esau* cap. 36. Prius illud brevius, sed structura alterius affine, nomina recenset filiorum Ismaelis, annos vitae eius, eiusque fines. Pauca haec facile apud Hebraeos traditione praeservari potuere, v. 16.18 evidenter alludunt ad vaticinia 16,12 et 17,20. Generationum Esau initium crediderim ad instar initii Generationum Isaac fuisse effictum. Uti 25,19 sq. nexus cum 25,11 redintegrandi causa repetebantur ante narratorum aliqua, ita hic repetuntur 26,34 et 28,9 de uxoribus Esau tradita. Repeti prius dicta prodit etiam expressio עשו לקח, « Esau acceperat », loco eius, quod secus scribitur, ויקח (*Dillm.*). Clausula v. 5 : « hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan », adamussim respondet alteri 35, 26 : « hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae ». Unde inferas, priorem cap. 36 partem aut ab eodem atque cap. 35 auctore, aut certe stilo eius stilum imitante esse conscriptam. v. 6 re et verbis in memoriam revocat 11,31, 12,5; 34,23. Speciatim recurrunt voces רכש et רכוש ad bona mobilia designanda, dum Generationes Noe 7,4.23 habebant vocem יקום : cf. 12,5; 13,6; 14,11 sq.; 16,21; 15,14; 31,18; 36,6 sq.; 46,6. Quibus duabus vocibus nunc accedit tertia קנין, quae primum 34,23 ex ore Sichemitarum audiebatur. An ideo dicemus, eam Hebraeis ante fuisse ignotam, et iam ab illis veluti chananaeismum quemdam esse transsumptam? — Etiam 36,7 in memoriam revocat 13,6 : sc. de eadem re loquentes narratores sacri similibus utuntur expressionibus.

Verum his, quae auctor Hebraeus immediate nosse potuerit, inde a v. 9 accedunt alia in Seiritide acta ideoque ab aliis discenda. Et pri-

mum quidem v. 9-19 filii filiorum Esau non in Chanaanitide, sed in Seiritide nati recensentur, qui teste v. 15-19 sua tribubus nomina imposuere. Porro hi omnes inter Seiritas vixere et cum illis connubiis et vitae societate miscebantur; unde v. 20-28 filii Seir recensentur duaeque filiae, quae ipsi Esau eiusque primogenito nupsere. Filii rursum tribubus nomina imposuere, quarum elenchus traditur v. 29 sq. Postea tribus paruere regibus, qui tamen non secundum tribus sed secundum suam quisque urbem designantur v. 31-39, et e diversis urbibus petebantur, unde conieceris, regiam dignitatem non haereditate sed electione esse transmissam. Regibus tandem rursum successere (cf. 1 Par. 1,51) tribuum duces v. 40-43.

Ducum elenchus prior v. 15-19. 29 sq. et posterior v. 40-43 in nominibus tam iis, in quibus conveniunt, quam quibus differunt, diversorum temporum originem manifestant. In priore elencho habes posterorum Esau tres familias : familiae Eliphaz duces sex (nam Core v. 16 delendus), familiae Rahuel duces quatuor, familiae Oolibama duces tres; praeterea Seiritarum duces septem. In posteriore elencho familiae Eliphaz soli tres duces comparent : Theman, Cenez et matris nomine Thamna appellatus Amalec. Familiae Rahuel nomina desiderantur omnia. Familia Oolibama solo Oolibamae nomine exprimitur. Seiritarum nomina desunt omnia. Vicissim nomina nova prostant septem : Alva, Ietheth, Ela, Phinon, Mabsar, Magdiel, Hiram. Tribus undecim loco duodeviginti. Seiritae sc. fuerant expulsi vel deleti Deut. 2, 12. 22, tribuum aliquae interiere, aliae divisae sunt.

Si posteriores scripturae libros de Edomitarum rebus consulas, canticum Ex. 15,15 solorum *principum* meminit, quos tamen uni regi paruisse non excluditur. Certe *regem* habebant Edomitae Num. 20,14, cuius nomen tacetur. 3 Reg. 11,14 sqq. (cf. 2 Reg. 8,14 et 1 Par. 18, 12 sq.) docemur, David regem Idumaeae interemisse, cuius filius Adad contra Salomonem turbas excitavit. Qui tamen Adad omnino alius est a regibus Gen. 36,35.39 commemoratis, qui ante institutum apud Israelitas regnum floruerint. 4 Reg. 3,9 Iosaphat cum regibus Israel et Edom adoritur Mesam regem Moab. An habitatores montis Seir, qui 2 Par. 20,22 eundem Iosaphat adoriebantur, et ipsi fuerint Idumaei, non liquet; at eo fere tempore Idumaeorum res utique confundebantur : « Non erat tunc rex constitutus in Edom » 3 Reg. 22,48. Probabilius tum Iudaeis facti sunt tributarii, a quibus sub Ioram, Iosaphati filio, defecerunt (4 Reg. 8,20.22; 2 Par. 21,8 sqq.) : « recessit Edom, ne esset sub Iuda, et constituit sibi regem ». Similiter posthaec Edomitae reges habuere. Sennacherib debellat regem Malikrammu, Theglathphalasar regem Kausmalaka, Esarhaddon regem Kausgabri (*Schrader* KAT).

Quae si cum Gen. 36 componas, perspicies Edomitis toto tempore ab instituto regno Davidico reges praefuisse, exceptis fortasse brevibus intervallis, quibus ab Hebraeis subacti tenebantur. Quodsi vero sup-

ponas, brevi post eventum Num. 20 narratum Idumaeorum rebus perturbatis reges aliquamdiu defecisse tribuumque duces rem publicam administrasse, merito affirmabis v. 39-43 describere rerum aevo mosaico conditionem. Adverte eum, qui extremam elenchi partem concinnavit, videri reapse non solorum ducum sed vel ipsius ultimi regis Adar seu Adad aequalem fuisse, cuius praeter alia etiam uxoris nomen et genus recenseat. Rursum auctor cap. 36 de Idumaeis amice sentiebat, eorum res studiose perscrutabatur. At praecise Moyses Idumaeis item favebat Deut. 23,7 : « Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est ». Ergo cap. 36 Moysis aevo compactum libentes assignamus.

At difficultatem potissimam facit v. 31 : « Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi ». Unde inferunt, non ante regum Israel tempora Genesin esse conscriptam. Audacius *Tost.* eorum regum ultimum Adar fingit superstitem fuisse tum, quando Saul ungebatur, Moysenque adstruit verba v. 31 scripsisse prophetice. Cui reponit *Cai.*, durius supponi Moysen eius regis uxoris etiam nomen prophetice descripsisse. Merito idem monet, verba non necessario edicere fuisse *iam* scriptoris tempore reges in Israel, sed illorum octo regum tempore *nondum* fuisse; et nota, scivisse Moysen futuros esse reges in Israel. Sapienter item notat *G. Smith,* The book of Moses p. 393, expressionem לפני מלך מלך carere articulo, ergo non respicere reges e posteriore historia notos; ne nominis quidem pluralem adhiberi (מלכים), quo plurium successio demonstretur; sed forma maxime indeterminata regiam auctoritatem designari : anglice « before kingruling ». *Bonfr.* tandem aliique permittunt, verba illa « antequam etc. » esse glossam, quod confirmari potest inde, expressionem « filii Israel » secus a Genesi exsulare. At sane adiici debuit glossa ante Esdram (*Hugo*), cum in *Sam.* verba legantur. Neque absurde tueatur quis, totam pericopen v. 31-43 sat diu post confectam Genesin esse additam. Sane, si glossae aliquae in s. textu concedantur, quales concedi omnino debent, potuit etiam h. l. irrepere glossa brevior longiorve, neque verba v. 31 per se sola efficax praebent argumentum Geneseos serius concinnatae.

7. *Redactor, seu libri auctor.*

Discussis variis in Genesi traditionum stratis, quomodo in unum librum ea coaluerint, superest dispiciendum. Ubi ante omnia, quid nomine *generationum* veniat, accuratius nobis est definiendum. Igitur תולדות, quae vox tantum in statu constructo pluralis reperitur, significat generationes non active sed passive intellectas, non γενέσεις (*Aq.*

Symm.), sed γεννήσεις (*Graec. Venet.*) seu γενημάτων (Scholiast. ap. Field, ad Gen. 2,4); ergo non rei originem exprimit, sed rei exsistentis evolutionem, propagationem. Nullo nomine titulus תולדות Cosmogoniae praefigi potuit. Proxime utique vox designat filios, posteros. Qui sensus clarus est et unicus in Generationibus Adam, filiorum Noe, Sem, Ismael et Esau. Eius, cuius sunt generationes hae, utique etiam recensentur vitae anni et mors, et quidem generatim ante, quoad Ismael vero post enumeratos posteros : horum vero elenchus est res in illis generationibus omnino praecipua. Alibi tamen vocis תולדות significatio concedenda est latior, ut non mere filios exprimat, sed universim *historiam* (*Ephr.*). Sic Generationes Noe profecto ipsius Noe tradunt historiam, perpauca de filiis, concluduntque narrata ipsius Noe morte. Generationes Thare, post perstricta brevissime Thare acta, fuse tradunt Abrahae historiam ad mortem usque. Generationes Isaac describunt fata Isaac et etiam Iacob, usque ad mortem Isaac. Generationes tandem Iacob fere sunt historia Ioseph et etiam ipsius Iacob, usque ad amborum obitum. Sed vel haec historiae significatio Gen. 2,4 vix atque ne vix quidem satisfacit. Plana utique essent omnia, si 2,4 loco 5,1, legeretur inscriptio « Generationes Adam ». At quid sibi vult Historia coeli et terrae? et, si eum tandem titulum scribi oportebat, cur ad protoparentum et Cainitarum acta is restringebatur, neque potius ad sequentem totam quantam extendebatur narrationem? Quamvis ne hoc quidem ferri poterat, cum generis humani fata certe non eo sensu sint generationes coeli et terrae, quo acta Thare et Abraham generationes Thare inscribuntur. Et vere notat *Lagarde* (Orientalia II. 39, Goettingae 1880), « nihil ex Hebraeorum mente esse, quod coeli et terra generent; nihil certe initio Genesis, quae tota sit in eo, ut omnia ab uno Iahve universi domino generata seu producta esse demonstret ». Inscriptio תולדות adamussim adaptatur genealogiis, latius accepta patriarcharum historiis, nonnisi violenter actis 2,4-4,26.

Inscriptio illa primitus utique non praefigebatur actis in paradiso, sed ad instar aliarum inscriptionum ab eo, qui has traditiones in unum redegit librum, est efficta. Inscriptionem vero omnino antiquam agnoscimus illam 5,1, etiam ob praefixum *liber*. Debuit illa inscriptio propria primitus exstitisse genealogiarum, cum sensu maxime proprio intellecta genealogiam exprimat. Quare inscriptiones « Generationes Adam », « Generationes Noe », « Generationes Sem », « Generationes Thare » et, probabilius, item « Generationes filiorum Noe » Geneseos auctore credendae sunt fuisse antiquiores. Quae generalem libri machinam eidem suggessere. Supererant antiquissimae aliquae traditiones eidem schemati adaptandae. Cosmogonia titulo non indigebat,

quod a nulla praecedente narratione esset secernenda. Verum inscriptio aliqua inter 2,3 et 5 omnino desiderabatur, quod novum abrupte narrationis caput a v. 5 ordiretur; inscriptio, inquam, si fieri posset, inscriptionibus sequentibus conformis. Praeoccupata igitur 5,1 Generationum Adam inscriptione, quid mirum, ut traditionum ille collector pericopen Generationes coeli et terrae inscripserit?

Crediderim Generationes Thare primitus universa Abrahae, Isaac et Iacob acta esse complexas. Illud quippe admirationem facit, cur non initio cap. 12 adscribatur titulus « Generationes Abraham » : an non is patriarcha aequo saltem jure, atque Isaac et Iacob, proprias sibi vindicabat generationes? Iam adverte narrationem 25,11 insertis Generationibus Ismael abruptam ita continuari v. 21, ut reapse una continua appareat esse oratio; unde vel *Ephr.* illos duos versus immediate coniungit. Quod autem v. 19 sq. habet, solummodo prius dicta resumit et suturae speciem prae se fert ad nexum restituendum insertae. Quodsi hinc ad 37,1 sq. convertamur, titulum « Generationes Iacob » deprehendimus inusitato loco insertum, non ipso narrationis initio sed post v. 1. Ille autem v. 1 eiusdem omnino est formae atque 36,8; dum 36,7 ob analogiam cum 13,6 prudenter affirmetur primitus narrationi sacrae infuisse. Quae vero 36,2 sq. titulo « Generationes Esau » adiiciuntur, non sunt nisi repetitio eorum, quae 26,34; 28,9 narrabantur, similiter atque 25,19 sq. ante relata repetunt. 36,9-43 autem ostendebamus serius esse adiecta. Ergo sat probabiliter adstrui potest narratio primitus a cap. 35 immediate transiisse ad 36,6-8 atque hinc ad 37,1 et ignorasse 37,2 voces « Hae sunt generationes eius ».

Fas est igitur supponere, Geneseos redactorem prae manibus habuisse unam continuam narrationem trium patriarcharum vitas enarrantem et titulo « Generationes Thare » insignitam. Ei narrationi Generationes Ismael et Esau aliunde petitas ita intexuit, ut narratae Abrahae morti subnecteret Generationes Ismael, narratae Isaac morti Generationes Esau, utrobique adhibitis suturis nexum restituerit. Qua hypothesi explicatur, cur idem initio cap. 12 non adscripserit titulum « Generationes Abraham ». Aliorum sc. praeter Abraham filiorum Thare nullae praesto erant inserendae generationes; pauca, quae ad Nachor spectabant, iam suo loco ante enarrandas Rebeccae nuptias Generationibus Thare inserta conspiciebantur. Cum igitur narrata Thare morte nihil esset, quod insereretur, neque novo titulo neque suturae locus erat.

Eadem hypothesi aliud etiam explicatur. Generationes Thare, Isaac et Iacob, quales nunc leguntur, sunt nonnihil inaequales neque suis inscriptionibus satis respondent. In Generationibus Thare habes perpauca de ipso Thare, vix non omnia de Abraham; in Generationibus

Isaac plura utique de Iacob quam de Isaac; dum Generationes Iacob vix non de uno agunt Ioseph. Haec omnia explicat hypothesis : non ea mente insertae sunt inscriptiones « Generationes Isaac », « Generationes Iacob », ut variorum patriarcharum acta ab invicem seiungerentur, sed quia post absolutas Generationes Ismael et Esau titulis opus erat, quibus non eorum virorum sed patriarcharum acta continuari significarentur. Qui tituli alii vix seligi potuere, quam « Generationes Isaac », « Generationes Iacob ».

Schemate iam, quid de compositione Genesis sentiamus, subiicimus, suas quasque partes traditioni adamicae, noeticae, abrahamicae, redactori assignantes. Traditiones illas tres priores intellige, quaeso, quales a nobis supra definiebantur. Redactorem intelligimus eum virum, qui varias generationes primus in unum librum coegit; sed nequaquam minimas quasque ejus glossas nostrum schema persequitur, sed ea tantum, quae ipse ad compositionem Genesis generalius spectatam contulit.

Traditio adamica seu praenoetica.	*Traditio noetica seu praeabrahamica.*	*Traditio abrahamica seu praemosaica.*	*Redactor.*
1) Cosmogonia 1, 1-2, 3.			2, 4[a] suppletus titulus.
2) Paradisus, lapsus, fratricidium 2, 4[b]-10[a]; 2, 15-4, 16.		1) Situs paradisi descriptus 2, 10[b]-14.	
3) Cainitarum fata 4, 17-26; 6, 1-8.			
4) Generationes Adam cap. 5.	1) Generationes Adam completae additis patriarcharum diluvio absumptorum mortibus.		Generationes Adam insertae inter cap. 4 et 6, 1-8.
	2) Generationes Noe 6, 9-9, 29.		
	3) Generationum filiorum Noe pars antiquior 10, 1-7. 20. 22 sq. 31 sq.	2) Generationes filiorum Noe completae, additis 10, 8-19. 21. 24-30; 11, 1-9.	
	4) Generationes Sem 11, 10-26.	3) Generationes Thare 11, 27-25, 11; 25, 21-35, 29; 36, 6-8; 37, 1-50, 25.	Generationes Ismael et Esau Generationibus Thare contextae, insertis 25, 19 sq.,; 36, 1-3. 9-43 et verbis 37, 2 « Haesunt generationes eius ».
		4) Generationes Ismael 25, 12-18.	
		5) Generationes Esau 36, 4 sq. 9-43.	

Quae nos, lector benevole, tamquam certa haudquaquam proponimus, at vero tamquam longe probabiliora iis, quae de elohista primo et secundo, de iahvista primo et secundo, et de quibusdam aliis arrisere auctoribus recentioribus. Ceterum ex dictis de ratione, qua traditio oralis propagata fuerit, facile colliges in dissecando textu ulterius interpretem procedere non oportere, neque unam vocem tamquam unius, aliam tamquam alterius auctoris propriam esse vindicandam. Non enim, quod fere fit in scriptis, uni singulas auctori pericopas concedimus, sed ab uno narratore profectas per plures generationes profitemur traditas de ore in os, non semper verbis omnino iisdem. Quid igitur miremur, sequentes quandoque priorum stilum imitari, aut Cosmogoniae expressiones quasdam in diluvii narratione recurrere?

8. *Libri Genesis textus et interpretatio.*

Hujus libri, uti reliqui Pentateuchi, interpres praeter alios textus insigne habet adminiculum *textum Samaritanum*, i. e. hebraeum literis Samaritanis exaratum, qui, licet menda habeat etiam ipse, tamen in pluribus, in quibus ab Hebr. dissonat, veteribus consentit versionibus estque permagnae auctoritatis. Cf. *Cornely* I. 247 sqq.; *F. Kaulen*, Einleitung p. 64 sq. Pentateuchus tam *Vulgatae* quam LXX optimis earum versionum partibus accensetur; tamen cap. 30 minus feliciter ambo reddidere.

Interpretes eos, qui de solo Hexaemero vel alia aliqua disputavere quaestione, suis locis commemorabimus. Eos, qui totam commentati sunt Genesin, vide apud *Cornely* II. 1 p. 161 sqq. At quaedam de ipsa *interpretandi ratione* statuere oportet, non enim est ea adamussim eadem, atque plerumque sacrorum librorum expositio. In quibus cum textus sacer fere solus interpreti considerandus, scientiarum profanarum placita nonnisi rarius comparanda sint, expositio veterum commentatorum ut plurimum retineri potest, graviores obiectiones plures dudum praeoccupatae deprehenduntur. Aliter omnino res habet quoad undecim priora Geneseos capita. Quae in his narrantur, ad scientias aeque profanas spectant atque ad historiam sacram. Ita de cosmogonia praeter s. literas etiam edocemur astronomia, geologia, palaeontologia; de prima generis humani conditione eiusque unitate dicturum ignorare anthropologos et archaeologos nefas est; de diluvio, praeter historiam populorumque traditiones, audienda est geologia; de gentium elencho Gen. 10 historia, ethnographia, linguistica, anthropologia; de chronologia primi aevi historia, archaeologia, ethnographia, linguistica. Iamvero hae scientiae vix non omnes antiquitus et valde

erant imperfectae et multis gravibusque erroribus obsitae. Catholici vero interpretes s. textum non secundum literam solum exponebant, sed simul cum placitis scientiarum, quae suis circumferebantur temporibus, componebant. Quod idem vel hodierni interpretes faciunt, et iustissime faciunt. Verum ex his patet, interpretationi antiquorum necessario multiplicem errorem fuisse admixtum, non e sacro quidem textu, sed e placitis scientiarum profectum. Eas vero scientias nostro aevo ingentes fecisse progressus innumerisque se expedivisse et continuo expedire praeiudiciis, nemo sensatus negaverit. Patet igitur, huius Geneseos partis interpretem debere esse veterum placitorum non nimium tenacem, debere non ita abhorrere a novis, sed animo esse semper parato ad explicationes receptas, servato religiose sensu textus literali, relaxandas, emendandas, imo si opus fuerit repudiandas. Agat instar ducis, qui arcem vetustatis venerandae defendendam suscepit : saxorum moli substituit aggerem globis pulvere pyrio iactis retundendis aptiorem; pro angustioribus, qui defendi jam nequeant, vallis validiores in collibus circum eminentibus exstruit munitiones; mutatis armis et arte arcem tandem servat incolumem. Stabit autem incolumis nostra arx, dummodo interpres fortiter defendens, quae defendi debent, textuique literali sincere adhaerens, in reliquis indulgentiorem se praebeat, non formidet progredi, neque ea pertinaciter defendat, quae defendi neque debent neque fortasse possunt.

Haec vero nequaquam nova est interpretandi lex, sed dudum in hoc quaestionum genere ab interpretibus catholicis observabatur. Nonne in quaestione de Hexaemero illa de mundi sexiduo absoluta creatione opinio, quae veterum de rebus naturalibus cognitioni plane satisfaciebat, iam communi consensu repudiatur? Nonne Concordistarum systema, quod concordiam stabiliat neque sensui literali neque factis naturalibus satis consonam, a permultis iam impune deseritur? Nonne in re Diluvii longe communior est ea sententia, quae ante duo saecula vix non in indicem referebatur, non omnem terram aquis esse submersam?

Adnectimus elenchum auctorum, non omnium quidem, sed eorum quos frequentius in commentario citamus, brevibus quibusdam formulis eorum opera designantes. Quarum formularum haec esto lectori clavis.

Aug. : Nisi aliud adscribatur, designantur pro prioribus Geneseos capitibus ea opuscula, quae habentur *M.* 34. (De Genesi contra Manichaeos, etc.); pro sequentibus Libri de Civitate Dei *M.* 41.

Ambr. : Hexaemeron, aliaque in Genesin opuscula *M.* 14.

Chrys. : Homiliae in Genesin *M.* 53 sq.

Bas. : Homiliae in Hexameron *M.* 29.

Ephr. : Commentarius, qui habetur Op. I. 1 sqq.

Iac. Edess. : alter commentarius Op. I. 116 sqq., qui etiam S. Ephraem tamquam potissimo auctori tribuitur.

Hier. : ni aliud adscribatur, indicatur Liber Hebr. Quaestionum in Genesin, *M.* 23.

Hugo (a S. Victore) : Adnotationes elucidatoriae in Pentateuchum, *M.* 175.

E recentioribus :

Budde (K.) : Die biblische Urgeschichte, Giessen 1883.

Cornely (R.) : Introductio II. 1 (Cursus Scripturae sacrae).

Chabas, Antiquité : ita designamus librum F. Chabas : Études sur l'antiquité historique, Paris 1873.

Del. : Franz Delitzsch : Neuer Commentar über die Genesis, Leipzig 1887. Hic commentarius semper intelligitur, quoties « Del. » scribitur neque aliud adscribitur.

Del. Par. : Friedrich Delitzsch, prioris filius : Wo lag das Paradies? Leipzig 1881.

Dillm. (A.) : Die Genesis von der 3. Auflage an erklärt. 5. Auflage. Leipzig 1886.

Erman (A.) : Aegypten u. aegyptisches Leben im Altertum. Tübingen 1885.

Houb. : Houbigantii Notae Criticae, Paris 1753.

Hommel (F.) : Die semitischen Voelker u. Sprachen, Leipzig 1883.

Keil (C. F.) : Biblischer Commentar über die Bücher Mose's I. — 2. Auflage, Leipzig 1866.

Kn. : A. Knobel : Die Genesis, 2. Aufl., Leipzig 1860.

Kuenen (A.) : Historisch-Kritische Einleitung in die Bücher des A. T. 1, Leipzig 1887 (transtulit e lingua batavica Th. Weber).

Len. Origines : Fr. Lenormant : Les origines de l'histoire etc., I. Paris 1880,II. 1. 1882, II. 2. 1884.

Len. Bérose : Fr. Lenormant : Essai de commentaire des fragments cosmogoniques de Bérose, Paris 1871.

Len. Civilisations : Fr. Lenormant : Les premières civilisations, Paris 1874.

Lamy (Th. I.) : Commentarium in librum Geneseos, Mechliniae 1883-4.

Motais, Déluge : A. Motais : Le déluge biblique, Paris 1885.

Motais, Origine : A. Motais : Origine du monde d'après la tradition, Paris 1888.

Rahmer (M.) : Die hebraeischen Traditionen in den Werken des Hieronymus, Breslau 1861.

Schrader KAT : E. Schrader : Die Keilinschriften u. das Alte Testament. Citamus translationem anglicam O. C. Whitehouse : The cuneiform inscriptions and the Old Testament, London 1885-8.

Schrader K G : E. Schrader : Keilinschriften u. Geschichtsforschung, Giessen 1878.

Tiele (C. P.) : Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886.

Vigouroux, Bible : F. Vigouroux : La Bible et les découvertes modernes, 3e édition, Paris 1881.

Vigouroux, Manuel : F. Vigouroux : Manuel biblique, Ancien Testament, 3e édition, Paris 1882-3.

Wellh. Comp. : I. Wellhausen : Die Composition des Hexateuchs, Berlin 1885. (2. Heft von : Skizzen u. Vorarbeiten. — Editum iam ante : Iahrbücher für Deutsche Theologie 1876-7).

Wellh. Prol. : I. Wellhausen : Prolegomena zur Geschichte Israels. 2 Ausgabe. Berlin 1883.

Wiedemann (A.) : Aegyptische Geschichte, Gotha 1884.

Ubi alia laudatorum auctorum aut aliorum auctorum opera appellantur, tituli integri citantur.

COSMOGONIA BIBLICA

GEN. 1,1-2,3

CAPUT I.

HISTORIA INTERPRETATIONIS COSMOGONIAE BIBLICAE [1].

Primo loco recensenda interpretatio *inspirata* ab auctoribus sacris recentioribus tradita. Qui non novas aliquas de origine rerum pandunt revelationes, sed assistente divino Spiritu Genesi narrata definiunt et celebrant. Dei in condendis rebus sapientiam, omnipotentiam, bonitatem pluribus locis extollunt. Quod Genesis de rebus ad Dei vocem productis habet, id distinctius Dei sapientiae personali attribuunt (Prov. 3,19 sq.; 8,22 sq.; Sap. 9,9; Eccli. 24). Creationem ex nihilo (2 Mach. 7,28) neque ab aeterno factam (Prov. 8,23 sqq.; Eccli. 24, 14) inculcant. Hexaemeri opera poetice simul et vere amplificant (Ps. 103; Iob. 38 sq.). A quibus ubi primum ad Hebraeorum elucubrationes *non inspiratas* deflexeris, duplici via veritatem revelatam obscurari deprehendes. Alii siquidem auctores iudaei sensum literalem exaggerant rabbinicisque farciunt figmentis. Exemplo sit auctor 4 Esdr., qui 6,38 sqq. Cosmogoniam orditur verbis « Fiat coelum et terra », tertia die septimam orbis partem attribuit aquis, reliquum aridae, diei quintae fabulas de Henoch et Leviathan admiscet. Alii, sensu literali misere neglecto, toti merguntur sensu allegorico. Quorum antesignanus *Philo* materiam adstruebat aeternam, lucem primae diei interpretabatur angelos, hexaemeri dies allegoricos, non reales adstruebat.

Philonis vestigia premens *Origenes* sensum allegoricum fere unice sectatur. Ipse, quod lux non potuerit ante sidera creari, nisus Eccli. 18, 1 « creavit omnia simul » et Gen. 2,4 « in die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram », excogitavit quam vocant creationem simultaneam. Operibus in sex dies distributis sola ordinum in creatis diversitas exprimitur, dies ideales sunt, non reales. Opera singula secundum allegoriam sunt intelligenda : coelum sunt angeli, abyssus

---

1. In hac disputatione utiliter consules *O. Zoeckler :* Geschichte der Beziehungen zwischen Theologie und Naturwissenschaft, Guetersloh 1877-1879. — *A. Motais :* Origine.

1945

infernus, aquae superiores et inferiores boni malique angeli, sol et luna Christus sunt et Ecclesia, etc. Cf. Hom. in Hex. (*M.* 12.145 sqq.), De Princ. lib. IV n. 16 et c. Celsum lib. VI n. 60 (*M.* 11. 376 sq. 1380), et passim.

Cum Origine videtur creationem simultaneam defendere *Athan.* Or. II. c. Arian. n. 60 (*M.* 26. 276). Qui idem primus ex voce « Faciamus » argumentum demonstrandae Trinitatis derivavit. — Ante Or. pauciora quaedam de Cosmogonia scripsere *Theophil. Antioch.* ad Autol. II. (*M.* 6. 1069 sqq.), *Hippolytus* in fragm. (*M.* 10. 583 sqq.), *Tert.* adv. Hermog. c. 19 sqq. (*M.* 2. 214 sqq.), *Clem. Alex.* Strom. V. 14 (*M.* 9. 129 sqq.) etc.

Aliam omnino ab Or. viam ingressus est *Ephraem,* cujus duos Opp. I habemus commentarios, unum totum ab ipso contextum, alterum p. 116 quem *Iacobi Edesseni* nomine citamus. Adhaeret is presse sensui literali eumque ut plurimum feliciter assequitur. Creationem igitur simultaneam respuit (p. 6), dies tuetur naturales, quas quidem a vespera ad vesperam metitur, quod coeli et terrae creationem prima die includat. Creationem docet ex nihilo et in tempore factam. A « coeli » nomine angelos excludit, « spiritum Dei » aquis incubantem ventum interpretatur, ubi tamen merito dissentit *Iac. Edessenus.* Lucem primae diei describit vagam, nulli certo loco affixam, nebulae splendentis speciem referentem. Unica die et ex humo nascuntur arbores fructusque maturant. Quarta die ex luce primigenia condensata ortum duxisse astra, nonnisi dubitanter suggeritur.

Ephraem Syrum in exprimendo sensu literali aemulabantur *Diod. Tars.* (*M.* 33. 1561 sqq.) et *Theod. Mopsv.* (*M.* 66. 636 sqq.), ut ex eorum Fragmentis colligere est. Item *Chrys.* in Homiliis in Genesin (*M.* 53), qui Ephraemo sat presse adhaeret, « spiritum » tamen Gen. 1, 2 virtutem quamdam vivificatricem interpretatur, dum Diod. Tars. eundem vel ventum vel S. Spiritum interpretari permittit. Istud sc. Ephraemi placitum mox communi interpretum consensu e medio sublatum est.

At aliud Chrysostomi omnino proprium h. l. praetermitti non debet (*M.* 53. 27 etc.), Moysen per prophetiam a Deo Cosmogoniam didicisse, per prophetiam inquam, quae non uti aliorum prophetarum eventura praenuntiet, sed ante generis humani creationem transacta referat.

Explicitior etiam hac in re Chrysostomi aequalis *Severian. Gabalit.* Or. I. in mundi creationem (*M.* 56. 431), cujus verba placet adscribere : « Haec historia Moysis legislatoris scriptum est et Spiritus S. revelatio, continetque creationem Dei virtute factam, per propheticam vero gratiam Moysi revelatam. Non enim haec Moyses ut historiographus dixit, sed ut propheta : illa quippe dixit, quae non viderat, et illa narravit, quorum spectator non fuerat. Ut enim pridem tria esse prophetiae genera diximus,

primum verbo, secundum opere, tertium opere et sermone : sic nunc tres prophetiae partes statuimus, prophetiam de praesentibus, prophetiam de futuris, et prophetiam de praeteritis... Moyses quae ante evenerant aperuit, alii quae eventura erant. Accipienda igitur historia haec non ut narratio, sed ut prophetia veraciter a Spiritu S. prolata ». — Huc refer *Greg. Nyss.* (Hexaemeron; *M.* 44. 68) loquentem de iis, « quae a Moyse in caliginis obscuritate *conspecta* sint ». Eadem sentit saeculi sexti scriptor *Iunilius Africanus* (Instituta regularia lib. I cap. 3. sq.; *M.* 68. 17) : « Cum ipse Moyses dicit in principio factum coelum et terram, prophetico quidem spiritu dicit, sed specie narrat historica ». « Da in praeteritis prophetiam. (Resp.) Verbo Domini coeli firmati sunt; et : quoniam ipse dixit et facta sunt; et : in principio fecit Deus coelum et terram ». — Consentiunt *Theodoret.* (Prooem. in Ps.; *M.* 80. 861) aliique plures.

Magna Ephraem Syri et Ioannis Chrys. in studio sensus literalis prae allegorici laus : neque minus commendandi Cappadoces fratres *Bas.* et *Greg. Nyss.*, qui ad eundem eruendum insignem plane *rerum naturalium*, quae tum temporis a viris eruditissimis haberi posset, contulere peritiam. — Primam quidem *Bas.* (*M.* 29.17; Homiliae in Genesin) creationem Gen. 1,1 « subito et momento » factam affirmat, at dies Hexaemeri naturales omnino tuetur. Angelos ante hunc mundum creatos a luce primae dici eximit. Priori triduo diem noctemque effectas scribit expansione et contractione lucis primigeniae. Novit tam coelum quam terram sphaerae formam imitari. Aquas superiores docet in statu non liquido, sed vaporoso esse. Dei sapientiam tam in plantis quam in animalibus celebrans, pauca affert inaccurata vel fabulosa, plurima in rerum natura sedulo et sagaciter observata. — Greg. Nyss. l. c. fratris placita explanaturus, in pluribus eadem mutat ac corrigit. Neque mirum, ubi Bas. attentarat in ipsa quadamtenus rerum natura veritatem narrationis mosaicae demonstrare, exstitisse aliquos, qui eam concordiam non omnibus esse numeris absolutam quererentur. Contra quos ab eo Greg. canone orditur, omnia in mundi origine *secundum leges naturae* esse effecta. Sic mundum ab initio tenebris mersum prodiisse, explicat adhibita comparatione vis igneae in silice primum, antequam percutiatur, habitante. Prima die lucis elementa per universum pridem disseminata affinitate quadam in unum convolavere, reliquo orbe nocte immerso. Ignis summa celeritate, tamquam sagitta ab arcu emissa, ad summam usque mundi prosiliens ibique motum rectum producere haud valens, in orbem necessario moveri coepit. Firmamentum, quod rerum sensibilium summum sit, ideo etiam omnium est rarissimum minimeque densum. Astra ex luce primigenia sic orta describit, ut rotantis lucis particulae in varia corpora coelestia coaluerint. Rerum priori triduo effectam distinctionem comparat aquae cum oleo et mercurio in unum vas con-

fusae, ubi brevi mercurium imum colligitur, aqua super illud ascendit, supremum supernatat oleum. In hac s. textus cum legibus naturae efficienda concordia, non potuit Gregorium effugere difficultas, quae est in tota illa coelorum genesi intra ter vinginti quatuor horarum angustias comprimenda. Difficultatem agnovit, pro ea quam habebat rerum naturalium cognitione solvere aggressus est, s. textui vim intulit nunquam, dies naturales constanter defendit : p. 116. 120 iterato affirmat, tridui spatium *satis fuisse* ad varias mundi partes dicta ratione distinguendas. Alterius tridui opera ex professo explicanda non suscepit, secus maiorem forte in plantis unico die ad maturitatem perductis difficultatem expertus esset; at de plantis (De hominis opificio, *M.* 44.132) id solum obiter advertit, « recenter natas continuo ad pulchritudinem eximiam excrevisse ».

Theodoret. (Quaestiones; *M.* 80. 75) medio inter auctores laudatos tramite incedit, a singulis quaedam mutuatus. Vel in ipso tum Aegypto Origenis iam allegorismum interpretationis ratio literalior exceperat : *Cyr. Alex.* (c. Iulian. lib. II; *M.* 76. 585) creationem aeternam negat, dierum successionem defendit; illud quoque notatu dignum, ita eum (Glaphyra in Gen. lib. I; *M.* 69. 17) quarta die *apparuisse* scribere astra, uti tertia die apparuerit terra iam ante exsistens. Sensum literalem unice sectatur *Io. Philoponus* (De mundi creatione, Viennae 1630 edidit B. Corderius S. I.), rerum naturalium in paucis peritus. *Proc.* c contra (Comment., *M.* 87) in Origenis dies ideales relabitur, numerum dierum induci ait ordinis gratia, quem secus in tanta creaturarum multitudine imbecillus noster intellectus deprehendere minime valeret. Adde *Gennadii* Fragmenta (*M.* 85. 1624), *Ps. Eustathii* Commentarium (*M.* 18. 708), *Anastasii Sin.* Anagog. Contemplationes in Hexaemeron (*M.* 89. 851), et alios quosdam minoris notae. Graecorum agmen claudit *Io. Damasc.* (De fide orthodoxa lib. II; *M.* 94. 861).

Habes igitur systematum eorum, quae doctos hodie distrahunt viros, iam apud graecos auctores primordia : *systematis idealis*, quod Origine illustratur patrono; *systematis concordiae*, quam primi attentavere Bas. et Greg. Nyss.; *systematis visionis*, ad quod Chrysostomi verbis manuducimur; qui tamen auctores praeter et contra Or. omnes, et imprimis Ephraem, *interpretationi dierum literali* indubie adhaerent. Tardius graecis latini in disputationis campum prodiere.

Pauciora tantum habet *Hier.* (Quaest. hebr. in Genesin, *M.* 23. 935; Ep. 69 ad Ocean., *M.* 22.659), sensui literali ut plurimum adhaerens, quandoque tamen etiam allegorico indulgens. *Ambr.* (Hexaemeron, *M.* 14. 123) Basilium fere sequitur.

Aug. ter, praeter sat multa in Confessionibus descripta, Cosmogoniam ex professo explicandam aggressus est. Primum anno c. 389 necdum episcopus scripsit *De Gen. c. Manichaeos* (M. 34. 173). Crea-

tionem aeternam respuit, dies computat a mane ad mane, eosque viginti quatuor horarum, singula opera obvio fere sensu interpretatur; attamen, qui ante creatum solem potuerit esse vespera disquirens, ad allegorias delapsus vespera ait exprimi opus unum absolutum, mane opus alterum inchoatum, quod humana opera mane inchoari, vespere absolvi consueverint. Qua explicatione, re certe et si non verbis, dies viginti quatuor horarum repudiat rursum, et quidem pro universo Hexaemero : quodsi enim prius triduum allegoricae sit interpretationis, ergo etiam posterius.

Postmodum a. 393, quod cuperet missis allegoriis sensum literalem penitius assequi, scripsit *De Gen. ad lit. librum imperfectum* (*M.* 34. 221), quem tamen postea (Retract. I. 18; *M.* 32. 613) : « manere », inquit, « volui, ut esset index, quantum existimo non inutilis, rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis ». Hic rursum orditur a dierum interpretatione literali, diem primum Gen. 1,5 affirmans dici eo modo, « quo dicimus v. g. triginta dies habere mensem ». Tamen mox in primae diei opere difficultatem experitur, disquirens an integrum a mane usque ad vesperam tempus insumpserit Deus luci producendae, cum tamen in Deo idem sit velle quod efficere. Quo primum loco, appellato Eccli. 18,1 « Qui manet in aeternum, creavit omnia simul », ad creationem simultaneam confugit affirmans, res quidem universas momento a Deo esse creatas, describi autem per intervalla morarum effectas, quo dispositionem earum et ordinem edoceatur lector. Alteram difficultatem facit opus quartae diei, quod tres priores dies concipi sine luminaribus non queant : unde rursum in allegorias delapsus S. D. per mane suggerit exprimi operum pulchritudinem, per vespere eorumdem finitudinem nihilo affinem. Est et alia difficultas admittendae lucis materialis ante effectum firmamentum et sidera, qua inducitur S. D., ut lucem primae diei coniiciat intelligi lucem incorpoream, i. e. angelos. Ubi merito advertit *Motais* Origine p. 177, non textu s. adductum esse Aug. ad eam explicationem proferendam, sed ignorantia legum physicarum : quod idem de altera dicendum erit difficultate. Miratur tandem S. D., unica quinta die aquatilia et volatilia et nata referri et multiplicata; cui affine illud alterum (cf. de Gen. ad lit. IV. 52), unica tertia die plantas et germinasse et fructus maturasse. Reditque S. D. ad illam solutionem, per mane exprimi rerum pulchritudinem, per vespere naturalem earumdem defectum. In quibus omnibus advertas, Augustinum minime ignorasse dies creationis sensu obvio civiles viginti quatuor horarum intelligi oportere; at permotum difficultatibus quibusdam, sive veris sive apparentibus, ex rerum natura contra sensum

obvium petitis, alias textus interpretationes literales tentasse, verum cunctanter solum et per modum interrogationum iisque verborum obscuritatibus involutas, quae demonstrent nequaquam ipsi perspectas fuisse, sed propterea solum quod clariores deessent, scriptis esse mandatas. Quid mirum, a viro ingrati laboris pertaeso librum tandem relictum esse imperfectum? « In scripturis exponendis tirocinium meum sub tanta sarcinae mole succubuit » (32. 613).

Lege praeterea anno c. 400 editas *Confessiones* (lib. XII sq.; *M.* 32. 825) et intelliges, quantopere in hoc toto quaestionum genere incertus fluctuaverit magni doctoris animus. Unum tamen iam audacius affirmat : dum coelum Gen. 1,1 uti prius interpretatur angelos, terram ib. interpretatur materiam informem, deceptus sane ea qua utebatur versione : « terra autem erat invisibilis et incomposita ».

Opus abruptum aliquanto post c. 401 resumpsit, neque tamen nisi elapsis aliis quindecim annis publici iuris fecit, editis *De Gen. ad lit. libris XII* (*M.* 34.245). « In quo opere plura quaesita quam inventa sunt; et eorum, quae inventa sunt, pauciora firmata; cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint » (Retract. II. 24). Reapse plurimae proponuntur quaestiones, perpaucae resolvuntur, incerta relinquuntur vix non omnia. Narratur nobis hexaemeri successione formata materia informis, at ea formatio reapse non successione sed simultanee effecta est. In iis sc., quae simul tempore gignebantur, erat tamen ordo quidam dignitatis, et hic ordo succedentium invicem dierum ordine exprimi potuit. Dignitate reliqua omnia excellit creatura angelica; proxime accedit firmamentum, quod mundi corporei supremum est; inde terra, in qua est potentialiter natura herbarum atque lignorum; postea ornatur firmamentum sideribus, replentur aer, aquae, terra animalibus. Qui Gen. 1,1 dicebantur coelum angeli, iidem v. 3 lucis nomine veniunt, mane et vespere eorum cognitionem matutinam et vespertinam innuit. « Nec quisquam arbitretur », inquit Aug. IV. 28, « illud quod dixi de luce spirituali et de condito die spirituali et angelica creatura, et de contemplatione quam habet in Verbo Dei, et de cognitione qua in se ipsa creatura cognoscitur, eiusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi prius ratio videbatur rei faciendae, quae cognita est facta, non iam *proprie* sed quasi figurate atque allegorice convenire ad intelligendum diem et vesperam et mane ». Adhuc ad literam textum s. exponere intendit Aug. Stupebis ex litera eruisse tam insignem interpretem, quae a litera certissime sunt aliena : sed adverte ad id magna ex parte inductum esse duplici textus, quo ipse utebatur, mendo. Gen. 2,3 « cum factus est dies, fecit Deus coelum et terram », versio orta ex erronea distinctione tex-

tus graeci : verum hinc affirmabat Aug., diem aliquem factum, antequam actu crearet Deus coelum et terram, diem inquam unum, qui tamen re idem sit cum sex hexaemeri diebus, non re, sed solo rerum creatarum ordine ab invicem distinguendis. Rursum ex Gen. 2,3 sq. videbatur effici fecisse Deum virgulta, *antequam* orirentur in terra. Quibus si adjungas Eccli. 18,1, perspicies quomodo potuerit Aug. creationem simultaneam inserere literae Geneseos, hexaemeron vero tamquam unum duratione, senarium solo rerum exhibitarum ordine in cognitionem angelorum relegare. « His omnibus divinae scripturae testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius, ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio saeculi primum simul omnia creavisse, quaedam conditis iam ipsis naturis, quaedam praeconditis causis » (VII. 28).

Ceterum diei septimi IV. 21 consideratio, qui et ejusdem cum reliquis videretur esse rationis, neque ex solo rerum efficiendarum ordine posset explicari, quaecunque antea affirmata vel suggesta fuerant, dubia fecit, suisque de angelorum scientia placitis hoc IV. 28 Aug. inserit monitum : « Quisquis ergo non eam, quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quae non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi : quaerat et divinitus adiutus inveniat. Fieri enim potest, ut etiam ego aliam his divinae scripturae verbis congruentiorem fortassis inveniam ».

Insigne Sancti Aug. meritum non est in ea, quam incertus et inconstans atque textibus quibusdam perperam intellectis proposuit simultanea creatione idealique dierum interpretatione : sed in eo, quod ipse primus *apparentem discordiam,* quae est inter literam et naturam, clare et facunde demonstraverit. Intime perspectum habebat ipse, licet continuo ab illis textibus devius ageretur, sensum obvium literae veri nominis dies legenti obtrudere; sentiebat quaedam esse in rerum natura, quae hexaemeron excluderent, plantas v. g. et animalia unico die a seminibus ad maturitatem producta. Clamabat litera, sex diebus fecisse Deum coelum et terram; occinebat natura, nequaquam sex diebus effectum esse coelum et terram. Ei conciliandae discordiae Aug. tot labores consecravit : quid non effecisset vir tantus, si Itala tres quatuorve textus fidelius ad mentem auctorum inspiratorum expressisset!

Aliquibus post Aug. saeculis disputatio in eodem veluti puncto consistit; auctores Augustino imprimis adhaerent, praeterea etiam Ambrosio, Basilio, Hieronymo. Potiores e plurimis citasse sufficiat. *Greg. M.* quidem (Moral. in Iob. 40, 10; *M.* 76. 644 sq.) creationem simultaneam negat. E contra Augustinum sat presse sequuntur *Ps. Eucher.* (Comment. in Gen., *M.* 50. 893), *Isid.* (Quaest. in Gen.; Sentent. I. 10;

M. 83. 207 et 1153), *Ps. Aug.* (De mirab. scripturae s., *M.* 35. 2149) et alter *Ps. Aug.* (Quaest. ex V. et N. T.; *M.* 35. 2213), *Alcuin.* (Interrog. et respons. in Gen.; *M.* 100. 515), *Scotus Erigena* (De divis. natur.; *M.* 122. 439) a pantheismi labe vix immunis. Felicius e contra sensum literalem assequitur diesque tuetur reales *Beda* (Hexameron; *M.* 91. 1), quo fere duce utuntur *Rhab.* (Comment. in Gen., *M.* 107. 439); *Walafr.* (Glossa ordinaria, *M.* 113. 67), *Angelom.* (Comment. in Gen., *M.* 115. 107), *Remig. Antisiod.* (Comment. in Gen., *M.* 131. 52), *Hugo a S. Victore* (Annot. elucidatoriae in Pent.; De sacramentis fidei; *M.* 175. 29 et 186. 173). E contra *Rup.* (De Trinitate et operibus eius, *M.* 167. 199) rursum in dies ideales relabitur lucemque interpretatur angelos; similiterque *Abaelard.* (Expositio in Hex., *M.* 178. 731).

Revixit ineunte *Scholasticorum* aevo disputatio non tam eo, quod novae aliquae opiniones prolatae, quam potius quod Patrum placita lucide congesta et erronea quaedam communi consensu expuncta fuerint. Quibus adnumeres creationem simultaneam, dies ideales, materiam absolute informem, lucem angelis aequiparatam. Tamen Augustini opiniones reverenter citantur, nulla configuntur nota. Defenditur Gen. 1,20 avium ex aqua origo. Eccli. 18,1 explicatur de prima coeli et terrae creatione; Gen. 2,4 de plantis potentialiter quidem « in principio », actu vero et secundum suas species tertia tandem die creatis. Objectiones ab Aug. ex natura rerum contra dies reales petitas (de sole nonnisi quarta die creato, plantis et animalibus unica die ad maturitatem perductis) non explicite commemorantur, cum auctores illi parati sint animis potius ad miracula recurrere, quam a sensu literali et obvio recedere. Singularum dierum, maxime secundae, opera ita explanantur, ut appareant auctorum animi placitis Aristotelis, mediantibus Arabibus occidentis regionibus invectis esse imbuti. Cf. *Petr. Lomb.* (Sent. lib. II), *Albert. M.* (Summa theologiae II tract. 11; cf. Summa de creaturis), *S. Thom.* (Summa Theol. I. q. 65 sqq.).

Qui post hos viros egregios fuere theologiae magistri, eorumdem explicandos suscepere libros, eorum doctrinae adhaesere, ut iam ecclesia occidentalis vix non universa cum ipsis in exponenda creatione sentiret. Longum est atque parum utile nomina recensere. Ex auctoribus ante absolutum Conc. Trid. placet citare Dominicanos quatuor : *Vincent. Bellovac.* († 1264), cuius Speculum naturale singulorum dierum operibus plurima in rerum natura observata subnectit; *Santem Pagninum* († 1541), *Domin. de Soto* († 1560), *Ludov. Granatens.* († 1528).

Interea reviviscentia studia *hebraica* genuere virorum seriem, qui textum literalem accuratius rimarentur, versiones emendarent, non raro tamen rabbinicis scripta commentis onerarent. Nominanda *Nicolai Lyr.* († 1340) Postilla literalis in Genesim, Lugd. 1590; *Alphonsi Tostati* seu *Abulensis* († 1454) Commentarius, Venetiis 1596; *Pauli Burgensis* e Iudaismo conversi († 1435) Additiones ad Postillam Lyrae

(in tomo I Glossae ordinariae, ed. Duac. 1617). In quem inclementius invehitur *Dionys. Carthus.* († 1471) : Enarrationes etc., Colon. 1534. *Cai.* († 1534) nominum divinorum Elohim et Iahve diversitatem notavit, Gen. 1,20 correctius ex hebraeo interpretatus avium ex aqua originem non affirmari demonstravit. In aliis tamen minus felix, maxime in eo quod in creationem simultaneam relapsus sit, cujus erroris socium habuit *Melch. Canum* († 1560); cf. Loci theologici, Salmant. 1563. *Aug. Steuchus* seu *Eugubinus* († 1550) in Cosmopoeia, Lugd. 1535, plura quidem scribens absurda, dierum opera eventibus naturalibus explicare studet : v. g. lucem primae dei tribuit ipsi soli, a prima ad quartam diem astra docet esse formata, tandem quarta die evasisse omnino visibilia. Reapse haec opinio, astra ab initio exstitisse, quarta vero die visibilia apparuisse, fit apud eius aetatis interpretes in dies communior : cf. etiam *Ambr. Catharini* († 1552) Explanationes in prima quinque Genesis capita.

Ex quo revixere studia hebraica, textus hebraeus iam ab interpretibus universim consuli coepit; idque eo magis, quod *Reformatores* sensum literalem et primigenium continuo premerent. Qui tamen in elucidanda Cosmogonia parum profecerunt, quod literae subservientes de concordia revelationem inter et scientiam haud essent solliciti et ad miracula supponenda usque proni. Exempla vide apud *Zoeckler* l. c. I. 675 sqq.

Auctores catholici Concilio Tridentino recentiores, re quidem ab interpretibus scholasticis antiquioribus vix dissonant, verum axiomata quaedam statuunt perquam vera et salutaria. Ita *Pererius* S. J. has explicationi regulas praemittit : 1ª Doctrina Moysis, quae de creatione mundi traditur, est plane historica. 2ª In hac Moysis doctrina tractanda et explicanda non est sine causa recurrendum ad miracula et ad potentiam Dei absolutam, sicut inscienter et inepte faciunt nonnulli. 3ª Cavendum est ne, quam quisque semel adamavit et amplexus est sententiam, eam non modo teneat mordicus et praefracte defendat, sed etiam contendat ita esse scripturae propriam, ut aliam quamlibet suae vel adversam vel diversam, clamet scripturae esse contrariam. 4ª Illud etiam diligenter cavendum et omnino fugiendum est, ne in tractanda Moysi doctrina quidquam affirmate et asseveranter sentiamus et dicamus, quod repugnet manifestis experimentis et rationibus philosophiae vel aliarum disciplinarum. Utiliterque *Lap.* monet, torquendam non esse s. scripturam ad sensa philosophorum.

Quae monita tanto erant opportuniora, quod tandem in philosophicis, i. e. rerum naturalium quaestionibus, ingentes imminerent mutationes. Substituerat 1543 *Nic. Copernicus* heliocentrismum Ptolemaei

geocentrismo. Observaverat 1519 *Leon. da Vinci* strata et petrefacta. Deficiebant adhuc doctos hos viros mechanici apparatus, vulgo instrumenta dicti, quibus sua placita confirmarent. Haec suppetiit saeculi decimi septimi pars prior excogitatis telescopio, microscopio, barometro, machina pneumatica aliisque, ut tandem 1686-7 *Is. Newton* mathematice demonstraret, una gravitatis lege terrestria atque coelestia regi.

Hinc iam coepere rerum naturalium periti de ortu mundi philosophari. Quorum omnia et singula recensere systemata nostrum non est, praecipua tantum attingemus. Et primum quidem orbis conformatio, quae nunc est, *diluvio Noe* attribui coepta est. *Ant. Gonzalez de Sala* 1650 censebat, orbem primo creatum diluvio penitus interiisse, aliis ab illo locis continentes, quae nunc sint, emersisse. Defendebat *Th. Burnet* 1682, creatam esse terram omnino planam, montes diluvio natos. Sed haec arbitraria omnino. Primus *I. Woodward* 1659 fossilia non esse lusus naturae, sed a veris plantis animalibusque ortum trahere diluvio obrutis affirmabat. Quem secutus *I. Scheuchzer* 1731 ossa quorumdam animalium antediluvianorum declarabat esse gigantum diluvio Noe interemptorum. Et hi quidem auctores neptunistae erant, quem nunc conspicimus orbem sola vi aquarum formatum asserentes. Contra quos *G. Leibnitius* aliquem etiam ignis adstruebat influxum (plutonistae); *A. L. Moro* autem 1740 montes, qui fossilia continent, vi ignis e fundo maris esse sublatos docebat, reliquos esse superficiei terrae reliquias diluvio destructae. Tandem, durationem cosmogoniae quod attinet, *G. Wiston* 1696 terra nondum circa axin sed circa solem tantum rotante, tenet diem primitus idem fuisse quod annum, sexennio igitur mundum creatum; *G. L. Buffon* 1749 centum millia postulabat annorum. *I. E. Silberschlag* 1780 sex diebus efficiebat omnia.

Puerilibus his, si ita loqui fas est, tentaminibus successere aliorum studia maturiora. 1755 exponebat *I. Kant* systema 1796 a *P. S. Laplace* excultum, quo, motibus coelestibus omnibus ad unam gravitatis legem revocatis, siderum universorum ortus ad unum globum fluidum circa axin rotantem revocatur. *C. Lyell* 1830-1838 in geologicis neptunismum plutonismo reconciliavit atque stratorum genesin magis ex legibus naturae quiete longis temporibus agentibus, quam ex subitis convulsionibus explicandam demonstravit, argumentis nisus palaeontologicis, quam disciplinam ineunte saeculo *G. Cuvier* solidis superstruxerat fundamentis. Quibus illud jam efficiebatur, ut, quae strata pridem diluvio Noe orta adscriberentur, eadem illo longe antiquiora atque ante genus humanum nata unanimi consensu celebrarentur; orbis origini secundum leges naturae effectae non sex dies, sed longae periodi assignarentur.

En tibi igitur resuscitatam difficultatem illam, quae Doctoris Hipponensis torserat ingenium, non iam textibus suffultam aut perperam intellectis aut male translatis, sed textu expressam libri naturae rupi-

bus stratisque incisi. Resurgunt aevi carbonici nemora, reviviscunt immanes saurii, conchilium innumeratae legiones, revolvuntur paginarum instar strata stratis superfusa, lenta saeculorum deposita, atque proclamant mundum sex diebus haudquaquam esse effectum. Contra quos audis scripturam protestantem, sex diebus fecisse Deum coelum et terram. Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Haud mirandum, viros a fide christiana alienos ad naturae testimonium provocare, quo sacra quaeque explodant atque convellant, apologetas christianos nullam non tentasse viam, qua ea se objectione expedirent.

Et primum quidem negavere complures, ullum fidei et scientiae revera exsistere dissensum.

Pauci tantum e recentioribus ausi sunt, strata illa defendere post creatum hominem, sc. diluvio Noe esse formata : *C. F. Keil,* Biblischer Commentar über die Bücher Mose's, Leipzig 1866; *P. Laurent,* Études géologiques, philologiques et scripturales sur la Cosmogonie de Moïse, Paris 1863; *A. Sorignet,* La Cosmogonie de la Bible etc., Paris 1854; *V. M. Gatti*, Institutiones apologetico polemicae, 1867; *I. E. Veith,* Die Anfänge der Menschenwelt, Wien 1865; *A. Bosizio S. I.*, Das Hexaemeron u. die Geologie, Mainz 1865; Die Geologie u. die Sündfluth, Mainz 1877; *A. Trissl,* Sündflut oder Gletscher? et : Das biblische Sechstagewerk, München-Regensburg 1894; *G. I. Burg,* Biblische Chronologie, Trier 1894. Verum haec *Diluvianistarum* sententia neque iis satisfacit, quae scriptura docet de diluvio Noe, neque certis geologiae et palaeontologiae canonibus.

Unde interpretes alii (*Restitutionistae*) strata non post sed ante hexaemeron formata esse contendunt. Sc. immediate ante hexaemeron praecesserat Thohu-va-bohu Gen. 1,2, quo tempore omnia confusa essent et submersa. At scriptura non cogimur admittere mundum in statu Thohu-va-bohu fuisse creatum, quinimo immensa tempora inter primam creationem Gen. 1,1 et inter Thohu-va-bohu Gen. 1,2 intercedere potuere. His igitur attribuere licet stratorum geologicorum originem, Gen. 1 nobis narrante orbis non formationem sed reformationem. Eratque ea hypothesis veri tanto similior, quod duce Cuvier ineunte hoc saeculo geologi communiter statuerent, singulas geologicas epochas catastrophis quibusdam exitialibus et universalibus ab invicem dividi, cujusmodi catastrophe Thohu-va-bohu fuisse censebatur. Igitur eiusmodi Restitutionis systematis praecipui fautores exstitere *I. G. Rosenmüller,* Antiquissima telluris historia, Ulm 1776; *W. F. Hetzel,* Die Bibel A. u. N. T., Lemgo 1780; *Th. Chalmers*, Review of Cuvier's theory of the earth, Edinburgh 1814; Evidence and authority of the divine revelation, Edinburgh 1814; *N. Wiseman,* Twelve lec-

tures etc., London 1849; *W. Buckland,* Geology and Mineralogy considered with reference to natural theology, London 1838.

Hoc systema difficultatem non patitur ex Gen. 1,2; at non explicat, quomodo tertia, quinta et sexta die, quae vulgares supponi debent, plantae et animalia ad maturitatem pervenerint. Evolutionem terrae hexaemeron praecessisse est tandem mera hypothesis; imo cum opus primae dici ad ortam primum terrae circa axin rotationem referatur, hanc autem rotationem etiam Restitutionistae in prioribus suis evolutionibus adstruant, eo argumento eorum systema excluditur. Catastrophen, qua tota terra in Thohu-va-bohu fuerit redacta, geologia penitus ignorat, imo negat.

Restitutionistae aliqui suae theoriae mysticum quiddam admiscuere, Thohu-va-bohu interpretati rudera mundi cuiusdam anterioris angelorum lapsu destructi: ita inter alios *L. Schmid,* Erklärung der hl. Schriften des A. u. N. B., Münster 1834; *A. Westermayer,* Das A. T. und seine Bedeutung. Schaffhausen 1861; *I. H. Kurtz,* Bibel u. Astronomie, Berlin 1842. Quae sententia, uti patet, sufficiens in s. scriptura non habet fundamentum.

Commemorandum h. l. effugium, quod defendi posse censebat Pianciani, exprimi quidem in Genesi sex dies vulgares, at eos *non necessario continuos;* fuisse in rerum natura sex periodos, scripturam vero cuiusque periodi primum tantum diem commemorare. Sensus obvius textus sane is est, eodem mane et unum diem esse absolutum et alterum inchoatum. Num inter sextum diem, quo creatus est Adam, et septimum, quo requievit Deus, etiam longior intercessit periodus? Rursum sensus obvius est, non prius singulos dies desiisse, quam opus illis a Deo praestitutum esset absolutum: quo concesso quorsum tandem istae periodi adstruuntur?

Cum igitur strata geologica neque cum Diluvianistis post, neque cum Restitutionistis ante neque cum ea, quam modo diximus, sententia ita intra hexaemeron biblicum formata defendi queant, ut dies interjectis periodis ab invicem separentur, concedi iam necesse est eandem hexaemero biblico narrari cosmogoniam, quam strata etiam geologica repraesentent. Non eludenda sed solvenda difficultas, quomodo id scriptura sex diebus formatum affirmet, quod geologia longioribus epochis effectum demonstret. Plura etiam hic excogitata fuere systemata.

Primi *Periodistae* (iidem alio nomine *Concordistae* appellati, at minus accurato, cum omnia tandem systemata concordiam intendant) defendunt, dies Cosmogoniae mosaicae *sensu literali* de longioribus periodis intelligi posse et debere, atque ita efficiunt concordiam scientiam inter et revelationem.

Antiquata prorsus sunt quorumdam tentamina efficere conantium, voces hebraicas sensu literali *proprio* de periodis posse intelligi. Quidquid v. g. *I. B. Pianciani S. I.* (In historiam creationis mosaicam commentatio, Neapoli 1851) ex etymologia vocum

יום, ערב, בקר disputet, non efficiet vocem יום h. l. tempus indeterminate sonare seu periodum, neque reliquas duas voces verti posse « commixtio » et « divisio ». Neque cum *C. G. Hensler* (Bemerkungen über Stellen aus den Psalmen u. der Genesis, Kiel 1791) accipere fas est substantiva collective : « et factae sunt noctes et factae sunt dies, epocha prima » ; aut cum *S. Turner* (Sacred History of the world, 3d ed. London 1833) effingere, terram tum longe lentius quam nunc circa axin rotasse. Cum igitur dies sensu literali proprio de periodis intelligi nequeant, id solum superest definiendum, possintne ii sensu literali *translato* seu *metaphorico* de periodis accipi.

Periodistae igitur censent, dies hexaemeri metaphorice de periodis accipi posse ob rationes exegeticas, accipi debere ob insignem, quam ea explanatio efficiat, cum geologia concordiam. Vocem *dies* aiunt de longiori quandoque durationc in scriptura adhiberi, h. l. autem ita adhiberi oportere attento, quem sacer auctor intendat, narrationis fine. Praeterea, quod omnes illos dies oporteat esse eiusdem generis, primi autem tres, quippe qui sole caruerint, non fuerint dies vulgares, inferunt omnes esse vulgaribus longiores. Idipsum inferunt exinde, quod septimus dies vespera careat sitque vulgari utique longior. Quae rationes efficaces non sunt. Singulas discutiemus.

Primum argumentum affirmat vocem יום non necessario designare diem sive naturalem sive civilem; finem vero, quem s. auctor intendat, illud efficere, eiusmodi dies h. l. nequaquam intelligi.

Igitur vocem יום contendunt haud raro in scripturis designare durationem viginti quatuor horis longiorem : ita Gen. 2, 4 « in die, quo », i. e. quando; 3, 5 « in quocunque die », i. e. quandocunque; Is. 49, 8 « in die salutis », i. e. in tempore salutis; Ez. 7, 7 « venit tempus, prope est dies occisionis », ubi *tempus* et *dies* synonyma scribuntur; locisque aliis bene multis. In quorum locorum nullo *dies* longam periodum significat, sed a significatione determinata et propria durationis viginti quatuor horarum ad significationem indeterminatam durationis universim spectatae, viginti quatuor horis sive longioris sive brevioris, descendit. Conferatur *ital.* « allorche », *gall.* « lorsque », in quibus vocibus significatio *hora* in generaliorem sensum temporis evanuit. At vocem יום h. l. non sumi sensu indeterminato evincunt adiectae voces ערב et בקר, quas unice significare *vespere* et *mane* quis ignorat? Habemus igitur eiusmodi diem, qui vespere habet et mane, i. e. diem civilem viginti quatuor horarum. Qua difficultate pressi quidam omnes illas tres voces sensu translato accipiunt : si rerum, inquiunt, productio sub imagine hebdomadae eiusque partes sub imagine dierum nobis proponantur, cur non liceat singularum etiam partium *initium* et *finem* sub imagine *mane* et *vesperae* exhibere? Licuerit istud sane. At nunquam fas erit initium vocare vesperam, et finem mane; quod facere oportebit h. l., ubi narratur factum esse vespere primum et postea mane. Ne illis quidem gentibus, quae dies a vespera incipiunt, unquam in mentem venit, ut initium rei imagine vesperae, finem imagine manc exprimerent : quippe eam tropicam loquendi rationem omnes a die non civili sed naturali mutuatae sunt, qui ubique terrarum ab aurora orditur. Dein

demus etiam vespere et mane scribi pro initio et fine : quaero ex te, quamnam imaginem nobis textus ex adversariorum mente intellectus ob oculos ponat? nonne durationis, quae vespere incipiat, mane finiatur? Ergone sex noctibus creavit Deus coelum et terram? Et hinc alia tandem manifestatur ratio, qua ille sensus translatus penitus excluditur : vox *vespere* neque initium neque finem eius durationis designat, quam primum hexaemeri diem appellamus; quinimo ipsa illa vox antecedentem lucem demonstrat, cum nonnisi abscedente luce vespera esse possit; illa duratio sc. initium sumpserat, quando iubente Deo, ut fieret lux, facta est lux.

Alii igitur sapientiores *diem* sensu translato ita volunt designare periodum, ut periodi initium et finis sint duo invicem succedentia *mane*, sensu item translato accepta, inter quae, ne tropo excidat oratio, etiam *vespere* aliquod sit adstruendum. Admissam semel diei metaphoram longiorem periodum figurantem suapte natura consequuntur metaphorae mane, vespere et alterius mane metaphoricae illius diei decursum pingentia. Verum eiusmodi complexa metaphora debuerat tamen in textu aliquomodo indicari, ne lector in errorem induceretur invincibilem. Praeterea dies prima describitur illa, quae luce et tenebris constiterit sibi succedentibus, quae a Deo appellatae sint dies et nox. Atqui ita appellantur haec, uti aliis diebus appellantur firmamentum, mare, terra; quae tria nomina omnino accipienda sunt sensu literali proprio, designantque ipsas illas res, quae hodiedum nomine firmamenti, terrae marisque veniunt; ergo nomina etiam dies et nox sumantur oportet sensu literali non translato, designantque diem et noctem naturalem, quibus intercedente vespere coalescit dies civilis. Porro *dies*, quae constat die naturali et nocte naturali, non est dies sensu translato aut metaphorico longiorem periodum exprimens, sed est dies civilis viginti quatuor horarum.

Convulsis primi, quod supra descripsimus, adversariorum argumenti fundamentis examinandum superest illud, quod de *fine* a s. narratore intento ipsi dicunt. Finis, inquiunt, quem Deus in revelando heptaemero intendebat, is erat, ut hebdomadem civilem institueret tamquam memoriale hebdomadis creationis; instituendae autem sufficiens ratio poterat esse ea, quod mundus de facto absolutus esset intra hebdomadam periodorum, non vero necessario dierum. Ad quae breviter respondeo, fontem primarium, unde hauriendus sit sensus alicuius sententiae, esse ipsum textum, secundarium finem loquentis. Ubi textus obscurus, mancus, non inutiliter ad finem convertes animum, quo sententiae sensum propius assequaris; ubi vero textus omnino est planus et perspicuus, ridiculum est a sensu obvio et necessario deflectere, appellato auctoris fine sat arbitrarie et incomplete enuntiato. Quid intendebat Cosmogoniae narrator? Rationem volebat reddere praecepti, quod in s. libris iterato deinceps inculcatur : « Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est... Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo et idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum » (Ex. 20, 9 sqq.; cf, 31, 15 sqq.). Finis igitur s. narratoris erat hanc legem stabilire aut certe eidem praeludere : num ex fine ita concepto ullo iure sequitur, dies hexaemeri non esse intelligendos sensu literali proprio? Repones, ex fine saltem illud haberi, non esse necessario ita intelligendos. Esto, istud non haberi ex solo

fine : at habetur indubie ex textu, quod supra demonstratum non est cur pluribus hic rursum demonstremus.

Alterum argumentum depromunt adversarii ex opere quartae diei. Proficiscuntur sc. a principio verissimo, genere eosdem esse oportere omnes sex hexaemeri dies, ita ut si vel unus demonstretur fuisse dies civilis, reliqui etiam civiles fuisse concedendi sint; si vel unus longior fuisse periodus deprehendatur, reliquos ad viginti quatuor horarum spatium restringere nefas sit. Iam, inquiunt, tres adstruit Cosmogonia ante creatum solem dies : at quis diem civilem concipiat sine sole? Ergo dies priores tres civiles non fuere, ergo neque posteriores. Peccat minor propositio. Dies civilis seu diei naturalis noctisque vicissitudo sine fonte quodam luminis procul a terra constituto et relative immobili concipi utique nequit : potest autem certe concipi eiusmodi fons alius a nostro sole eodemque antiquior. Duo textus indubie pronuntiat : primum creata luce inductam esse successionem dierum naturalium et noctium, qui et nomine et re iidem essent cum nostris diebus et noctibus, et a mane ad mane diem efficerent civilem; alterum quarto die facta esse luminaria coeli ad *eosdem* dies naturales et noctes dividendos, et *eosdem* dies civiles et annos secernendos. Difficultas igitur non est in voce *dies* explicanda, sed in explicanda eius *lucis* antiquioris ratione, fueritne alia a sole an vero ipsa lux solis. Quod alterum interpretes hodiedum ad unum omnes profitentur, licet aliter alii pro variis suis systematis explicant. Rerum autem naturalium periti plantas, quas diei tertiae textus adscribit, sine sole exsistere potuisse omnino negant.

Rursum adversarii eidem, quod supra concessimus, principio innixi *tertium argumentum* in medium proferunt ex die septimo petitum. Hic, inquiunt, viginti quatuor horarum angustias certissime excedit, perdurat quippe inde ab initio mundi et nondum finem accepit : ergo cum is longior sit periodus, periodos concedas etiam ceteros dies. Asserti rationem quaeris : accipe. Dies ille septimus vesperam non habet, non enim de illo dicitur « Factumque est vespere etc. ». Verum enimvero, utut concedamus *Aug.* et post ipsum aliis, sensu spirituali seu typico licere fortasse aliquid ex omissa illa vesperae mentione inferre, similiter atque ex omissa Gen. 14 Melchisedechi origine Hebr. 7, 3 S. Paulus quaedam sensu spirituali deducit : at revera et attento sensu literali tam parum caruit vespera dies septimus, quam parentibus carebat rex ille Salem. Diem septimum profecto habuisse vesperam, si facti adeo evidentis aliquod afferre par sit argumentum, exinde abunde consequitur, quod priores dies sex suam singuli habuerint vesperam. Quod autem vesperae desideretur mentio, ratio haec est, structuram hexaemeri propriam ultra sextum diem ab auctore s. non produci; uti etiam septimo die nihil legitur Deus verbis iussisse, nihil re factum esse ita, nihil bonum praedicatur. Hexaemeron a septimo die secernitur, cum clausula generali 1, 31 « Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona », tum recapitulatione 2, 1 « Igitur perfecti sunt coeli et terra etc. ».

Expeditis argumentis scripturisticis examinanda superest insignis, quam Periodistae praetendunt, cum geologia concordia. Igitur *G. Cuvier* (Discours sur les révolutions du globe, Paris 1812) historiae terrarum in stratis geologicis descriptae sex quasdam epochas liberiori calamo definit diebus hexaemeri correspondentes, atque catastrophis quibusdam ab invicem distinctas.

Cui egregio viro plus minusve assentiuntur *M. de Serres* (De la Cosmogonie de Moïse comparée aux faits géologiques, Paris), *I. F. Krüger* (Geschichte der Urwelt, Quedlinburg u. Leipzig 1822), *D. A. de Frayssinous* (Défense du Christianisme, Paris 1825), *A. Nicolas* (Études philosophiques sur le Christianisme, Paris 1842), *I. B. Pianciani* l. c., etc.

Verum res intimius rimantes latere diu non potuit, epochas geologicas istiusmodi catastrophis nequaquam distingui : unde in Catastrophistarum locum successere Quietistae, duce imprimis *C. Lyell.* Item animadvertere viri docti, non ita adamussim strata geologica correspondere diebus hexaemeri. Quare Periodistae recentiores ita in stratis geologicis epochas sex distinxere, ut eae tamen diebus hexaemeri nonnisi generaliori quadam ratione responderent. In stratis palaeozoicis, inquiunt, et imprimis carboniferis plantae omnino abundant et numero specierum et individuorum mole; similiter in stratis mesozoicis animalia aquatilia et amphibia, in caenozoicis mammalia. Concedunt quidem, aquatilia iam etiam in palaeozoicis reperiri; verum in mesozoicis tanto esse numero tantaque varietate, ut merito ea strata pronuntiaveris eorum animalium propriam esse provinciam, uti caenozoica mammalium, palaeozoica plantarum. Porro sicut plantae aliquae in stratis, quae palaeozoicis sint antiquiora, reperiantur neque tamen inde prohibeamur palaeozoica tertiae diei operi comparare, ita, inquiunt, neque officit novas plantarum species in stratis, quae palaeozoicis recentiora sint, reperiri; aut simile quid in animalibus observari. Singulae periodi singulis correspondent hexaemeri diebus, non tamen mathematice; sic v. g. ante periodum tertiae diei correspondentem a tenuibus initiis exordiebatur, post illam continuabatur plantarum productio.

Cui explanationi obiiciunt alii sequentia :

1) Dato, haec omnia sic habere, uti isti volunt : at in stratis palaeozoicis antiquioribus (cambricis, siluricis, devonicis) repertae sunt animalium species plus viginti millibus una cum admodum paucis speciebus plantarum cryptogamarum. In ipsis palaeozoicis plantarum species numero quidem plures reperiuntur, non tamen nobiliores, coniferae sc. et dicotyledoneae : desunt ergo eae praecise quas Gen. exprimit arbores frugiferae. Quae non-

nisi in mesozoicis et caenozoicis comparent. Interrogabimus igitur Periodistas illos, in quo tandem harmoniam istam inter scientiam et scripturam reponant. Si ille viventium ordo in hexaemero exprimendus sit prior, qui prior in stratis abundaverit numero et varietate, praeponantur iam animalia plantis, quintus dies tertio; si ille, qui prior in stratis perfectioribus speciebus illustretur, primatum obtineant amphibia, quae longis aevis ante imperaverint undis et arvis, quam plantae nobiliores effloruerint. Sane non ita evidens est ea, quae affirmatur, stratorum cum hexaemero concordia.

2) Adde, in stratis operi quartae diei non esse locum. Viventia palaeozoica caruisse sole, sine ulla sufficienti ratione et praeter omnem analogiam naturae affirmet quis. Species plantarum palaeozoicarum affines sunt aliarum quae aevis recentioribus exstitere vel etiamnum exsistunt. Imo earum specierum plures in stratis tam palaeozoicis quam his recentioribus reperiuntur; at dum recentiora strata formabantur aderat sol, ergo illae plantae etiam aevo palaeozoico sine sole non fuerunt, quamvis eius radii vaporibus quadamtenus fortasse interciperentur.

3) Tandem sensu obvio videntur utique singula hexaemeri opera absoluta fuisse tum, quando Dei iussum dicitur opere fuisse impletum et Deus affirmatur vidisse, quod esset bonum.

Periodistae, textum s. audacius quam verius interpretati, testimonium stratorum ad sua detorquent placita confirmanda; quod testimonium cum tandem sit incompletum atque in dies compleatur et corrigatur, Periodistae circumferuntur omni vento, quo pelagus hypotheseon geologicarum et palaeontologicarum agitatur.

Horum auctorum aliquos sufficiat recensere : *H. Miller* (The testimony of the rocks, Edinburgh 1857); *I. Ebrard* (Der Glaube an die hl. Schrift u. die Ergebnisse der Naturforschung, Königsberg 1861); *Mgr Meignan* (Le monde et l'homme primitif, Paris 1869); *G. Molloy* (Geology and revelation, London 1870); *M. Pozzy* (La terre et le récit biblique de la création, Paris 1874). — Refutationes systematis Periodistarum seu Concordistarum vide apud *H. Reusch* (Bibel u. Natur, 3. Aufl., Freiburg i. B. 1870 p. 235 sqq.; 4. Aufl. 1876 p. 244 sqq.), qui prioribus editionibus illud systema professus erat; *C. Güttler* (Naturforschung u. Bibel, Freiburg i. B. 1877, p. 91 sqq.).

Ergo id tandem habemus, textum s. secundum sensum literalem omnino loqui de sex diebus vulgaribus, qui singuli viginti quatuor horas non excesserint. Manetque intacta adhuc et insoluta magna illa difficultas, quomodo vere textus affirmet mundum sex diebus creatum, quem vere scientia affirmet immensis periodis productum. Ad quam solvendam laeta rursus adest systematum seges.

Primum est *Mythistarum*, qui Cosmogoniam nostram mythum esse adstruunt mythis ethnicorum affinem indeque figmentis haud immunem. Quam sententiam ex catholicis nuper defendebat *F. Lenor-*

mant (Origines I). Ea non est catholica, liber in Indicem librorum prohibitorum relatus est, auctor se laudabiliter submisit.

Alterum systema est *Poetistarum*. Poetis quippe multa licent, etiam inspiratis. Age, cur non Cosmogoniam poema dicamus a Moyse in Genesin transsumptum? Canebat vates rerum omnium originem, Deum humano more fingebat sex diebus operantem, septimo quiescentem.

G. E. Paulus (in : Neues Repertorium für biblische u. morgenländische Theologie II. 5, Iena 1790) Cosmogoniam dixit « hymnum sabbatinum », *Rorison* (Replies to Essays and Reviews, 1861) « psalmum creaticium », *Huxtable* (The sacred record of creation), « parabolam, qua observationem sabbati edoceamur ». Ceteris recentior *W. Clifford*, Episcopus Cliftoniensis (Dublin Review 1881 I p. 311 sqq.; II p. 498 sqq.; cf. etiam epistolas bene multas in hac controversia editas in folio Tablet, a mense Aprili ad Iulium eiusdem anni) adstruit, singulos hebdomadae dies singulis apud gentiles diis planetaribus consecratos occasionem praebuisse multiplicis idololatriae; unde Moyses singulos apud Hebraeos consecraverit, ut essent memoriale alicuius operis Dei creatoris; porro Cosmogoniam esse hymnum eam consecrationem celebrantem. Iterato auctor protestatur, Cosmogoniam non esse Geneseos partem sed ita ab ea distinctam, uti epistola ad Romanos distinguitur ab ea, quae proxime in bibliis sequitur, ad Corinthios prima; postea tamen permittit Cosmogoniam accipi ut poeticam totius libri introductionem.

Ad vitandas aequivocationes advertamus primum, poesin et veritatem inter se nequaquam excludere : potest narratio simul esse et poetica et vera. Quodsi ergo quis Cosmogoniam interpretari velit poeticam eamque veram narrationem creationis, haud obiicimus. Et hoc crediderim sensisse auctorem illum (in : Brownlow's Quarterly Review, Apr. 1863), qui putabat Cosmogoniam in sacris decantari consuevisse, choro verba « Et factum est vespere etc. » pro versu intercalari repetente. Verum non id intendunt auctores supra laudati : Cosmogoniam fingunt carmen non epicum sed lyricum, hymnum sacrum.

At, quominus Cosmogoniam a reliqua Genesi separemus, prohibemur non unitate tantum Geneseos supra demonstrata, sed eo, quem evidenter intendebat libri auctor, fine. Volebat is historiam populi sui ad ipsa generis humani initia revocare : iamvero, qui protoparentum acta recensiturus esset, poteratne a mundi creatione commemoranda abstinere? Poterat tanto minus, quod ethnicae gentes quaeque suas circumferrent cosmogonias, unde oportuit genuinam Hebraeis initio Genesis tradi cosmogoniam. Hinc autem illico sequitur, tradi h. l. *ut historiam*. Auctori sane persuasum erat narrari cosmogonia hac mundi originem, non quorumdam commemorari festorum institutionem. Persuasum idipsum erat omnium temporum Hebraeis, qui

suam gentilium cosmogoniis usque opposuerunt; imo ipsi Moysi, qui ex *facto* producti intra sex dies mundi derivabat obligationem septimi diei sacri habendi.

Unde tandem efficitur, non solum Cosmogoniam sensu literali de diebus agere vulgaribus, sed esse praeterea documentum non mere poeticum aut religiosum, sed *aliquatenus saltem historicum*. Quo distinctior rursum mentibus nostris obtruditur difficultas, quomodo in documento aliquo vero sensu historico affirmari queat mundus sex diebus esse creatus, quem strata ostendunt nonnisi longis periodis formatum.

Solutionem iam tentant *Idealistae* statuentes, sex diebus non exprimi sex in opere creatoris distincta tempora seu periodos, sed sex momenta logica seu sex divinas ideas creatione in effectum productas. Idea haec princeps fere est S. Augustini, qui ad illam deductus est suo, quem textibus quibusdam demonstrari putabat, creationis simultanaeae dogmate. Ideam suam fecerunt Idealistae, creationem simultaneam supprimunt, non scrupulo ullo exegetico permoti, sed reverentia acti virorum rerum naturalium peritorum. Auctores sunt pauci, argumenta abstrusa, causa desperata.

Primus hoc systema suscitasse videtur *F. Michelis* (Natur u. Offenbarung I. 1855, Münster), sequenti exemplo usus ad suam explicandam sententiam. Narraturus acta Caroli Magni aut ordine chronologico annales congeres, aut materiam logico ordine capitibus quibusdam complecteris, ut primum agas de Carolo rege, postea de eodem legislatore, christiano, patrefamilias etc. Eadem ratione, inquit Michelis, Cosmogonia opera creatoris recenset, salva omnino atque intacta veritate historica. Cui merito reponas cum *Bosizio* (Hexaemeron p. 201), non sane te vere asserturum, fuisse Carolum primo regni anno regem, secundo legislatorem, tertio christianum, quarto patremfamilias, et ita porro. Singulis hexaemeri operibus explanandis admiscet Michelis sua deliramenta philosophica, a reliquis Idealistis uno ore condemnatur, imprimis a *I. B. Baltzer* (Die biblische Schöpfungsgeschichte, Leipzig 1867; operis imperfecti accessit continuatio posthuma 1872), qui auctor philosophatur potius quam textum interpretatur, sequacem nactus est nullum, refutatus est a *H. Reusch* (Theol. Literatur-Blatt, Bonn 1867, p. 232). Ipse Reusch pridem Periodista in tertia libri editione (Bibel u. Natur, Freiburg i. B. 1870) in Idealistarum castra migravit. Cosmogonia edocemur omnia a Deo effecta esse, hoc unum scitu necessarium; quanto autem tempore quove ordine effecerit ea Deus, ad religionem nihil confert et hinc neque in textu s. exprimitur; dies Cosmogoniae adhibentur solummodo tamquam typus hebdomadae requie septimae diei concludendae. Quo argumento, quod supra iam refutabamus, delectantur etiam Periodistae; sed Idealistae illud urgentes, eius simul absurditatem clarius pandunt. Quodsi enim arbitrarie praesumas definire, quid Deus in Cosmogonia dicere velit, quid nolit, non est cur in neganda dierum propria significatione sistas, sed aequo iure omnem omnino successionis conceptum eliminabis. Sententiam Reusch reiicit *C. Güttler*, qui l. c. p. 101 sqq. varia haec systemata solide discutit. Ipse systema profert medium inter Perio-

dismum et Idealismum, quod non immerito reiicitur a *B. Schäfer :* Bibel u. Wissenschaft, Münster 1881, p. 237 sq. Simile systema, quod ipse Idealem vocat Concordismum, exponit *Braun S. I. :* Ueber Kosmogonie vom Standpunkt christlicher Wissenschaft, Münster 1889.

Contra quae advertas, illam de momentis logicis interpretationem non secundum ullum canonem hermeneuticum ex textu esse haustam, sed totam quantam procedere ex desperatione. Non elucidant textum illi auctores, sed eliminant; exanimantur terrore gigantum, qui in geologorum finibus habitant. Ad disquisitiones, quid nos Deus voluerit docere, respondeas, agi hic de textu claro minimeque ambiguo exponendo, quippe quod obscuritates omnes non e textu natae sed forinsecus sint in illum importatae; in eiusmodi autem textu interpretando eam esse regulam sequendam, ut ex eo, quod textus *dicat*, eruatur quid *dicere velit*. Idealistae inverso tramite incedentes primum ex praeiudiciis aliunde conceptis, quid textus dicere velit et debeat, definiunt, postea textum misere torquent, ut, quod dicere debeat, etiam dicat. Idealistae Cosmogoniam accipiunt ut documentum mere religiosum seu dogmaticum, dum auctor sacer illud utique etiam habebat pro documento *historico*. Nam praefixit auctor Cosmogoniam tamquam libri Genesis primam pericopen, qui liber totus est historicus : atqui libri historici primam pericopen oportet esse etiam ipsam aliquo vero sensu historicam. Certe auctor sacer Cosmogoniam habebat documentum historicum : num salva inspiratione licebit supponere, eum id falso supposuisse? Attende eiusdem Cosmogoniae cum Cosmogoniis ethnicorum affinitatem communis originis indicem, quae utique pro historicis narrationibus circumferebantur.

Tot quae discussimus systematum quid tandem relinquitur? Diluvianismus ignorantiae rei geologicae reus scribitur; Restitutionismus ab ipsis, quorum conciliandorum ergo excogitatus fuerat, geologis repudiatur; Periodismus vim infert textui, Poetismus contextui, Mythismus revelationis conceptui; Idealismus ingenita obruitur absurditate. Omnia tenebrae sunt et chaos : unde tandem optata affulgeat lux!

Ultima sententia est *Revelationistarum*. Proficiscuntur ii a principio omnino indubio, Cosmogoniam nonnisi *revelatione divina* hominibus primum innotescere potuisse : nullus quippe ante creatum Adam exstabat homo, qui rem oculis contueri posterisque narrare potuerit.

Ex quo principio illico perspicies, quod iam monuere *Chrys., Sever. Gabal., Iunil. Afric.* (ll. cc.), revelationem hanc fuisse omnino *sui generis*. Cum enim ceterae fere eventuum revelationes respiciant nonnisi eventus futuros aut secretos praesentes, haec revelatio respicit eventum *praeteritum*, ex natura sua hominum observationi inaccessum. Perspicies item, Cosmogoniam esse omnino sui generis, non solum qua

est revelatio, sed insuper qua est *documentum historicum*. Alia quippe documenta historica ita in libros revelatos fuere adscita, ut tamen tota maneant historica et humana; referunt eventus ab hominibus historice observatos et historicis documentis consignatos. Cosmogonia eiusmodi documentum non est; non ab hominibus ortum duxit eventuum testibus, sed a Deo; eo praecipuo fine concessa est, ut prisci homines in rebus religionis erudirentur et sabbati observationem edocerentur, secundario ut orti mundi rationem discerent. Licet igitur Cosmogonia utique sit documentum *aliquo sensu historicum*, non tamen est strictissimo sensu historicum. Quibusdam vero obiicientibus, Cosmogoniam esse interpretandam ut documentum stricte historicum, quod ea pars sit libri Genesis stricte historici, nego consequens et consequentiam. Consuevere historiographi communiter adhibere documenta latiori sensu seu non stricte historica, ubicunque documenta stricte historica eos deficiant. Ita fecere quicunque initia populorum descripsere, Herodotus, Livius aliique, narrationi temporum stricte historicorum praemittentes quaedam ex populorum legendis et mythis deprompta. Noster igitur auctor, ubi eum documenta stricte historica deficiebant, praemisit Cosmogoniam non ex mythis sed ex revelatione petitam. Sicut vero historici, quamdiu soli fluunt fontes mythici, non possunt in eorum narrationibus adamussim elementa historica a mythicis segregare, ita neque in Geneseos auctoris potestate erat, in Cosmogonia revelata discernere, quid stricte esset historicum, quid intuitu religiosae potius institutionis a Deo esset adiectum. Descripsit revelationem, qualis a Deo erat profecta, et iuremerito ita descripsit; nostrum vero erit illam interpretari tamquam documentum aliquo, non tamen necessario omni sensu historicum. Novimus quippe, rerum originem nobis ab auctore Geneseos narrari proxime quidem quo ordine fuerat *revelata*, nostrarum vero esse partium dignoscere, quorsum supponere fas sit, eodem quo revelatae sint res, etiam gestas esse ordine. Id ex ipsa eius documenti natura colligitur.

Altera veritate nituntur Revelationistae, etiam ipsa indubia, duplici modo Cosmogoniam primitus a Deo revelari potuisse, aut solo *verbo*, aut *visione*. Qui duo revelationis modi innumeris fere in scriptura exemplis illustrantur. *Verbum* solum respicit sensum auditus : sc. veritas revelanda auditione vel externa vel imaginaria menti communicatur. Potest quidem verbum revelans procedere ex ore personae cuiusdam coram apparentis : at licet sic habeatur visio revelantis, non tamen datur visio rei revelandae. *Visio* auditum quidem etiam attingere potest et plerumque attingit, adiuncta habens verba visionis sensum explicantia : sed ipsa visio proxime et potissimum afficit sensum visus, visione vel externa vel imaginaria.

Revelationis verbo factae exemplum habes 1 Reg. 3, ubi Deus Samuelem voce arcessivit eique sua consilia exposuit; visionis exemplum accipe Act. 9, 12, ubi S. Paulo recens converso coram ostenditur Ananias; visionis verbo coniunctae Dan. 7, ubi prophetae mysterium quatuor bestiarum primum cernendum proponitur, dein verbis explicatur.

Porro, si supponamus Cosmogoniae revelationem factam esse *verbo* tantum, nihil ea hypothesi juvamur ad concordiam scientiae cum s.

literis restituendam. Verbo enim correspondeat oportet sensus integre, immediate, literaliter. Quodsi quis parabolis loquatur vel allegoriis, id aliquo modo sufficienter claro significet oportet. Ita Is. 5, postquam Deus per allegoriam laborem vineae impensum descripsit, addit : « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est ». Similiter Nathan, ubi divino instinctu Davidi parabolam ovis iniuste ablatae proposuit, 2 Reg. 12,7 pergit « Tu es ille vir ». Quod si non adiecisset, David minime sermonis rationem perspexisset. Simile quid adiiciendum erat, si Cosmogonia revelabatur verbis non ita plane, uti ea evenerat, sed formam superinduta allegoricam. At nihil eiusmodi habetur; imo ipso facto receptae in librum Geneseos historicum eius Cosmogoniae, excluditur allegoria et parabola efficiturque narrationem vero aliquo sensu esse historicam.

Aliter res habet, ubi primum supposueris revelationem Cosmogoniae factam esse *visione* aliqua. Varia in scripturis novimus genera visionum. Quaedam rem, quae revelatur, exhibent accurate, qualis in rerum natura exstat. Ita S. Paulo Act. 9,12 ostendebatur sane in visione Ananias ea oris specie, qua ab alio quovis obvio discerneretur; ita Iudae 2 Mach. 15, 12 sqq. apparuere utique Onias et Ieremias propria specie. Aliae visiones rem non ipsam sed per symbolum revelant. Sic Ieremiae 1,13 malum ab aquilone imminens panditur imagine ollae succensae, ab aquilone meridiem versus inclinatae. Ipsa, quam modo appellabamus, Iudae visio aliquid symboli admixtum habet, quatenus Dei protectio futura gladio aureo figuratur. Iam inter visiones, quae rem omnem propria specie, et illas, quae totam symbolis exprimunt, mediae interiacent aliae, quae rem partim propria, partim symbolica specie repraesentant. Insigne plane exemplum habes Is. 10,28 sqq., ubi, quam vere contra Ierusalem Assyrii suscepere expeditionem, ea a propheta describitur itinere imaginario. Cf. *I. Knabenbauer* ib. : « In ipsa imagine menti prophetae proposita singula quidem, quae revera vel per se vel per symbola exprimuntur, vera sunt i. e. aliquid exhibent, quod utique accidit; at cavendum est ne singula eadem ratione, qua visa sint, in rerum eventu exprimi debere censeamus... Exemplum eius rei illustre cernitur in modo, quo v. g. Ezechieli prophetae 9,1 sq. urbis destructio in imagine et symbolo ostenditur, quam si cum rerum eventu comparaveris, documenta colligere poteris utilissima, quomodo res humanae in visione prophetica ad normam sublimiorem Dei exactae menti prophetae sistantur ».

Ex quibus sponte fluit sequens pro interpretandis visionibus *canon*. Visio eventui respondet quoad substantiam quidem, non autem semper etiam quoad particularia et externam rerum speciem. Idem dicen-

dum de visione narrata vel immediate ab eo, qui visione fruebatur, vel mediate ab auctore inspirato, qui visionem alteri factam libro sacro inserit. Quare in eiusmodi narratione explicanda fas non est praesumere, eventum eodem penitus modo, quo depingatur, habuisse locum, sed interpretis est prudenter dispicere, quid historiae, quid visioni sit tribuendum, atque in dubiis sapienter haesitare.

Quibus de visionibus universim disputatis, iam examinemus, *faciliusne restituatur concordia scientiam inter et religionem, si supponatur Cosmogonia ortum duxisse ex visione divinitus concessa.* Id omnino affirmandum.

Potuit Deus in ea visione concedenda duplicem intendere finem, primum revelandi facti res omnes a se esse productas, alterum instituendae in laudem creatoris requiei sabbatinae. Cuius duplicis finis attingendi ergo potuit rerum a se effectam productionem exhibere imagine operis sex dierum requie sabbatina concludendi. Licet enim mundi genesis longissimas occupaverit periodos, at potuit Deus substantiam facti revelare neglecta longae durationis circumstantia; huic imo ob finem, quem diximus, potuit substituere sex dierum durationem. Qua introducta patet etiam, omnem rerum et imprimis viventium evolutionum in ea visione fuisse repraesentandam ratione a modo, quo reapse facta est, longe diversa. Quae sc. plantae lentis nulloque oculorum acie observandis incrementis adolevissent, eae nunc intra paucarum in visione horarum angustias ad maturitatem erant perducendae; et animalia similiter. Imo nec successionem operum aut aequalitatem, qualis reapse fuerat, in visione exprimi necesse erat. Exortae fortasse erant eodem fere tempore plantarum et animalium infimae familiae, quas longissimis inde intervallis perfectiores exciperent : at nihil obstabat, ubi semel sex diebus placuisset creationis opus distribuere, quominus diversis plantarum et animalium origo diebus assignaretur, quo vividius singula seorsim Deo tribuerentur effectori. Neque omnia ea plantarum et animalium genera, quae forte quondam exstitissent sed iamiam essent exstincta, necesse fuit ante oculos in visione produci; imo neque illa, quae eo ipso tempore in dissitis continentibus florerent; cum viventium per Deum effectio sufficienter sine illis demonstraretur, imo efficacius etiam, quam si formae innumerae invisae atque portentosae intuentis admirationem provocassent. Demus, secundum scientiae placita lucem diurnam ab astris minime potuisse separari, plantas et animalia cum ipsis continentibus et maribus esse nata : nihil certe vetabat, quominus visionis hexaemeron in duo dispesceretur tridua, quorum uni operum distinctio, alteri distinctorum ornatus attribueretur, quo vividius intuentis animum percelleret veritas alias in scriptura expressa, fecisse Deum coelum et terram — et omnia, quae in eis sunt. Nihil prohibebat, quominus, quae una essent orta, diversis diebus effecta proponerentur, ut lux, firmamentum, continentes cum plantis priori triduo, sidera, pisces, alites, animalia cetera alteri triduo assignarentur. — Neque dicas, hac explanatione nos in eundem delabi errorem, quem in Periodistis et Idealistis modo carpebamus, ut sc. ex *fine* Dei revelantis quid revelaverit definiamus. Aliud quippe est explicare *textum*, aliud *visionem* textu relatam. In textu claro, quid Deus voluerit dicere, colligatur oportet ex iis, quae dixit : e verbis finis. In visione vero exponenda, cum nequaquam a limine patescat, quid ad historiam quidve ad symbola spectet, merito ad Dei visionem largientis finem convertitur animus.

Quae si supponantur, omnino scientiam inter et revelationem evanescit discordia. Salvus retinetur sensus literalis textus sex dies vulgares exprimens, eos sc. qui in visione conspiciebantur. Salvae manent rerum naturalium studiosis immensae periodi, quae in visione hexaemero aptissime repraesentari potuere. Interpretatio textus fit ad normam omnium legum hermeneuticarum, disquisitioni scientificae plena permittitur libertas; manumittitur exegesis ex ea geologiae et palaeontologiae indigna servitute, quarum incerta placita continuo observare suaque ex illis in dies retractare systemata ancillari obsequio adigebatur. Nulla tandem gratuita adstruuntur miracula.

Ex his colligas, systema visionis, *etiamsi solum ut hypothesis spectetur*, aliis systematis esse omnino anteferendum. Quae omnia falsa aliqua nituntur hypothesi. Diluvianismus et Restitutionismus habent hypothesin geologice falsam, ille strata explicari posse esse formata sex diebus vulgaribus, hic post strata et ante nostra tempora intercessisse ruinam quamdam totius orbis correspondentem biblico thohu-va-bohu. Periodismus falsae superstruitur hypothesi exegeticae, posse Cosmogoniae dies de longis periodis sensu literali exponi. Poetismus falso adstruit, potuisse auctorem inspiratum carmen liturgicum libro historico tamquam partem eius integralem nulloque adscripto monito praefigere. Idealismus canones sanae hermeneutices missos facit. E contra systema visionis proficiscitur a principiis indubiis duobus, Cosmogoniam nonnisi revelatione innotescere primum potuisse, eamque revelationem factam esse aut solo verbo aut visione. Quarum duarum hypotheseon de se aequiprobabilium systema eligit alteram, i. e. visionem. Est ea hypothesis omnino legitima, nihil continet violentum aut falsum. Quae in reliquis systematis vera sunt, ea haec hypothesis omnia complectitur. A Diluvianismo, Restitutionismo, Poetismo mutuatur literalem dierum interpretationem; a Periodismo longas periodos, quas geologis permittit; Idealismo illud supponit fundamentum exegeticum, quo ille apud auctores Idealistas misere destituitur. Unde inferas, systema visionis, etiamsi ut hypothesis tantum accipiatur, merito ceteris systematis praeferri.

Verum hinc etiam exsurgit ratio, quare hoc systema non ut meram hypothesin, sed tamquam explicationem unice veram amplectamur : *unica est, ergo vera*. Nam aliquod tandem verum conciliandae revelationis et scientiae systema exsistat necesse est : ergo cum reliqua praeter hoc unum systemata demonstrata habeamus esse erronea, cum aliud praeter recensita systemata proferatur nullum, hoc unum erit necessario admittendum. — Adde narrationem Geneseos revera talem esse, quae visionem suggerat potius, quam excludat. Plura sunt, quae facta certissime non sunt, convenientissime tamen in visione, tamquam facta essent, poterant exhiberi : homine nondum creato, Deus sane singula opera ut fierent verbis nequaquam praecepit, factis nomina haud imposuit, animalibus quinta die creatis benedictionem verbis minime elargitus est. Confer praeterea tertiae diei opus al-

terum. Iubetur mane terra producere arbores, vespere eiusdem diei arbores productae significantur vocibus « Et factum est ita ». Hoc sine miraculo maxime violento non explicaveris, nisi visione ita facta esse adstruxeris. Similis difficultas moveri potest de animalibus quinta et sexta die creatis.

Hinc facile dilues, quas pauci quidam protulere obiectiones.

Obi. 1. Quonam modo revelatio Cosmogoniae facta sit, an solo verbo an visione, nescimus. Ita *Lamy* p. 104.

Resp. Nego assertum. E duobus modis laudatis perspicimus priorem ad solvendas graves difficultates nihil omnino conferre, alterum planam eorumdem offerre solutionem. Scimus igitur, utrum praeferre debeamus.

Obi. 2. Idem : « Ubi prophetis aliquid futurum in visione manifestatur, semper occurrunt quaedam verba visionem indicantia, ut « vidi visiones Dei » (Ez. 1, 1), vel « vidi per noctem » (Zach. 1, 8), vel « ego Daniel levavi oculos meos et vidi » (Dan. 8, 3; 10, 5), aut « visio Isaiae », « visio Abdiae », aut denique « apparuit Dominus Abrahae », et similia. Hic autem nihil tale occurrit ».

Resp. Hanc obiectionem si Rationalistarum aliquis, qui Pentateuchum tempore fere Isaiae concinnatum defendunt, protulerit, non ita miraberis : at profert auctor inter orthodoxos orthodoxus. Quo tandem is iure Pentateuchi auctorem adigit, ut iisdem atque Isaias, Ezechiel aliique formulis loquatur? Volebant hi inculcare se revelata loqui, quo certius audientium animos moverent; nihil eiusmodi nobis inculcat Geneseos scriptor. Vel revelationis *factum* reticet, de se tamen indubium : cur non potiori etiam iure revelationis *modum* supprimat? — Ceterum non inutiliter perpendebat obiiciens, quod iam 1877 monebamus, adiecto « visionis » nomine quandoque eas in scriptura designari revelationes, quae visiones stricte dictae nequaquam fuerint : confer « visionem Abdiae », in qua nihil reperies veri nominis visione revelandum. Quodsi autem praefixum visionis nomen non efficit agi de visione presse sumpta, quomodo omissum nomen efficiat *non* agi de visione?

Instat idem, ne minimum quidem haberi indicium, quo lector moneatur visionem sub narratione latere.

Resp. Indicium haberi potest aut verbis aut re. Verbis neque ullum habetur indicium agi de revelatione, cum id tamen re evidens sit. Similiter verbis nullum habetur indicium agi de visione, id tamen rem intimius scrutanti patescit ex narrationis indole omniumque aliarum explicationum salebris.

Obi. 3. Conqueritur Lamy, vocem « dies » a nobis sumi sensu figurato, narrationem detorqueri in allegoriam.

Resp. Vocem nos sumimus sensu maxime et unice literali, a quo recedit Lamy periodos interpretatus. Vox sensu literali refertur ad dies in visione oculis obiectos eo fine, non ut geneseos mundi durationem, sed ut septimae diei religionem edoceamur. — Aliud est allegoria, aliud visio : illi nihil cum historia commune, huic aliquid. Cosmogonia est narratio vere, licet non exclusive historica. Fas est historiarum antiquissimarum scriptoribus narrationem ordiri a documentis non pure historicis : idipsum facit auctor Genesis mundi originem, de qua nulla exstabant documenta humana, describens ex documento divino, quod ex fine religionis potius quam historiae fuerat revelatum.

Obi. 4. Mandatum observandi sabbati, inquit *Meignan* (Le monde et l'homme primitif selon la Bible, Paris 1869, p. 5 sq.), Ex. 20, 8 sqq. et 31, 17 fundatur in

facto creati per Deum sex diebus mundi : sed mandatum nequit fundari in visione.

Resp. Cur non, si Deo ita libuerit? Deus ideo praecise factum creationis revelaverat forma hexaemeri, quo septimae diei requiem commendaret : eandem postmodum mandato sanciturus ad factum, qua forma revelatum fuerat, provocat. Omnino abs re erat, ut Deus Hebraeos doceret differentiam inter factum et formam, quae nonnisi ad solvendas difficultates post plura annorum millia nascituras requireretur.

Obi. 5. In Cosmogonia, urget Meignan, omnia sunt clara, distincta et ordine digesta; non exprimitur admiratio hominis visionem experientis.

Resp. Potest et visio narrari clare et distincte. Scriptura saepissime narrat facta, quin sensus illis factis in animis testium excitatos recenseat.

Primis systema Revelationis gloriatur patronis *Chrysostomo*, *Severiano Gabalitano*, *Iunilio Africano* (v. s.). Confirmatio peti potest ex iis scriptoribus omnibus, qui auctorem Cosmogoniae « prophetasse » affirmant; specialius ex *Bas.* (*M.* 29. 5), *Ambr.* (*M.* 14. 125), *Eustath.* (*M.* 53. 869) et clarius etiam ex *Rup.* (in Prologo), qui Num. 12, 6-8 appellantes Moysen aiunt os ad os cum Deo conversantem Cosmogoniam didicisse. *Hugo* (*M.* 175. 32) ita Moysen ait in Cosmogonia de praeteritis, uti in benedictionibus Iacob de futuris prophetasse. *Greg. Nyss.* (*M.* 44. 65) dicit Moysen haec didicisse, quando in monte Sinai « nebulam arcanorum revelationis (θεωρίας) ingressus vidit ea, quae verbis nequeunt explicari ». *Proc.* (*M.* 87. 28) appellat « visiones divinas, quae in priscis mortalibus factae sunt secundum virtutem ».

Inter recentiores ubere exposuit systema visionis *I. H. Kurtz* (Bibel u. Astronomie, Berlin 1842), Restitutionista ipse; defendunt *Anonymus* (The Mosaic record in harmony with the geological, London 1855), *H. Miller* (The testimony of the rocks, Edinburgh 1857), *F. W. Schultz* (Die Schöpfungsgeschichte nach Naturwissenschaft u. Bibel, Gotha 1865), *H. Reusch* (l. c. p. 124 sqq.), *F. de Rougemont* (Le surnaturel démontré par les sciences naturelles, Neuchatel 1870), *F. Godet* (Études bibliques I, Neuchâtel 1872), *B. Schäfer* (l. c. p. 241 sqq.), *Moigno* (Les splendeurs de la foi t. III, p. 1, p. 303, Paris 1877), *E. Bougaud* (Le Christianisme et les temps présents III, 157 sqq., Paris 1878), *M. I. Scheeben* (Handbuch der Kath. Dogmatik II, 112, Freiburg i. B. 1878), *F. de Hummelauer* (Der biblische Schöpfungsbericht, Freiburg i. B. 1877 et : Stimmen aus Maria Laach XXII. 1882, p. 97), *V. Becker* (Studien op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied, Brussel — S. Hertogenbosch 1879), *Anonymus* (Der Katholik 1879 I. p. 250 sqq.). *I. Corluy* 1884 (Spicil. dogmatico-biblicum I. 880 sqq., Gandavi) systema refutabat quidem, sed p. 188 in solvenda difficultate illud verum esse supponebat; 1889 illud explicite admittit, scribens 15. Iul. in « La science catholique » : « Etsi Geneseos textus visionem non commemorat, singula tamen opera eo ordine recenset, qui satis commode comparetur totidem visis, quae videntis oculis fuerint obiecta. Unde fit veri simile, Deum reapse eiusmodi visis revelasse sua opera, quae eodem, qui in Genesi describitur, ordine vere sibi in rerum natura successerint. Quodsi porro in illis visis lux et tenebrae invicem excipiebant, merito successivae periodi dies appellabantur habebantque singulae mane et vespere ». *W. Gray Elmslie* (The first chapter of Genesis, in : Contemporary Review 1887) proxime ad visionis theoriam accedit, solo visionis nomine suppresso.

CAPUT II.

COSMOGONIAE ORIGO.

Superiori capite exponebamus rationes, ob quas Cosmogoniam visione quadam fuisse revelatam censemus. Superest inquirendum, quando et cui ea visio concessa sit. Quam nos Adamo recens creato factam esse defendimus, ab auctore vero Geneseos traditione acceptam libroque insertam.

Cuius rei argumentum primum petimus ex *sensu obvio* textus, qui sane hic est, ipso post absolutum hexaemeron insequente die sabbati religionem a Deo esse consecratam. Quae autem movetur difficultas, si sabbati lex tam mature supponatur lata, explicari haud posse, quomodo eius apud alias gentes vix ulla exstiterint vestigia, infra discutiemus. Iamvero septimi diei sanctitatem revelare Adamo non poterat Deus, nisi revelato primum hexaemero : ideo enim sanctus dies septimus, quia sex dierum absoluto opere Deus quievit.

Alterum argumentum inde habetur, quod ea revelatio fuerit *Adamo debita*. Ecquid supponi potest protoparens fuisse ignarus rationis, qua ipse totusque mundus a Deo fuerit effectus? Oportuit omnino ut, qui Gen. 2,18 sqq. mulieris productionem edocebatur, edoceretur quoque suam mundique originem. Quomodo Adam verba Gen. 3,19 « Pulvis es etc. » intellexisset, nisi perspectam habuisset rationem, qua ex limo terrae Deus corpus formaverat? At haec Adamo revelata esse ea, de qua disserebamus, visione magnam item habet probabilitatem. Didicit is visione mulierem ex costa formatam; aliquam certe de sua mundique origine accepit revelationem; aliqua item, quod ex praecedenti capite habemus, earumdem rerum cuidam concessa visio : quid obvium magis assertione, hac visione ipsum Adamum edoctum esse suam mundique originem, uti altera idem visione mulieris formationem didicit?

Tertium argumentum suppetunt comparatae *cosmogoniae gentilium*, e quibus illud efficitur, non facta solum Cosmogonia biblica narrata, sed probabilius eiusdem formam et structuram, quae visionis propria fuit, diu ante Moysen gentibus innotuisse. In quo argumenti genere tanto erimus clariores, quanto minus diffusi. Non ergo ad quasvis quorumvis populorum deflectemus cosmogonias; ne ipsos quidem Persas Indosque appellabimus, e quorum traditionibus plura utiliter quis depromat : sed solas earum semiticarum nationum cosmogonias perpendemus, quae Hebraeis proxime cognatae fuerunt, atque ita efficiemus,

exstitisse communem quamdam Moysequc antiquiorem apud Semitas traditionem, quae mundi originem narraret re et forma eandem, qualis nostra Cosmogonia narratur.

Distinguemus autem Cosmogoniae tres partes : creationem primam Gen. 1, 1 sq.; hexaemeron Gen. 1, 3-31; septimi diei sanctificationem Gen. 2, 1-3.

Creationem primam quod attinet, dubitari non potest traditionem primitus verbotenus fere eandem apud omnes fuisse, qualis nunc Gen. 1, 1 sq. legitur.

Audi *Babyloniorum* narrationem cuneis impressam lateribus : Tab. I lin. 1 « Quando coeli sursum nondum vocarant, — 2 deorsum terra nondum vocarat nomen, — 3 (oceanus autem inclytus fuit eorum generator, — 4 gurges abyssi genitrix eorum omnium) — 5 tum eorum aquae invicem erant confusae, — 6 tenebrae nondum erant dissipatae, germen nondum erat exortum. — 7 Quando deorum nullus adhuc exstabat, — 8 nullus adhuc vocarat nomen, (definierat) fatum, — 9 tum effecti sunt magni dei, — 10 prodiere numina Lachmu et Lachamu, — 11 et increverunt... — 12 dii Sar et Kisar producti sunt ». Reliqua sunt manca. Nota autem ex inscriptione II Rawl. 54, 3 a; cf. III. 69, 1 a (apud *F. Lenormant :* Origines I. 494) effici, Lachmu et Lachamu idem esse atque Anu et Anat, i. e. *coelum et terram;* et ex IV Rawl. 25, 49 sq. b; cf. 29,41 sq. a (apud *E. Schrader :* KAT I. 10; qui citat *P. Haupt*) effici, Sar et Kisar idem sonare atque *exercitus coeli et terrae.* Unde sequitur lin. 10 sqq. cosmogoniae cuneiformis nihil tandem aliud edici, nisi quod Gen. 2, 1 « perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum ».

Sermo igitur est de eo tempore, quod rerum distinctionem praecessit fuitque sane idem illud, quod Gen. 1, 1 *in principio* scribitur. Quo tempore dicuntur facta esse *coelum et terra*, omnia vero fuisse *oceanus* et *gurges abyssi;* quae ultima vox sonat *ti-amat* i. e. תהום Gen. 1, 2.

Damascium, ex textu apud Lenormant p. 493 sq. tradito, evidenter patet eandem verbotenus, quam modo ex monumentis referebamus, prae oculis habuisse narrationem. Ubi simul discimus, qua ratione traditiones primitivae fuerint brevi in absurda commenta mythologica deformatae. Sc. Damascius substantiva appellativa textus supra descripti in nomina propria convertit quorumdam numinum: ait, principio exstitisse Tauthe (*ti-amat*) et Apason (*apsu*, oceanus), qui genuerint Moymis (*mummu*, gurges?); dein subnectit Dache et Dachos, ex similitudine graecarum literarum ex Lachmu et Lachamu corrupta nomina, postea Kissare et Assoros. Ex his natos refert Anu, cuius nomen etiam extremo textu cuneiformi discernitur, Bel et Ea, summam deorum babyloniorum triadem, ex Ea et Daukina Bel Merodachum demiurgum.

Quibus rursum consentit *Berosus* (vide Lenormant p. 505 sqq.), docens omnia pridem pelagus fuisse nominis *thalath* i. e. *ti-amat*, Belum autem ei rerum conditioni finem imposuisse, cuique rei suo in universo loco assignato. Mox vero rem crassius concipiens *ti-amat* transformat in immanem quamdam mulierem nominis Omorka, qua discissa efformaverit Bel ex altera quidem parte terram, ex altera coelum. Et hic rursum est observare, quomodo traditiones fuerint deformatae. Ubi enim Damascius nomina appellativa interpretatus est quorumdam numinum nomina propria, ibi iam Berosus eadem numina describit iis formis, quibus depingi consueverant. Ait enim, quo tempore *tenebris* omnia et *aquis* occupabantur, mira exstitisse monstra : homines

alis instructos duabus vel quatuor, duasque habentes facies, cornutos, equinis pedibus, caprinis femoribus, hippocentauros, tauros humana gerentes capita, homines pisciformes, « aliasque feras mira varietate inter se differentes, quarum imagines accurate depictae in Beli fano adservabantur ».

A cosmogonia babylonica ad *Phoenicum* cosmogoniam convertimur, quam tradidere *Eudemus*, *Mochus* et maxime omnium *Sanchuniathon*. Ex eadem tota fluxit *Graecorum*, quam una tractabimus. Cf. Lenormant p. 532 sqq.

Hi igitur primo loco scribunt עולם, durationem *principio* Geneseos correspondentem, quam perperam Mochus ipsi theogoniae inserit, reliqui ab eadem eximunt. Principem aliquem apud ipsos locum obtinet, quem Gen. 1, 2 *spiritum* רוח scribit, qui tamen in duas veluti personas dispescitur, quarum altera est ipse רוח (apud Sanch. *ventus*, apud Mochum, Pherecyden, Orphicos *aer* seu *aether*), altera חפץ (apud Sanch., Eudem., Pherec. *desiderium*, apud Orphicos, Hesiod. *Eros*). Ubi advertas, etiam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* spiritum Gen. 1, 2 vocare רוח רחמין, *spiritum amoris*. Unde haec? Attende, quaeso, in scriptura duas legi voces רוח מרחפת; ex vocis מרחפת priore parte consonantibus transpositis habetur רחם *amor;* posterior pars חפת facillime defigurabatur in חפץ *desiderium*, cum literae ת et ץ simillimae fuerint in scriptura Aegyptiorum hieratica, antiqua semitica, phoenice, et post saeculum a. C. octavum aramaica. Ergo illa inter רוח et חפץ et fortasse etiam רחם distinctio innuit, Phoenices primitus cosmogoniam habuisse Hebraeorum Cosmogoniae omnino simillimam, et rebus et verbis.

Porro Eudemus ex *Desiderio* חפץ et *Tenebris* חשך derivat *Aerem* et *Auram*, qui non sunt nisi unum רוח duobus sexibus expressum ; a quibus prodit *ovum* universi, ex quo, uti ex *ti-amat* a Belo discissa, omnia efformantur. Apud Mochum ab *Aethere* et *Aere* (רוח) editur *Chusorus* nescio quis (num forte חשך?), ab ipso *ovum*. Secundum Sanch. e *Vento* רוח et *Chaos* תהום, *Desiderio* חפץ commixtis prodit *ovum* (*Muth*, iisdem atque תהום literis transpositis). Similiter Orphici ex *Aethere*, *Chao* et *Tenebris* derivant *ovum*. Pherec. primos ponit *Aetherem igneum*, *Tempus*, *Chaos :* ex Tempore prodeunt lux, ventus, aqua; Chaos factum est terra, « quando Ζῆς (Aether, summus Deus) illi dedit honorem (γέρας) », i. e. quando terrae nomen ei imposuit. Hesiod. prima statuit *Chaos* et *Tellurem* cum *Eros*. Dein opus quadamtenus distinctionis adumbrat, ex Chao derivans *Erebum* (ערב?) et *Noctem*, ex his *Aetherem* et *Diem;* ex Tellure vero *Coelum* astris obsitum, *Montes*, *Pelagus*.

Illud autem *ovum* rursum nos revocat ad vocem מרחפת, quae *incubationem* sonat avis nido insidentis, ut ipsa haec vox apud Semitas antiquitus cosmogoniae infuisse videatur. Gentiles aliquas narrationis traditae voces crassius interpretati generationibus omnia explicuere, cosmogoniam in theogoniam mutavere. Quae vero attulimus omnia, non aliquam solum cum Gen. 1, 1 sq. habent affinitatem, sed ex textu aliquo credenda sunt corruptione fluxisse his fere verbis concepto : In principio (vel : ab aevo) fuere coelum et terra; terra autem erat thohu-va-bohu, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus incubabat abysso. — Non reperimus quidquam aequivalens vocibus « creavit Deus ».

Disputabamus de creatione prima Gen. 1, 1 sq. : jam ad *hexaemeron* Gen. 1 3-31 progrediamur. Pauciora hic utique vestigia, quod, uti diximus, cosmogoniae gentium ab indicata prima rerum origine illico ad absurdas theogonias dilabantur, cosmogonia neglecta : lege Hesiodum.

Negative quidem, at minime obscure adumbrat hexaemeri *opera* textus cuneiformis

supra descriptus. Chaos quippe describit fuisse ante separatas aquas superiores ab inferioribus (lin. 5), ante elicitam lucem, ante exortas plantas (lin. 6) : habes expressa trium priorum hexaemeri dierum opera. Alia suppetit eadem cosmogonia. Descripta ea fuerat in pluribus lateribus coctis, quorum primum recensebamus. Qui sequuntur exciderunt usque ad quintum, qui siderum productionem celebrat prolixius quidem, sed simili atque Genesis ratione. Agit is primum de *stellis*, postea de *luna*, tandem de *sole* : haud mirum Babylonios in astris observandis peritissimos stellarum primo loco descripsisse officia, inde lunae, postremo solis. Lin. 3 dicitur is, qui haec omnia effecit, singulari quippe numero subiectum exprimitur, « annum ordinasse », ubi verbum *uaddi* eiusdem est radicis atque מועדים Gen. 1, 14. Lin. 12 « lunam », inquit, « fecit lucere, ut praeesset nocti » : cf. Gen. 1, 16. Tandem in sequentis alicuius lateris fragmento agitur de animalium terrestrium per deos effecta productione, quorum uti Gen. 1, 24 tres distinguuntur classes, « iumenta agri, ferae agri et reptilia ». Igitur post narratam Tab. I primam creationem cum annexa theogonia, referebat cosmogonia babylonica successiva quaedam divina opera, inter quae erant lucis productio, aquarum divisio, plantarum origo, quam suapte natura praecedere debuere terrarum mariumque fixi limites. Astrorum effectio uti in Genesi medium fere locum obtinebat, sequebatur animalium procreatio. Narrationem fuisse Cosmogoniae biblicae perquam affinem, patet non re tantum sed etiam expressionibus.

Quae diximus, confirmationem accipiunt ex fragmentis *Berosi*, qui ait Belum divisisse tenebras, terram a coelo separasse (distributis utique aquis), plantas produxisse, hominem et animalia. *Sanch.* primam factam esse docet lucem, solem et stellas; dein ortos esse ventos, nubes, tonitrua, imbres, utique secundo hexaemeri die.

Et haec quidem de operibus hexaemeri; pauciora etiam vestigia *structurae* hexaemeri biblici propriae. *Nominum* a creatore quibusdam rebus impositorum meminit indirecte cosmogonia babylonica, Tab. I lin. 1 sq. describens tempus, quo nondum indita fuerint. Item Pherec. affirmans tum tellurem accepisse nomen terra, quando illi summus deus dederit honorem. Cum verbis Geneseos « vidit Deus, quod esset bonum », compares vocem *ubassim*, *ubassimu* (« bene fecit », « bene fecerunt »), a qua cosmogonia babylonica productionem primum siderum, postea animalium orditur. Praeterea, quae modo de die septimo dicturi sumus, ostendent, quorsum fas sit affirmare, etiam hexaemeri dies primitus non fuisse ignotos.

Venimus iam ad *septimum diem* Gen. 2, 1-3. Ubi illud negare non possumus, cosmogonias Semitarum de septimi diei religione altum servare silentium. Audacius tamen ex eo silentio inferat quis, eam religionem antiquitus a Deo nequaquam fuisse ordinatam. Vidimus quippe cosmogoniam primitus revelatam eo maxime apud gentiles fuisse defiguratam, quod post primam narratam creationem illico in theogoniae commenta dilaberetur, reliquis neglectis. Id ita verum est, ut cosmogoniae semiticae praeter cuneiformem, quantum novimus, omnes creationis opera vix obiter attigerint, licet eorum quotidie se oculis obtruderet memoria : Hesiodum consule. Quid mirum, ut septimi diei religio, quae cultum respiceret numinis ex hominum memoriis exsulantis, penitus fuerit oblivioni data?

Ceterum licet in cosmogoniis desideretur septimi diei religionis mentio,

at eiusdem aliqua exstant vestigia, qua illa et Hebraeis ante Moysen et aliis etiam gentibus Semitis antiquitus innotuisse demonstretur.

Sane Gen. 8, 10. 12; 29, 27 evincunt, iam antiquitus hebdomadam in usu fuisse. Sensus obvius narrationis Ex. 16, 5 sqq. is est, Hebraeos vel ante legem in Sinai promulgatam observasse sabbata. Sensus obvius Gen. 2, 3 est, sabbati religionem quadamtenus ipso mundi initio cepisse : ratio vero, quae Ex. 20, 8 sqq.; 31, 13 sqq.; Deut. 5, 12 sqq. primaria inculcatur eius religionis observandae, aequam initio mundi obtinuerat vim, licet fortasse lege a Deo nondum sancitam; est ea autem ratio non alia, quam sabbatum servari oportere in memoriam divinae post hexaemeron requiei. — Aliud factum summi momenti illud est, sabbati religionem antiquitus probabilius Aramaeis, certe autem Assyriis et Babyloniis innotuisse. Textu cuneiformi (*G. Smith* : History of Assurbanipal, London 1871, p. 328) docemur, dies septimum, vigesimum primum, vigesimum octavum cuiusque mensis habitum esse *sulum* i. e. diem requiei; et syllabarium II Rawl. 32. 16 a. b vocem *sabattuv* explicat ut significet » diem requietionis cordis ». Cf. *Schrader* l. c. Babylonios et Assyrios primos earum, quas novimus, gentium singulos hebdomadae dies planetis singulis attribuisse, apud omnes constat.

Iam haec apud gentes vestigia cum textibus scripturae ea ratione facillime componuntur, ut dicamus Deum ab initio mundi religionem quidem septimi diei suo exemplo hominibus revelatam consecrasse atque commendasse, at nondum praecepto sanxisse. Quae sententia sat facile explicat, quomodo temporibus ante legem in Sinai latam vestigia religionis sabbati in s. scriptura reperiamus, at vestigia tantum; explicat, quomodo *lex* sabbati in Sinai data Ex. 31, 13; Ez. 20, 12 celebretur tamquam signum et foedus speciali Dei favore Hebraeis concessum; explicat, quomodo aliqua sabbati vestigia apud Assyrios etc. compareant, at nullo modo ex consensu gentium construi possit argumentum observatae primitus ab omnibus sabbati religionis; ea sc. religio tanto citius ex hominum memoria evanuit, quod nulla explicita lege, sed sola majorum consuetudine fuerit sacra.

Ex iis, quae hucusque disputabamus, efficitur exstitisse antiquitus apud Semitas cosmogonia aliqua utique revelata, ad quam tam Hebraeorum quam Babyloniorum et Phoenicum cosmogoniae revocentur. Phoenicum, e qua Hesiodi derivatur, cosmogonia mox commentis theogoniae obruitur. Babyloniorum cosmogonia a fabulis ne ipsa quidem temperat, tamen narrationi primitus revelatae longe fidelius adhaeret estque eius *paraphrasis* quaedam. Utraque autem cosmogonia cum biblica cosmogonia non rebus tantum sed etiam verbis ita concordat, ut nobis fas sit defendere, hanc cum narratione primitus revelata esse substantialiter eandem. Quae primorum ante patriarcharum lingua concinnata, postea protosemitico apud Semitas idiomate tradi perrexit, textu, uti crediderim, a geneseos textu vix diverso.

Cosmogonia illa omnibus Semitis communis ab Adamo communi protoparente profecta est, prima fuit omnium revelationum ipsi concessarum. Rem ita factam esse animo fingimus. Adami anima, ubi primum a Deo post orbem adspectabilem creabatur, divina *per visionem* revelatione illustrabatur. « Spiritu Dei » v. 2 sustentus videbatur sibi medias per tenebras super aquas ferri abyssi. Creationem e nihilo non conspexit, neque enim illa visione imaginaria repraesentari potuit. Aquarum exaudiebat fremitum. Mox vocem audivit « Fiat lux », et facta est lux. Haec aquas revelavit et forma, quod crediderim, humana illis impendentem Deum. Agnovit universi dominum, intellexit aquas non ab aeterno exstitisse, sed divina virtute esse creatas in principio. Interim lucis experiebatur lenta incrementa et decrementa, quibus mane transit in meridiem, meridies in vesperam, vespera in noctem, nox in auroram. Audivit laudatam lucem, diei noctique indita nomina. Altero mane rursum audiit divinum Fiat, divisas conspexit aquas, stabilitum et appellatum firmamentum. Ubi tertium in visione illuxit mane, vocata apparuit arida, iussae germinaverunt plantae, non quascunque vastus procreat orbis, sed illae potissimum, quae in paradiso mox erant conspiciendae. Uno illo visionis die surculi videbantur excrescere in arbores atque graves fructibus flectere ramos. Nocte interiecta successit quartus dies, lux solis orbe radiisque illustris, nox luna stellisque clara. Hunc diem excepit quintus, quo iubente Deo ex aquis prodiere reptilia, e terra alites, laudemque creatoris et benedictionem nacta sunt. Quae omnia percipiebat Adam eodem, quo prima die, constitutus superiore loco atque Dei praesentis manu sustentatus. Sexto vero die post creata animalia terrestria verba audiit « Faciamus hominem », Deum conspexit de superiore loco descendentem lutumque manu in humani corporis speciem conformantem. Qui ubi in figmenti faciem inspiravit halitum, e visione veluti evigilans Adam (cf. 2,4) non iam in superiore loco sese reperit suspensum, sed coram creatore in terra adstantem, circumdatum iis creaturis, quarum in visione ortum fuerat contemplatus.

Quibus omnibus docebatur Adam Dei perfectiones atque ad illius laudem ac reverentiam invitabatur; discebat Deum auctorem esse cum reliquarum rerum, tum ipsius hominis. Simul ordo rerum a Deo institutus ipsi manifestabatur, ut aquae sedes essent piscibus, terra ceteris animalibus et homini; ut plantis nutrirentur animalia et homo, animalia hominem adiuvarent, homo universae terrae imperaret, soli Deo serviret. Hinc instituta sabbati religio, quo homo curis mundanis temperans cultui divino unice vacaret.

His ad hexaemeron revocamur. Adam in visione constitutus *videba-*

tur sibi sex dies naturales totidemque noctes in divinorum operum contemplatione transigere, similiter atque somniator sibi videtur plurium horarum iter conficere. Uti e tali somnio nullatenus potest colligi, quamdiu homo dormiverit, ita ex illa visione neutiquam definiri potest, quamdiu Adam, antequam e visione evigilaret, vixerit. Potuit visio brevissimo temporis spatio absolvi, dum Adam sibi videbatur hexaemeron contemplatione transigere. Septimus dies exstitit in rerum natura et non in visione, hexaemeron probabilius in visione tantum.

Adam, dum visione fruebatur, videbatur sibi super aquas solumque suspensus dierum noctiumque percipere vicissitudines, plantas et animalia distincte contueri. Ergo *loco* sibi videbatur esse constitutus aquis primum, postea humo paulo altiore. Quo de loco non totum utique orbem contuebatur, sed *partem regionis Eden* tantam, quantam unico obtutu complecti posset, conterminam mari, e quo tertia die emergebat arida. Eo in solo nascentes conspexit non omnium orarum, sed solius regionis Eden plantas et animalia; non totum contuebatur coelum, sed ea astra, quae de regione Eden suspicienti affulgerent. Neque tamen, quae ad regionem Eden spectabant, ita fieri vidit, uti ea ante creatum hominem in ea regione reapse sunt effecta. Unico die vidit et terram ex oceano emergentem, et brevi post plantis atque arboribus ornatam. Pro immensis periodis prostat *duratio multo brevior.* Ea exhibetur *discreta* in dies civiles sex, imo in dies sex naturales totidemque noctes. Quid horum ad historiam spectat? quid ad symbola? Ad historiam pertinet illud sane, creationem rerum effectam esse duratione aliqua, non simultanee neque instantanee. Sed nemo iam est, qui in periodis singulis exigat aliquid, quod noctibus respondeat dies hexaemeri claudentibus, aut periodos defendat ita fuisse aequales inter se, uti unus dies aequalis est alteri. Verum cum *senarium numerum* tantopere inculcet textus, merito quaeritur, an is numerus ad historiam pertinere dicendus sit. Cuius numeri inculcandi ratio princeps est septimae diei a Deo decreta consecratio; cuius consecrationis causa et exemplar constanter profertur Dei post hexaemeron laboris requies. Hoc autem laboris hexaemeron proxime habemus e visione Adami. An igitur sufficiens ratio consecrandae septimae diei esse potuit productio mundi visione *exhibita* ad instar hexaemeri? an insuper requiritur, ut is modus productionis in visione exhibendae habuerit *fundamentum in re,* ut quodam modo ipsa mundi procreatio sex quibusdam epochis sit effecta? Attamen haec mihi videtur esse quaestio de verbis potius, quam de re. Periodi quippe geologicae respondent proxime hexaemeri non *diebus,* sed *operibus;* opera autem hexaemeron

recenset octo, cum tertius et sextus dies bina habeant opera; cum vero numerum octo textus sacer obiter tantum attingit, non inculcat. Possunt igitur periodi geologicae, quotquot eae tandem fuerint, in *sex mundi aeva* colligi eodem omnino iure, quo in visione opera octo colliguntur in hexaemeron.

Una superest quaestio, quam paucis absolvemus : an *ordo*, quo res in visione effectae proponuntur, debeat esse idem atque ordo, quo reapse effectae sunt. Et duos quidem hos ordines in quibusdam consentire evidens est : debuit v. g. prius terra ex aquis emergere, quam plantas procrearet. Sed quaestio imprimis est de astris quartae diei attributis, et de animalium creatione universa plantarum creationi postposita. Equidem sentio, ordinem operum in visione nequaquam oportuisse exhiberi adamussim eundem, qualis in rerum natura fuerit. Deus Adamum non geologiam docebat, sed factum originis rerum universim spectatum, et morales quasdam summi momenti conclusiones ex illo facto derivandas. Operum successio atque in duo tridua (v. infra) distributio videtur potius selecta ad illustrandam veritatem illam ad calcem hexaemeri adscriptam : « Perfecti sunt coeli — et terra — et omnis ornatus eorum ». Illud vero factum, licet universim tantum proponatur, cum altero consecratae septimae diei facto omnino sufficiens est, quo Cosmogonia dicatur documentum vere, licet non unice historicum, et merito praefigatur narrationi originum populi Hebraei.

CAPUT III.

COSMOGONIAE COMMENTARIUS.

Cosmogonia biblica a Gen. 1,1 pertingit ad 2,3. Siquidem expressio 2,4 « Istae sunt generationes coeli et terrae » *titulus* est sequenti narrationi praefixus (v. infra). Quam si cum quibusdam praecedentium clausulam interpreteris, erit tibi etiam sic 2,1-3 cum praecedentibus, non cum sequentibus iungendum. Idipsum narrationis *nexus* omnino postulat, cum cap. 1 sex dierum opera, 2,1-3 eorum septimo die effectam completionem explicet. Merito igitur *Rabbini* septem dierum opera totidem distinxere paraschis apertis brevioribus, dum ea, quae a 2,4 orditur parascha, longius excurrit, nonnisi intra cap. 3 absolvenda : quibus septimae diei opus et praecedenti narrationi assimilatur, et a Generationibus coeli et terrae evidenter secernitur. Merito item *Ios.* (Ant. lib. I c. 1) post relata septem dierum opera novum narrationis caput orditur. Interpretes iam vix non omnes 2,1-3 ad praecedentem trahunt narrationem.

Insignis plane est symmetria, qua Cosmogoniae partes invicem excipiunt.

Igitur iam antiquitus (*S. Thom.* I. q. 65.67.70.73, initio quaestionum; et cf. *Petr. Lomb.* Sent. II. dist. 12 n. 7 et dist. 14 n. 6) distinguebantur Cosmogoniae partes tres praecipuae : *opus creationis* 1,1 sq., quo coeli et terrae confusa indigestaque moles creabatur; *opus sex dierum* 1,3-31, quo suis quaeque ordinibus res creatae absolvuntur; *opus completionis* 2,1-3, quo consecrato die septimo creata omnia cultui divino subordinantur. — Rursum sex dierum opus iure merito in duos trinorum dierum ternarios secernitur, quorum prior 1,3-13 *opere distinctionis* tenebras coercet, aquas distribuit, terram exundis attollit plantisque instruit; alter 1,14-31 *opere ornatus* coelos sideribus, aquas et aera reptilibus avibusque, terram quadrupedibus et homine frequentat. — Duo hi ternarii in *sex* proxime *dies* resolvuntur, qui singuli clauduntur formula « Et factum est vespere et mane dies... ». Sex autem horum dierum *octo* sunt *opera,* cum ultimus cuiusque ternarii dies duplex opus habeat. Singulorum item operum insignis est symmetria. Ordiuntur ea a divino *edicto,* v. g. « Fiat firmamentum etc. »; cf. v. 3.9.11.14.20.24.26. Edictum illico *impletum* demonstratur brevi formula « Et factum est ita »; cf. v. 3.7.9.11.15.24.30. Inde impletum *describitur* « Et fecit Deus firmamentum etc. »; cf. v. 3.12.16 sqq. 21. 25.27. Descriptionem in priori ternario consequitur *appellatio,* qua luci et tenebris, firmamento, aridae et mari nomen divinitus impositum v. 5.8.10 narratur. Subiicitur singulorum operum *laudatio* « Et vidit Deus, quod esset bonum », v. 4.10.12.18.21.25, atque v. 31 generali laudatione concluditur. Tandem pro animantibus et homine v. 22.28 sqq. adiicitur *benedictio* « Benedixitque eis dicens etc. ».

Neque tamen illud ea symmetria efficitur, textum LXX, quatenus eandem in quibusdam magis absolutam exhibet, critice esse praeferendum.

In aliquibus textus praeter LXX omnes ab illa symmetria nonnihil deflectunt. Ita in opere secundae diei v. 7 non prius, uti secus, ponunt verba impletionis « Et factum est ita », et post ea descriptionem « Et fecit Deus firmamentum etc. », sed ordinem invertunt. V. 8 sola LXX adiicit laudationem « Et vidit Deus, quod esset bonum ». In primo tertiae diei opere praeter LXX omnes, uti etiam *Aq. Symm. Theod.*, nullam habent descriptionem, dum v. 9 LXX verba adscribunt : « Et congregatae sunt aquae, quae sub coelo sunt, in loca sua, et apparuit arida ». Similiter in quintae diei opere v. 20 LXX supplent verba impletionis « Et factum est ita », conspirantibus *Symm.* et *Theod.*, dum *Aq.* cum reliquis textibus verba ignorat. Quae si omnia unico intuitu contempleris, profecto perspicies, illud variantibus lectionibus LXX effici, ut absolutior etiam in omnibus suis membris narrationis symmetria exsistat. Unde nascitur quaestio, qui textus tamquam genuinus sit recipiendus : eratne primitus narratio ad absolutam symmetriam exacta, qualis apud LXX legitur, reliquis in quibusdam

decursu temporum hominumque incuria ab eadem symmetria deficientibus? an apud LXX perperam in peius emendabatur textus?

Igitur v. 7 primo aspectu credideris lectionem LXX esse praeferendam, cum alias etiam (v. 3. 9. 11. 15. 24) impletio descriptionem praecedat. Nonne, postquam quid fecerit Deus descripseris, abundant potius verba « Et factum est ita », dum eadem haec verba praemissa commode adnexa descriptione evolvuntur et explicantur? Tamen speciosae magis hae rationes quam verae. Etenim etiam sexta die, consentientibus textibus omnibus, impletio « Et factum est ita » v. 30 nonnisi post descriptionem adscribitur. Hinc ad quaestionem definiendam iam alia ratio suppetit nulla praeter rationem criticam, qua certe unica LXX reliquis textibus omnibus haudquaquam praevalet. Idem fere dicendum de laudatione, quam v. 8 adiicit LXX : etiam pro creatione hominis laudatio ne a LXX quidem adscribitur, nam v. 31 est generalis omnium divinorum operum laudatio. Idem de descriptione v. 9 iudicandum; imo idem probabilius de impletione v. 20. Verum quidem est, impletione nullum opus carere divinum; at cum ea v. 7 et 30 alio loco, sc. post descriptionem inserta legatur, cur non potuerit eadem v. 20 penitus omitti, idque tanto facilius, quod ea omnimoda necessitate subintelligatur? Neque tanta est auctoritas Symm. et Theod., ut ii lectionem LXX contra textus reliquos omnes stabilire valeant.

Accipe structurae Hexaemeri conspectum.

	Edictum.	*Impletio.*	*Descriptio.*	*Appellatio.*	*Laudatio.*	*Benedictio.*
Prima dies : *a*) lux v. 3-5.	Dixitque Deus : Fiat lux.	Et facta est lux.		Et vidit Deus lucem etc., appellavitque etc.		
Secunda dies : *b*) firmamentum v. 6-8.	Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum.	(Et factum est ita.) καὶ ἐγένετο οὕτως.	(Et fecit Deus firmamentum etc.) καὶ ἐποίησε κ. τ. λ.	Vocavitque Deus etc.	καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν.	
Tertia dies : *c*) mare et arida v. 9-10.	Dixit vero Deus : Congregentur etc.	Et factum est ita.	καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ κ. τ. λ.	Et vocavit Deus aridam terram etc.	Et vidit Deus quod esset bonum.	
d) plantae v. 11-13.	Et ait : Germinet terra etc.	Et factum est ita.	Et protulit terra etc.		Et vidit Deus, quod esset bonum.	
Quarta dies : *e*) luminaria v. 14-19.	Dixit autem Deus : Fiant luminaria etc.	Et factum est ita.	Fecitque Deus duo luminaria etc.		Et vidit Deus, quod esset bonum.	Benedixitque eis dicens : etc.
Quinta dies : *f*) aquatilia et volatilia v. 20-23.	Dixit etiam Deus : Producant aquae etc.	καὶ ἐγένετο οὕτως.	Creavitque Deus cete etc.		Et vidit Deus, quod esset bonum.	
Sexta dies : *g*) animalia terrestria v. 24-25.	Dixit quoque Deus : Producat etc.	Factumque est ita.	Et fecit Deus bestias etc.		Et vidit Deus, quod esset bonum.	
h) homo v. 26-31.	Et ait : Faciamus hominem etc.		Et creavit Deus hominem etc.			Benedixitque illis Deus etc.

1. *Opus creationis Gen.* 1,1.2.

Arg. — Tria brevissime simul et nervose enuntiantur : mundus materialis per Deum primitus creatus affirmatur; creati conditio describitur, rebus omnibus vacui, aquis tenebrisque immersi; divina virtus demonstratur opus inchoatum perfectura.

Cap. I v. 1. « *In principio creavit Deus coelum et terram* ». In principio i. e. *initio*, is enim indubie sensus est expressionis בראשית Ier. 26,1 ; 27,1 ; 28,1 ; 49,34, quibus omnibus locis de initio regni alicuius scribitur; ita intellexit *Kimchi* substituens תחלה; ita vocem, quae apud Syr. eadem est, explicabat *Ephr.*; ita unice intelligi h. l. potest graecum ἐν ἀρχῇ intellexitque *Ios.*, qui vocem non mutatam transsumpsit suaeque narrationi historicae praefixit. Cf. etiam *F. H. Patritii* de Interpr. Script. SS. II. 2 sqq., Romae 1844.

Post *Theophil. Antioch.* (*M.* 6. 1065) et *Or.* (*M.* 12. 145) auctores plures defendere, *in principio* idem sonare quod *in Filio* atque hinc, cum illico spiritus Dei commemoretur, initio Geneseos deprehendi vestigium SS. Trinitatis. Sententia haec vix quemquam nostro tempore nacta est patronum. Io. 8, 25, aiunt (sed cf. textum graecum), Christus se ipsum appellat « principium, quod et loquor vobis »; de eo ait Io. 1, 3 « omnia per ipsum facta sunt », et S. Paulus Col. 1, 16 « in ipso condita sunt universa ». Tamen haec ad exegesin Gen. 1, 1 nihil conferunt. *Targ. Hier.* « in sapientia », paraphrasis est, non versio. « Quod dicit *Wellh.* Prol. 411, vocis ראשית ad designandum initium alicuius temporis usum esse hebraismum recentiorem et aramaismum, id falso asseri intelliges, si conferas Os. 9, 10; Mich. 1, 13; Prov. 17, 14; Iob 8, 7; 42, 12; Deut. 11, 12. Ipsi vero Iudaei aramaizantes, nisi velint ad factum creationis alludere, uti Targum. Is. 40, 21 ; 41, 4, nunquam scribunt בראשית, sed בקדמין, במלקדמין, בן גוזלא, באוול et similia » (*Dillm.*).

Cum ergo reapse mundus creatus scribatur *in principio*, disquirunt porro auctores, in cuius rei principio seu initio creatus sit. Vox per se indeterminata contextu determinatur : intelligas igitur principium non indeterminate et absolute, quasi nihil omnino Deus ante coelum terramque creaverit, non angelos, non mundos alios a nostro penitus diversos; sed principium eorum, quae modo narranda veniunt, hexaemeri operum. Recte *Ephr.* « in principio creationis visibilium », *Sa* « ante omnia, primum omnium ». *Ante* effectam lucem, a qua primus hexaemeri dies orditur, iam creaverat Deus coelum et terram. Hinc voci competit sensus mere negativus seu exclusivus, ex oppositione ad ea quae sequuntur.

Neque dicas principium intelligi oportere omnino indeterminatum, quod punctatio Masor. articulum determinantem excludat : בְּרֵאשִׁית, non בָּרֵאשִׁית. Concedimus

enim vocem de se ideoque etiam vi punctationis esse indeterminatam, determinari autem contextu sequentium. Parum refert, vertasne substantive *in principio*, an adverbialiter *initio*; vertasne adverbialiter *primum* an *primo*, dummodo haec adverbia secundum modo dicta explices, ut non aliud quid sonent, nisi *ante modo narranda*. — Commemoranda hic interpretatio, quae post *Bas.* placuit plurimis, ut idem sit *in principio* atque *in principio temporis*. Si ergo tempus intelligas illud, quo modo narranda fuere effecta, tempus hexaemeri, bona est interpretatio. Si tempus intelligas indeterminate, ut exprimatur principium cuiusvis temporis seu momentum illud, quod primum omnium fuit et quo ipsum tempus esse coepit, minus tuto tramite incedis, uti ex iis patet, quae supra explicavimus.

Creavit. Radicis ברא significationem primitivam statuunt *cecidit, secuit, secando effinxit;* unde tamen perperam inferebat *Fürst,* eadem creationem ex nihilo non exprimi. Nonne ipsa vox *creare* ad radicem *skar,* quae eandem illam secandi seu findendi significationem habet, revocatur (*A. Fick :* Vergleichendes Wörterbuch der indogermanischen Sprachen, Göttingen 1871, p. 203 sq.)? Nonne *germ. schaffen* ab eadem atque σκάπτειν *excavare* radice derivatur? Radicum sc. significationes primitivae a rebus vel actionibus sensibilibus peti consuevere, etiam eae quae inde ad res vel actiones pure spirituales designandas derivantur. Vocis significatio non ex solo etymo, sed magis etiam ex usu loquendi est definienda.

Iam verum est, quod affirmat *Malv.*, vocem (conjugatione kal) proprie tantum Deo, non homini convenire, neque de homine in scriptura unquam usurpari. Adhibetur ea sc. Gen. 1,1; 2,3. 4; Is. 40,28; Ps. 148,5 de prima productione terrae, et Is. 40,26 et 45,18 coeli, — Gen. 1,27; 5,1.2; 6,7; Deut. 4,32; Is. 45,12; Eccle. 12,1; Ps. 88 (89), 48; 101 (102), 19 de prima hominis productione (cf. Is. 43,1. 7.15; 54,16; Ez. 21,30 — hebr. 35; Mal. 2,10), Ez. 28,13 de illo cherub, cuius imagine rex Tyri designatur. Quae omnia nonnisi veri nominis creatione effecta sunt. Adhibetur Gen. 1,21 de prima vitae animalis productione, quae creationis utique fuit perquam affinis; tandem de quibusdam portentis, quae nonnisi immediato Dei interventu effici potuere Ex. 34,10; Num. 16,30; Is. 4,5; 41,20; 48,7; 57,19; 65,18; Ier. 31,22; Ps. 50 (51), 12; 103 (104), 30. Uno verbo, adhibetur ברא de actionibus exclusive divinis : ergo aut creationis conceptu carebant Iudaei, aut illum ea voce exprimebant. Fatetur *Ges.* eam, « magis de nova rei productione, quam de conformatione et elaboratione materiae usurpatam esse »; et *Wellh.* Prol. 321 : « Liber Genesis », inquit, « propria utitur voce ad solam actionem Dei creatricem designandam atque ab humana actione et formatione distinguendam; neque habent Graeci aut Latini aut Germani vocem, qua aeque exclusive creationem exprimant ».

Ex eo, quod ברא actionem quidem divinam, sed non necessario semper creatricem indicet (quod inter alios concedunt *Cai.*, *Bonfr.*, *Per.*), explicatur, quomodo indeterminatius verterit *LXX* ἐποίησεν, accuratius *Aq.*, *Symm.*, *Theod.* ἔκτισεν, quae vox proprie creationem designat. — *Ros.* sensum creandi a ברא exsulare iubet, idque ob hanc inter alias rationem, quod aliis locis indifferenter ea vox cum עשה vel יצר adhibeatur. Hominis productio Gen. 1, 26 per עשה, 1, 27 per ברא exprimitur; animalium 1, 21 per ברא, 2, 19 per יצר; Is. 43, 7 tria illa verba de hominis productione praedicantur : « creavi eum, formavi eum, feci eum ». Verum nonne ex ipso facto horum trium in unicam sententiam coactorum verborum evidens fit, aliquam significationis esse diversitatem? Igitur עשה *facere* omnem efficientiae modum indeterminate complectitur; est veluti genus, cuius duae species sunt ברא et יצר. Hoc alterum est *formare*, utique ex praeexsistente materia; illud praeexsistentem materiam certe non exigit, mirandum quid, instantaneum minimeque operosum denotat. Tandem ברא nunquam adnexum habet nomen materiam designans, ex qua aliquid factum sit. At, urget *Cler.*, dato voce ברא exprimi posse creationem, crediderim Hebraeos Gen. 1, 1 legentes de creatione *non cogitasse*, sed id fere intellexisse, quod latinum *condere*, graecum κτίζειν sonet. Concesserim, non omnes lectores Hebraeos vim vocis ברא h. l. adhibitae satis perpendisse, sicut non omnes christiani dogmata sua satis norunt. At creationem intelligebat Machabaea mater 2 Mach. 7, 28 : « Peto, nate, ut adspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus ». Quae mulier non est censenda praeclariori prae popularibus floruisse rerum divinarum notitia, aut revelationes ipsa quasdam a Deo accepisse, sed quem sensum Geneseos verbis tribuebant omnes, eum pia et religiosa expressisse. Hinc *Ios.*, cuius tempore verbum κτίζειν iam esset consecratum creationi exprimendae, voci ἐποίησεν, quam apud LXX ipse legebat, substituit vocem ἔκτισεν. Hinc *Ephr.* : « planum fit », inquit, « coelum et terram e nihilo esse ». Hinc *Kimchi* : « Vox בְּרִיאָה *creatio* remin novat et producit ex nihilo, et sic dixit in versu (Is. 43, 7) : Ad gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum. Primum creavi eum, produxi eum de nihilo ad esse; deinde formavi eum, constitui eum in forma; postremo feci eum, disposui et ordinavi eum ». Consentiunt *Rabbini*.

Iuvat tandem, quae disputavimus, quibusdam momentis ex contextu nostri versus petitis confirmare. Igitur volebat hoc versu s. auctor *totius* mundi adspectabilis *totam* originem enuntiare; dico totius mundi adspectabilis, eum enim sensum expressioni « coelum et terram » vindicabimus. Sed totam originem non explicat, si Deum tantum praeexsistentem materiam transformantem inducit : ergo ex nihilo creantem demonstrat. Reapse, nonne totam originem censendus est voluisse v. 1 explicare, qui 2, 1 narrationem usque ad « perfectam » mundi fabricam producit? Rursum, volebat Deus *unicam* mundi causam describere : volebat nos « docere Moyses, esse creatorem creaturae, et unum ipsum esse Deum, non plures secundum deliramenta ethnicorum » (*Iac. Edess.*). In quod recidit, quod aiunt alii, *solum* Deum efferri mundi causam, ut cum alii dii tum angeli excludantur, secundum illud Is. 44, 24 : « Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum ». At num solus aut unicus mundi auctor Deus stabilitur, quamdiu materiam tantummodo nescio unde depromptam transformasse affirmatur? — *Tert.* (*M.* 2. 215)

exinde, quod operator Deus, opus coelum et terra enuntientur, *materia* vero, ex qua operator produxerit opus, reticeatur, infert nullam operi adhibitam esse materiam : sane sequentium operum materia intelliguntur coelum et terra primordio creata, origo tam corporis quam animae Adami accurate cap. 2 describitur : ergo si aliqua coeli et terrae praeexsistebat materia, ea fuerat commemoranda. — Putabat *Rup.*, ideo non scribi Deum produxisse coelum et terram alloquio « Fiat coelum et terra », « ne nihilo praeceptum dedisse diceretur Deus, quod incongrue esset ». Infirmior tamen haec ratio ad creationem ex nihilo stabiliendam.

Deus — bene hac voce huic contextui inserta innui affirmat *Theodoret.* Dei aeternitatem : « Illorum », i. e. creatorum, « declaravit originem, huius reperire nequivit initium ».

Coelum et terram. Terrae conditio ante creatam lucem illico v. 2 describitur; unde perperam *Aug.* 34.178 : « Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo coelum et terra, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat... Quia certum erat, inde futurum esse coelum et terram, iam et ipse materia coelum et terra appellata est ». Textus certe nobis exhibet terram solidam a coelo plane distinctam, licet coelum eo quadamtenus indistinctum exhibeatur et confusum, quod aquae superiores ab inferioribus nondum fuerint separatae. Iam *coelum* certe non intelliguntur angeli, qui nunquam coelum appellantur, sed ad summum ornatui coeli attribuuntur, unde Deo nomen Iahve Sabaoth : cf. quae diximus ad 1 Reg. 1,3 ; ornatus autem coeli v. 1 certissime non affirmatur esse creatus. Sed intelligitur coelum materiale. Quod probatur primum contextu : illud quippe coelum 1,1 creatum scribitur, quod sequentibus discretum et exornatum ostenditur : sed stabilito firmamento dispositisque astris discernitur et ornatur coelum materiale. Rursum illud coelum 1,1 creatum, quod 2,1 perfectum dicitur : sed hoc ex praecedentibus est coelum materiale. Tandem ita his textibus coelum et terra narrantur creata et perfecta, uti aliis textibus (Ps. 101,26 ; Is. 65,17 ; 66,22 ; Matth. 24,35 ; 2 Petr. 3,7. 10. 12. 13 ; Ap. 21,1) coelum et terra praenuntiantur aliquando destruenda : destruentur autem coelum et terra materialia.

Hinc locutio « coelum et terra » vel « coelum et terra et (mare et) omnia, quae in eis sunt » Hebraeis idem exprimit, quod mundus materialis : non enim propria ad designandum mundum voce utuntur. Sed dispiciendum nobis est, utrum ea locutio h. l., dum creaturam corporalem explicite designat, implicite praeterea designet creaturam angelicam. Ubi perperam appellant quidam ad Gen. 14,19. 22 ; 4 Reg. 19,15 ; 2 Par. 2,12 ; Iudith 13,24 ; Ps. 123,8 ; Ier. 32,17, qui textus

verbotenus fere iidem sunt cum Gen. 1,1 vel 2,1 neque creaturam angelicam subintelligi exigunt. Lubentes quidem permittimus, posteriores Iudaeos, quando coelum et terram i. e. mundum adspectabilem cogitabant, angelos, quos toties in scripturis eidem admixtos, e coelo visibiliter descendentes aut in coelum ascendentes nossent, non exclusisse, imo quandoque inclusisse. At eaedem locutiones sensu quandoque arctiore, quandoque latiore accipiuntur, neque, sufficientem noster contextus rationem offert, ut angelos vere, licet implicite designari affirmemus : coelum et terra 1,1 creata eadem sunt, quae 2,1 perfecta dicuntur, et ornatus coelorum 2,1 ille idem intelligatur oportet, qui 1,6 et 14 providebatur, i. e. firmamentum et astra, non vero angeli.

Afferunt ad hanc disputationem auctores non pauci decretum *Concilii Later.* IV cap. Firmiter : « Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritalem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constantem ». Quod decretum certissime ad Gen. 1, 1 alludit. Unde inferunt aliqui, ex mente Concilii coelum et terram ib. intelligi oportere spiritualia et corporalia, idem esse in principio quod ab initio temporis, ברא Gen. 1, 1 omnimoda necessitate sonare creationem ex nihilo. Verum aliter res habet. Alludit Concilium ad alios praeter Gen. 1, 1 textus. Vocem *simul* petitam esse ex Eccli. 18, 1 « Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul » apud omnes in comperto est. Patres, dum in verba *de nihilo* conspirarent, ignorasse Machabaeae matris verba, difficile crediderim. Sunt alia, quae ex nullo textu petita, suis verbis Patres proferunt. Ergo perperam Concilii verba pro authentica nostri versus interpretatione accipies; aliud tandem est ad textum alludere, aliud eundem interpretari.

Quaesivere aliqui, utrum v. 1 opus aliquod divinum exprimat a sequentibus distinctum, an ipsa hexaemeri opera compendio enuntiet ac veluti praelibet. Quam alteram sententiam tribuunt *Chrys.*, licet apud ipsum, quod sciam, indubie non reperiatur (cf. *M.* 53. 30). Defendi ea nequit. Nam v. 2 utique describit conditionem terrae hexaemero *praeviam;* constructio והארץ היתה v. 2 intime cum v. 1 connectit ostenditque, eam fuisse terrae conditionem praecise *in* illa coeli terraeque creatione, ergo creationem ipsam totam quantam hexaemeron antecessisse. In hypothesi adversariorum scribendum erat יתהי הארץ. Quod dicunt, ברא secus nunquam *solam* creationem primam significare, sed totum opus cosmogonicum, id gratis asserunt. Cur Gen. 14, 19. 22 et similibus textibus necessario totum opus cosmogonicum intelligi oporteat, non perspicitur. Omnibus illis textibus creatio prima certe potissimum intenditur, necnisi eiusdem respectu creatio etiam secunda includi potest. Ceterum idem omnino est usus verbi latini *creare.* Cf. *Corluy :* Spicil. — Errant tandem ii quoque (*Sa* etc.), qui coelum et terram creata esse aiunt *prima* hexaemeri die : illae dies decurrunt a mane usque ad mane; ergo quae primam lucem antecessere, a prima die excluduntur.

Sed alia nobis eaque gravior h. l. discutienda objectio. Construebat quippe *Iarchi :* In principio, cum Deus crearet coelum et terram (terra autem erat tum inanis et vacua etc.), dixit Deus : Fiat lux. Similiter *Abenesra :* In principio, cum crearet Deus coelum et terram, erat terra inanis et vacua etc.; sed haec altera constructio ut admitti queat, pro והארץ היתה deberet scribi ותהי הארץ. Manet ergo constructio Iarchi, in qua non est opus ut cum *F. Böttcher* (Neue exegetisch kritische Aehrenlese zum A. T., Leipzig 1863) pro praeterito בָּרָא punctes infinitivum בְּרֹא (cf. 5,1), cum similes constructiones adhibito praeterito et supresso pronomine legantur : Os. 1,2 (kethib) תחלת דִּבֶּר, initium quo locutus est, Deut. 4,15 ביום דִּבֶּר, in die quo locutus est; similiter Ps. 89 (90), 15 כימות sicut diebus quibus, שנות annis quibus; Iob 6,17 et 2 Par. 24,11 בעת tempore quo; imo Is. 29,1 קרית civitas quae. In quibus exemplis omnibus sequitur praeteritum, non infinitivus. Ergo etiam בראשית בָּרָא verti *potest :* In principio, cum *crearet* vel *creasset* etc. Si hoc, constructione mutata sensus manet substantialiter idem, creatio praecessit hexaemeron. Si illud, tum utique sensus textus non parum mutatur : principium non iam est hexaemero anterius, sed tempore idem cum lucis productione; ברא non exclusive creandi significationem induit, sed quolibet modo efficiendi, formandi, omnia hexaemeri opera complectitur. Creandi significatio necessario neque excluditur neque includitur, neque excluditur necessario praeexsistens materia. Constructio redditur intricatior et parenthetica, sed eo similior inscriptionibus 2,4 et 5,1. — Manet tamen, quod demonstravimus, nullam hebraicam vocem esse aptiorem voce ברא creationi exprimendae. Manet ex 2 Mach. 7,28, reapse Hebraeos creationem ex nihilo professos esse, non in genere tantum, sed speciatim dum Gen. 1,1 in mente habebant. Qui textus erat sane e numero eorum, quos Hebraeus quisque et mature addisceret, et frequenter repeteret : an fingi potest, eius textus constructionem ita apud omnes oblivioni traditam esse, ut sensim alteram toto coelo diversam professi sint?

v. 2 « *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas* ». Tria haec membra intime inter se connectuntur, cum ad unum היתה tria subiecta תהו ובהו, חשך et רוח referantur; intime quoque cum v. 1 connectuntur, cum auctor e termino complexo v. 1 « coelum et terram » unam retineat « terram », nexumque cum v. 1 exprimat voce הארץ initio sententiae collocata. Gressum igitur facit s. auctor ad describendam rerum conditionem, quae post primam creationem et immediate ante primae diei opus obtinuit. Dico immediate ante primae

diei opus : nam efferuntur tenebrae et aquae primis illico diebus coercendae, terrae vastitas plantis operienda; simul sequentium operum effector spiritus Dei demonstratur. Intime igitur haec sequentibus copulantur, non tamen ideo haec cum *Keil.* et *Del.* a v. 1 separanda et cum primae diei opere iungenda : singula quippe hexaemeri opera a Dei iubentis edicto ordiuntur, ergo h. l. a verbis « Fiat lux ». Dico eandem illam rerum conditionem post, non tamen necessario immediate post primam creationem obtinuisse : illae sc., quas Restitutionistae adstruunt, inter primam creationem et inter hexaemeron naturales evolutiones textu hoc nequaquam proscribuntur.

תהו ובהו recte vertit *Vulg. inanis et vacua,* et consentiunt versiones. Leves, quae in textibus graecis leguntur, divergentiae inde ortum habuere, quod scriptor expressionem interpretatus sit non tam ex etymo, quam potius ex effectu secuto. Ita LXX scripsit ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, destitutam sc. terram luce et ornatu; sed Is. 45,18 recte vertit בהו κενόν. *Symm.* vertit ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, iners et indistincta, sc. postea variae mundi partes ab invicem distinguebantur. Sensus vocis indubie colligitur ex Is. 45, 18 : « Non in vanum (בהו) creavit eam : ut habitaretur, formavit eam », sc. terram. Ier. 4,23 sqq. : « Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili (תהו ובהו), et coelos, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, et omnes colles conturbati sunt. Intuitus sum, et non erat homo et omne volatile coeli recessit. Aspexi, et ecce Carmelus desertus, et omnes urbes eius destructae sunt a facie Domini et a facie irae furoris eius. Haec enim dicit Dominus : Deserta erit omnis terra ». Habes hic תהו ובהו effectum divini decreti, quo terra deserta esse iubebatur. Expressio sonu confusionem chaoticam imitatur; est ἐν διὰ δυοῖν, cuius duo membra assonantiam, quam dicunt, efficiunt. Cf. Gen. 4,12 נע ונד, et alia in Hebraeorum nostratumque linguis exempla. Quo autem sensu vacua dicatur terra, ex ipso hexaemero intellige : ergo non solum vacua ab hominibus et iumentis (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*), sed ab animalibus quibusvis et potissimum etiam a plantis.

Vox חשך *tenebrae* alias quoque de tenebris maxime spissis et vix non omnis lucis expertibus scribitur, ut de tenebris aegyptiacis Ex. 10,21, de inferorum tenebris Ps. 87 (88), 13; Iob 10,21; Eccle. 11, 8 etc. Tenebrae autem nostrae describuntur fuisse *super* faciem abyssi : ergo sicut ante primam hexaemeri diem aderat iam terra, licet aquis submersa et omnino vacua, ita tum iam exhibetur fuisse atmosphaera aliqua : aquae totam quidem terram obvolvebant, at non totum coelum implebant. Mare illud, cui nullum litus, circumplectebatur atmosphaera lucis expers, spiritu tamen Dei foecunda. Sed in coelo idem

tum desiderabatur, quod in terra : distinctio et ornatus. תהום a הום aquarum sonitum exprimit, hinc aquas designat abundantes, copiosas, v. g. Deut. 8,7 rivorum terrae promissae, at vix non semper *maris*, Ex. 15,5. 8; Ps. 32 (33), 7; 35 (36), 7; Iob. 28,14 etc. Dicitur etiam de mari ex diluvio nato Gen. 7,11 et est vox poetica magis, dum ים potius prosam sapit. Eadem prorsus vox in cosmogonia chaldaica cuneiformi legitur *ti-amat*, estque Assyriis usitata ad designandum mare.

רוח אלהים de se vel *ventum Dei* designare potest vel *spiritum Dei*, i. e. S. Spiritum. Unde *Ephr.*, *Theodoret.* interpretati sunt ventum : et hic quidem, quod post aquas et terram necessariam hoc versu existimaverit aeris mentionem; ille, quod, si Dei virtus initio hexaemeri describatur aquis incubans, debuisset prima die aliquid in ipsis aquis effici, cum tamen ante secundam quintamve diem nihil in illis effectum legamus. Infirmior argumentatio : quodsi enim coeli v. 2 omittebatur mentio, cur non et aeris, qui ad coelum potius quam ad terram spectabat? Effecit autem omnino aliquid vel prima die spiritus Dei, cum ab ipso processerit vox « Fiat lux ». Ventum quominus intelligamus, prohibet vox מרחפת, « quod nos appellare possumus *incubabat* sive *confovebat*, in similitudinem volucris ova calore animantis » (*Hier.*). Idipsum iam notaverant *Iacob. Edess.* et *Bas.* (29.43). Porro ex modo loquendi Hebraeorum *ventus Dei* necessario esset ventus validus : qui sensus discordat a voce מרחפת, quae motum aut nullum aut certe lenem exprimit.

2. *Opus hexaemeri Gen.* 1,3-31.

A. Triduum prius : opus distinctionis Gen. 1,3-13.

Arg. — Eius tridui opus intime cum conditione rerum v. 2 descripta connectitur. Divinum creationis consilium optime expressit Is. 45.18 affirmans, non in thohu creasse Deum terram, sed ut habitaretur. At thohu adhuc illa erat, aquis submersa et tenebris involuta. Ergo primum haec removenda, hoc opus distinctionis : dein exornanda variisque creaturis veluti habitatoribus implenda, hoc opus ornatus. Removentur igitur primum tenebrae : lux quippe viventibus universis necessaria magis, quam vel separatio aquarum, cum viventium infra recensendorum aliqua possint quidem vivere in aquis, nulla vero queant omni omnino luce carere. Praeterea in narratione, in qua Deus producitur anthropomorphice loquens et agens, qui poterat is adstrui vidisse opera esse bona, nisi prius exsisteret lux, qua videret? Ac tandem recte ait *S. Thom.* I. q. 67 a. 4. Sed c. : « id, sine

quo non potest esse dies, oportuit fieri in prima die ». Post creatam lucem tenebrasque in certos fines relegatas sui quoque aquis assignandi sunt termini, quod duplici efficitur opere. Secunda sc. die dividuntur aquae superiores ab inferioribus, tertia arida ab aquis inferioribus. Quibus perfectis illico Thohu va Bohu in paradisum convertitur, terra ex arida et vacua in floridam mutatur.

α. Opus primae diei Gen. 1,3-5.

v. 3 « *Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux* ». Versus post divinum mandatum impletionem brevi sed nervosa formula complectitur : Et facta est lux. Cum mandatum duabus solis vocibus constet (Fiat lux), languesceret oratio, si primum impletio referretur, dein subiiceretur descriptio : Et factum est ita, et fecit Deus lucem. E contra, quam legimus, formula vividius, quam quae ceteris operibus prolixiores adscriptae sunt formulae, instantaneum atque completum divini mandati depingit effectum. — Mandatum hic, ut in aliis operibus, expressio est divinae auctoritatis; impletio illico consequens divinae omnipotentiae. Quem nexum iam perspiciebat Ps. 32 (33), 6. 9 : « Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum... quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt » (cf. Ps. 148,5); Eccli. 42,15 : « In sermonibus Domini omnia opera eius », i. e. sermonibus eius opera effecta sunt; Iudith 16,17 : « dixisti et facta sunt, misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuae »; *Greg. Nyss.* : « Verbum in Deo effectus est ». — Quae *lux* h. l. intelligatur, evidens omnino est : eadem sc., quae v. 4 a tenebris dividitur nobisque discrimine dierum noctiumque affulget, quae vespere recedit, mane oritur.

v. 4 « *Et vidit Deus lucem, quod esset bona* ». Bonum a Deo praedicatur illud, quod ideae divinae perfecte respondet. Unde 2,18 : « non est bonum », inquit, « esse hominem solum », quod sc. unico sexu creato divina de homine idea plenum nondum nacta sit effectum. Hinc Thohu va Bohu laudationem non habet, imo quae illud obvolverant v. 2 tenebrae et aquae ne in opere quidem primae et secundae diei laudantur; nam primae diei laus soli luci tribuitur, secundae diei nulla adscribitur laudatio, tertiae diei laus proxime aridam necnisi remotius maria attingit. Sed quod ideae divinae, idipsum perfecte etiam suae ideae respondet, estque in suo genere perfectum. Igitur laudationis verba lucis productae bonitatem, i. e. pulchritudinem et utilitatem, pronuntiant, simulque eam bonitatem a Deo productore mente agnosci eumque hac agnitione delectari. Hinc inculcatur obli-

gatio bonitatis rerum creatarum perpendendae atque ex ea ad laudem creatoris assurgendi.

« *Et divisit lucem a tenebris* », non physica actione, quasi lux et tenebrae tum simul fuissent eodem loco, quod est absurdum ; sed morali atque legifera actione sanciens, ut porro certis intervallis tenebrae succederent luci et lux tenebris; quem sensum confirmant sequentia. Crediderim autem nostrum incisum cum praecedente intimius connecti : Et vidit Deus lucem, quod esset bona; et *ideo* divisit. Cum lux ob insitam et insignem bonitatem esset conservanda, neque eorum quidquam, quae in principio fuissent creata, penitus esset eliminandum, non tenebrae, non aquae, hinc dividi oportuit lucem et tenebras singulisque suam attribui provinciam. Ita prima dies unicum quidem habet opus lucem, sed in hoc unico opere duplicem effectum, lucis primum productae ac inde divisae.

v. 5 « *Appellavitque lucem diem et tenebras noctem* », lucem sc. et tenebras ut divisas alternantesque, secus enim variis nominibus vocari possunt. Recte *S. Thom.* I. q. 67 a. 4 ad 2 : « Scriptura », inquit, « in principio Genesis commemorat institutionem naturae, quae postmodum perseverat. Unde non debet dici, quod aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit ». Consentiunt auctores inspirati celebrantes hexaemeron tamquam institutionem rerum usque perdurantium : cf. Ps. 103 (104); 32,6 sqq.; 148,5 sq.; Iob 38,11. Speciatim primae diei opus respiciebat Ier. 33,20 sq. : « Haec dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo : et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo ». Ergo diei noctisque nominibus ipsissima illa lucis et tenebrarum vicissitudo designatur, quae hodiedum viginti quatuor horarum intervallo completur atque terrarum orbe circa se ipsum revolvente efficitur. Confirmant istud vel ipsa nomina, quae eandem s. scriptoris tempore significationem retinuisse supponuntur, quam eis creator indiderat.

Ceterum *appellavit* non est idem atque *appellari fecit* (*Aug. M.* 34. 180), sicut eum dicimus aedificare domum, qui aedificari facit : agitur enim de aliquo effectu, qui durante hexaemero obtinuerit : si ergo tum Deus appellari fecit, per quem tandem fecit appellari? Praeferenda explanatio, quam ad Gen. 2,19 tradit *Chrys.* (*M.* 53.116), nomina imponi in signum *dominii*. Id praestitit Adam sua animalibus nomina et postea duplex Evae nomen imponens. Semper parentes natis indidere nomina. Imponebant nova nomina, qui servos vel tributarios alios effecerant : 4 Reg. 24,17; 2 Par. 36,4; Gen. 41,45; Dan. 1,7. Idipsum saepenumero fecerat Deus nomen imponens iis personis, quas speciali

ratione suo servitio devinciebat : Gen. 17,5.15.19; 35,10; 1 Par. 22,9, quibus addas nomina Servatori, Praecursori, S. Petro imposita. Deus luci ac tenebris et postea aliis effectibus naturalibus nomina imponens heri in subditos personam agit supremumque et permanens omnium rerum profitetur dominium.

« *Factumque est vespere et mane, dies unus* », i. e. primus, ut recte interpretati sunt *Ios.* et *Targ. Hier.*, patetque sequentium serie numeralium. Ceterum haec numeralia, sexto excepto, articulo carent, quem v. g. legis 2,11 sqq. in recensendis paradisi fluminibus. Efferuntur sc. tamquam totidem membra serici primum indefinitae, *gall.* « un premier jour, un second jour etc. », adiecto tandem sexto die definiendae et limitandae, *gall.* « le sixième jour ». Illud autem *dies unus* non est appositio ad *vespere* et *mane* (*Dillm.*), cum haec, etiamsi interiectam noctem computes, minime efficiant diem unum; sed exprimit summam totius durationis, quae inde a primo Dei mandato elabebatur : « Dixitque Deus : Fiat lux... factumque est vespere et mane, dies unus ». Intelliges porro, vocem *dies* v. 5 bis usurpari sensu non plane eodem, cuius autem diversitas ex ipso textu neminem fugere possit. Ubi dicitur Deus appellasse lucem diem, dies intelligitur naturalis, a mane durans ad vesperam atque noctem excludens; ubi dicitur dies unus, intelligitur dies civilis viginti quatuor horarum, diem naturalem cum nocte complectens. Hic autem dies civilis computatur a mane ad mane (*Chrys.*), non a vespera ad vesperam (*Ephr.*), est ἡμερονύκτιον, non vero νυχθήμερον. Etenim dies hic civilis terminatur mane, protenditur itaque a mane ad mane. Factum esse vespere finem exprimit diei, factum esse mane finem noctis : ergo prior fuit dies, quam secuta est nox.

Duo tantum operae pretium est commemorare argumenta, quae pro stabiliendo νυχθημέρῳ afferebantur. Primae hexaemeri diei, inquiunt, noctem fuisse ipsas tenebras v. 2 descriptas, quae effectam lucem praecesserint. Ubi recte *Bas.* : « Qui status in mundo fuit ante lucis generationem, is non erat nox sed tenebrae ». Illae tenebrae primordiales ad primam diem minime spectant; dies singulae a divino ordiuntur mandato, ergo prima a verbis lucem fieri iubentibus. — Praeterea obiiciunt, Hebraeos (cf. Lev. 23,32) dies a vespera ad vesperam computasse, ergo idipsum fieri Gen. 1. Vera assertio, sed illegitima conclusio. Diem utique a vespera computabant Hebraei, qui tempora a lunae cursu dimetirentur, sed a mane Babylonii, Aegyptii et Romani, uti nos a media nocte, Umbri a meridie. Ipsum septimum diem, quem a vespera ordiebantur Hebraei, christiani a media ducunt nocte : cur igitur negemus, ante Hebraeae gentis primordia septimum reliquosque dies a mane esse computatos? — Iniquius interpretes aliqui verti iubent *Et fuit vespere et fuit mane* pro eo, quod tota traditio sancivit *Et factum est*, Καὶ ἐγένετο. Vox hebraea utroque sane modo verti potest, debet autem verti v. 5 eodem modo, quo v. 3 vertebatur : uti ibi vertebas *Fiat lux, et facta est lux*, ita h. l. verte *factum est vespere etc.*, una enim continua habetur narratio. — *E. de Gryse* (La science catholique, 15 janvier 1890, IV. 81 sqq. ;

scripserat ante : De Hexaemero secundum caput primum Geneseos ad litteram, Brugis 1889) vertit : « et constitutum est νυχθημέρον (cf. Dan. 8,14.56), dies primus ». Ergo, in memoriam singulorum operum constitutus est unus aliquis hebdomadae dies. « Non est », inquit, « textus historiam enarrans, sed legem latam commemorans ». Textus Danielis falso appellari demonstrat *Knabenbauer*. Praeterea, si vertas *et facta est lux*, vertas quoque necesse est *et factum est vespere*.

β. Opus secundae diei Gen. 1,6-8.

v. 6 « *Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum* ». רקיע habet *Hebr.* retinueruntque vocem *Sam. Chald. Syr.* Radici non quidem in solo piel et in formis a piel derivatis (cf. Ex. 39,3 ; Ier. 10,9 ; Num. 16,39 — apud Hebr. Num. 17,4) competit significatio *percussit*, hinc de metallis maxime *percutiendo extendit ;* sed bis etiam (Ez. 6,11 ; 25,6) in kal ; tamen in kal significatio *firmavit* utique praevalet (cf. Iob. 37,18 ; Ps. 103,2 ; 135,6 ; Is. 40,22 ; 42,5 ; 44,24), maxime cum et illis textibus ea aptissime conveniat, ubi aliqui vertunt *extendit*. Quam significationem tribuit radici etiam *Syr.* et, uti ex Iob 37,18 concludere fas est, *Chald.;* atque ad eandem revocatur *sarciendi* significatio penes *Arab.* et *Chald.* Quare, licet *Wellh.* (Prol. p. 412) non assentiamur significationem percutiendi vel extendendi penitus a kal eliminanti, omnino tamen cum eodem tenemus, longe praeferendam esse nominis רקיע versionem traditione consecratam, quam exhibent *Aq. Symm. Theod. LXX* (στερέωμα) et *Vulg.* (*firmamentum*), a significatione non extendendi sed firmandi petitam. — Quo posito illico patet, quid firmamenti nomine h. l. veniat, utrum coelum nubium tantum, an etiam, imo potissimum coelum nubibus vacuum atque azureum. Hoc alterum interpretatus est *Iac. Edess.*, « quod propter profunditatem et distantiam apparet ad instar corporis caerulei ». Interpretatus est *Ios.* describens Deum coelo secunda die κρύσταλλον περιπήξας. Huc illud quoque placet trahere, quod de vocibus chaldaicis habet *Levy*, e septem coelis illud, quod infimum sit terraeque proximum, vocari ירקיעא seu *velum ;* illud, quod proxime sequatur, רקיעא ; velo illo recedente cerni lucem firmamenti, i. e. רקיעא. Idipsum enuntiat Iob 37,18, qui textus nostrum opus respicit : « Tune cum eo firmasti aethera, qui firmus est sicut speculum fusum? » Quae imago sane non respicit coelum nubium. Reapse nubes non satis respondent conceptui *firmitatis*, huc illuc feruntur, saepissime omnino absunt, nam in Palaestina a mense Maio ad Octobrem coelum nubibus est fere semper vacuum, item saepissime mense Novembri : at firmamentum azureum immobile concipitur, vel ipsis nubibus alte supereminet. Porro illud h. l. coelum intelligitur, cui mox nomen inditur שמים, a שמה *altus fuit*,

quod nomen certissime non ad coelum nubium restringitur ; illud item coelum, quod quarta die sideribus ornatur : uti enim die quinta et sexta illa terra eaque maria viventibus replentur, quae die tertia ab invicem fuerant divisa, ita die quarta ii coeli perficiuntur, qui die secunda ab aquis inferioribus fuerant secreti.

Notant hic auctores aliqui, Hebraeos cogitasse coelum tamquam solidum quid, fornicem aquis orbem cingentibus imminentem aut montium cacuminibus innixam, quae inde columnae coeli habitae sint, tentorium extentum : cf. 2 Reg. 22,8; Iob 26,11; 37,18; Ps. 77 (78), 23; Prov. 8,27. Verum ii textus poetici sunt omnes, atque eis similia ubique gentium a poetis cantantur. Textus autem noster non est ita poeticus, quin imo pars est narrationis historicae : dispiciendum nobis igitur, quales Hebraei imaginati sint *aquas superiores* istas, interiecto firmamento ab aquis terrestribus separatas. Eae profecto non sunt solae aquae nubium, quae vix dici queant firmamento dividi a terra, quin potius infimam firmamenti partem permeent, reliquo firmamento supra ipsas expanso. Alii textus aquas superiores a nubibus sat clare discernunt. Ps. 148,4.8 « aquae omnes, quae super coelos sunt » intime copulantur coelis coelorum, i. e. parti coelorum materialium excelsiori, longo autem intervallo separantur ab igne, grandine, nive, glacie et spiritu procellarum, quae nubes comitari consuevere. Item Dan. 3,60.73 aquae superiores longissimo intervallo a nubibus separatae inter angelos et sidera recensentur. Ps. 103 (104) descriptio a summis ad inferiora descendit : lux, coelum, aquae superiores, nubes, venti, terra. Iam Deus, postquam extendit coelum sicut pellem, v. 3 narratur contignasse aquis cubicula eius superiora (ad vocem cf. Iud. 3,23.25; 3 Reg. 17,19.23; 4 Reg. 4,10), inde nubes ascendit pro curru. Ergo non idem plane nubes et aquae superiores, licet aliquomodo connectantur. Nam Ps. 103 (104), 13 dicitur Deus de iisdem cubiculis superioribus rigare montes, quod tamen non fit nisi mediantibus nubibus. Ergo iis reapse loquitur scriptura imaginibus, quae firmamentum velut arctioribus limitibus conclusum exhibeant et supra illud aquas reconditas, unde tempore vehementium imbrium cum ipsis nubibus veluti reseratis repagulis (Gen. 7,11; 8, 2; 4 Reg. 7.19; Is. 24,18; Mal. 3,10) prorumpant. Neque in his quidquam est, quod reprehendas. Hebraei, qui rerum naturalium causas legesque accuratius non perspicerent, de iis iudicabant et loquebantur secundum id, quod sensus percellebat. Neque ideo erroris sunt arguendi magis, quam quando solem affirmant circa terram moveri quod specie tenus verum est. Multoque minus carpendus Deus auctoresve inspirati, qui non de rerum natura Hebraeos cuperent edocere, sed modo Hebraeis consueto de illis dissererent. Aliis locis iis utuntur imaginibus, quae ostendant eos firmamentum nequaquam rem solidam existimasse : etenim « aether » שחקים Prov. 8, 28 et Iob 37,18 ex etymo aliquid tenue designat, et Is. 40,22 : « qui extendit, » inquit, « velut tenue (velum) coelos et expandit eos sicut tabernaculum ad habitandum ».

« *Et dividat aquas ab aquis* ».

LXX huc transferre impletionem καὶ ἐγένετο οὕτως, quam extremo v. 7 reliqui habent, supra monuimus. Conferatur lectio *Syr.*, quae aliquod nobis indicium praebet, quomodo lectio varians LXX oriri potuit. Igitur Syr. in expressione ויהי מבדיל priorem vocem pro imperativo ויהי punctabat imperfectum וַיְהִי vertebatque : *Et factum est, et divisit aquas ab aquis.* Iam ubi semel adhibita hac erronea punctatione

sententia evaserat manca, quid erat magis obvium, quam ad instar aliorum operum inserere voculam כֵּן *Et factum est ita*, quo symmetriae simul et perspicuitati textus consuleretur?

v. 7 « *Et fecit Deus firmamentum, divisitque* » — *LXX* supplet subiectum *Deus;* ceterum etiamsi, uti v. 6, verbo dividendi assignes subiectum *firmamentum*, tamen sensus manet idem : ope firmamenti divisit Deus « *aquas, quae erant sub firmamento, ab his, quae erant super firmamentum. Et factum est ita* ». Quamvis impletio non assueto post mandatum legatur loco, nequaquam tamen (*Dillm.*) sensu caret : sc. vox *ita* non refertur ad impletionem (« Et fecit Deus etc. »), quae esset tautologia, sed ad praecedens mandatum : Et ita, effecto firmamento, adamussim impletum est divinum v. 6 mandatum. *Fecit* utique solo suo verbo, quod patet collato v. 3, et ex Ps. 32 (33), 6 : « Verbo Domini coeli firmati sunt », cf. Ps. 148,4 sq. Quid autem effecerit Deus, ex modo explicata voce *firmamentum* collige. Fuerint igitur in opere secundae diei nubes, tonitrua, imbres : illud quod tandem effectum est, quod ex elementorum fortasse tumultu prodiit, fuit firmamentum serenum, pellucidum, sideribus utique vacuum.

LXX supplevere laudationem. Cur ea omittatur varias assignant rationes. Ne septenarius laudationum numerus excedatur, inquit *Del.* : at sex sunt laudationes particulares v. 4.10.12.18.21.25 et alia universalis v. 31; etsi suam haberet secunda dies laudationem, essent tamen septem laudationes particulares et numero sacro factum esset satis. Melius *Rup.* : quia Deus non laudat ea, quae ad Thohu va Bohu spectaverant : non laudat tenebras prima die, non laudat opus secundae diei, quod sola divisione aquarum constat nondum intra iustos limites relegatarum; e contra subactis prima die tenebris laudat lucem, subactis die tertia aquis laudat aridam, sublata aridae nuditate laudat plantas. In opere dein ornatus singula laudat Deus; homini specialem laudem non tribuit, quod universalis v. 31 illico sequatur laus.

v. 8 « *Vocavitque Deus firmamentum coelum. Et factum est vespere et mane, dies secundus* ».

γ. Tertiae diei opus prius. Gen. 1,9-10.

v. 9 « *Dixit vero Deus : Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum* ». Aquis superioribus super firmamentum coactis, iam suum in locum aquae inferiores coercentur. Dicitur autem is locus *unus,* non tam quod maria omnia invicem communicent (*Theodoret.*), id enim licet verum sit h. l. non exprimitur, sed quod in visione, qua cosmogonia revelabatur, reapse unicus se oceanus videntis oculis obtulerit. « *Et appareat arida* », quo nomine etiam Ion. 1,9.13; 2,11

designatur terra firma opposita mari, Ex. 4,9 eadem Nilo flumini opposita. Sensus obvius est, ut refluentibus aquis terra patuerit obtutui. Eo fine congregantur aquae, ut appareat arida : hoc principalius, illud secundarium. Ideo vero emergere iubetur terra, quo fiat « utilis fovendis seminibus, progignendis herbis et stirpibus, hospitalisque hominibus et reliquis animantibus » (*Iac. Edess.*). « *Et factum est ita* ». *LXX* addit descriptionem. v. 10 « *Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria* ». Singularem *congregationem* habent praeter *Vulg. LXX* reliqui, unde placet cum *Keil* pluralem *maria* interpretari intensivum potius quam numericum, designantem vastum oceanum; notatque *Dillm.* eundem pluralem Ps. 45 (46), 3 sq. ad instar singularis construi. Uti tenebrae luce distinctae appellantur nox, ita aquae continentibus limitatae vocantur maria. De fluviis, lacubus silet textus, « quippe quae non sunt nisi continentis terrae interstitia » (*Corluy*), et in visione probabilius non obiiciebantur oculis. « *Et vidit Deus, quod esset bonum* ».

δ. Tertiae dici opus posterius. Gen. 1,11-13.

v. 11 « *Et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen* », — sola *LXX iuxta genus et similitudinem,* cum tamen secus in scriptura similitudo solorum sit viventium — « *et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram* ». Intime, utpote quae ab una derivantur radice, copulandae voces תדשא דשא, *germinet* (*terra*) *germen,* quae semper ad plantam teneram nascentem referuntur, unde h. l. plantarum origo a tenuissimis germinibus profecta describi perspicitur. Cum iis vero vocibus minus apte *LXX Vulg. Aq. Theod.* sequentem etiam vocem עשב connexuere, *herbam virentem,* βοτάνην χόρτου : cur enim vox *germen* solis *herbis* adiiciatur, quae suapte natura teneriores germinumque affines sunt, non vero *lignis?* si autem ea vox ad utrumque referatur, tum vertendum erat ξύλου pro ξύλον. Obest praeterea accentus *Masor.*, cui adhaesere *Chald. Syr.* Unde verius suggerit *Vat.,* sequentia inde ab עשב « per oppositionem dici », et *Cai.* easdem plantas, quae modo voce *germen* exprimebantur, explicat in duas discerni classes, quarum discrimen ex *Chald. Syr.* perspicies ratione seminis consistere. Priorem sc. classem efficiunt *herbae, quarum semen seminatur,* alteram *ligna fructifera facientia fructum, in quo semen est.* Prior classis, quam praeprimis efficiunt herbae, olera, fruges, semen producit propatulum; altera, quae arborum est fructiferarum, semen gerit fructu inclusum. Cum verbi זרע hiphil praeter h. l. et v. 29 solummodo Lev. 12,2 lega-

tur, non ex eo unico loco tuto significatio stabiliri potest, sed consulantur oportet versiones, quae h. l. significationem suggerunt *seminare*, i. e. semen proiicere. Ita etiam *LXX* σπεῖρον σπέρμα, et *Aq.* σπειρόμενον. Hinc colliges, nequaquam omne plantarum genus recenseri. Non solum omittuntur, quae in mari nascuntur, plantae, sed eae etiam arbores, quae aut fructu omnino carent, aut in quibus non semen intra fructum reconditur, sed idem est semen quod fructus, cuiusmodi sunt quercus et nux. Agit textus de solis plantis *alimentariis*, de iis quae illico v. 29 homini et animalibus traduntur, « ut sint vobis in escam ».

Eae primum indiscriminatim omnes describuntur ut tenue *germen*, dein generaliori quodam modo ratione seminis discernuntur. — Ambigunt recentiores, quo trahendum sit illud *super terram*. Ad solum *lignum* trahit *Kn.*, quod arbores alte immineant terrae; ad *semen* vero *Dillm.* (« in quo fructu sit semen ad propagationem super terram ») ; ad *germinet* tandem *Del.* Vox sola constructione fortasse ad ultimum incisum, sensu certe ad totam sententiam refertur, tam ad herbas quam ad ligna.

Contra reliquos omnes h. l. *Vulg.* omittit vocem *Deus* : « Et ait Deus ». Item v. 17 « et posuit eas Deus »; v. 22 « Benedixitque eis Deus »; v. 26 « ait illis Deus »; 2, 3 « et benedixit Deus ». Quam vocem etiam retinent *Aq. Symm. Theod.*, ubicunque eorum ad nos textus devenerunt. 1,28 « Et ait illis Deus » duas supremas voces cum Vulg. sola ignorat *LXX*. Sed hoc textu, uti 2,3, reapse vox *Deus* intra eundem contextum et brevissimo interiecto spatio repetitur, ideoque facilius omittebatur; reliquis etiam textibus laudatis subiectum *Deus* facile ex contextu suppleri, ideoque facile in aliqua versione omitti poterat; critice solius Vulgatae auctoritas reliquis omnibus hac in re minime praevalet. Dicas igitur, eam vocem primitus in textibus laudatis fuisse, Vulgatam alium a reliquis textum hebr. nequaquam legisse, sed S. Hier. suarum partium minime illud esse existimasse, ut voculam quamque serviliter exprimeret. — Id semel monuisse sufficiat.

« *Et factum est ita* ». V. 12 « *Et protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem secundum speciem suam* ». Eadem in *Hebr.* vox *speciem* et *genus* exprimit. Recole quod diximus, in singulis operibus impletionis verba illud exprimere, quam adamussim effectus divinae iussioni responderit. Ergo totum illud intra alteram tertiae diei partem in effectum prodiit, quod Deus v. 11 effici praeceperat. Sane ea die plantas non in germinibus substitisse, sed reapse in herbas et fructus maturuisse, colligas ex creatis sequentibus diebus animantibus, quae non meris germinibus, sed insuper herbis, seminibus, fructibus ad victum indigent. Quando Deus sexta die dicebat : « Ecce dedi vobis omnem herbam et universa ligna, ut sint vobis in

escam », sane non mera germina demonstrabat triduo ante nata. Tandem reliqui dies sua ad perfectionem perducunt opera : ergo etiam tertius. Ita quinta et sexta die animalia et homo adulta sane aetate producuntur; corpora coelestia quarta die eo illico ordine prodeunt, quo tempora et dies et annos ita demonstrent, uti nunc quoque fit. Ergo recte omnino *Ephr.* alterum tertiae diei opus ita describit : « Et herbae quidem, etsi creatione effectae sint instantanea, eam praeferebant speciem, acsi mensibus ante natae fuissent; itemque arbores, quarum productio nonnisi diem habuisset, in perfectione sua ramorumque fructibus, quasi annis crevissent, apparebant ». Id indubie verum est : plantae unico die ad perfectam maturitatem perductae describuntur. Obiicies, stupendum ita portentum affirmari. Non magis stupendum concedam, quam hominem sexta die adulta aetate esse creatum; respondebo, interpretis non esse portenta eliminare, sed textum s. fideliter explicare; tandem evanescit portentum, si Cosmogonia narrari defendas rerum productionem, qualis Adamo in visione exhibita fuit.

« *Et vidit Deus, quod esset bonum* ». v. 13 « *Et factum est vespere et mane, dies tertius* ».

B. Triduum posterius : opus ornatus. Gen. 1,14-31.

Arg. — Priori triduo praeparabantur coelum et terra ad instar domus, quae recipiendis incolis instruitur : incolarum autem loco hic veniunt, quaecumque in coelo terraque moventur, motu sive reali sive apparenti : hinc astra et animantia. Secundi tridui opera prioris tridui operibus quadamtenus correspondent, non tamen accuratissime. Ita luminaria quartae diei utique correspondent luci prima die productae; sed quinta die non solius firmamenti, sed etiam aquarum incolae producuntur, dum sexta die solius terrae animantia creantur, duplici tamen opere, quod duplex tertiae diei opus in memoriam revocet.

ε. Opus quartae diei. Gen. 1,14-19.

v. 14 « *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento coeli* » — addit *LXX Sam. ad illuminandam terram* — « *et dividant diem ac noctem* ». Perperam *Cai.*, quod *Hebr.* non habeat *et dividant* sed *ad dividendum*, putabat non ipsam luminarium primam productionem narrari, sed solum officium productis attribui. Infinitivus cum ל non cogit nos hunc sensum admittere; aliunde autem parallelismus cum v. 3. 6 omnino cogit vocem יהי, uti iis versibus, interpretari. Quodsi

igitur ibi lux et firmamentum non apparuisse tantum, sed vere producta esse narrantur, referuntur h. l. etiam luminaria non tantum terricolis visibilia facta, sed primum producta esse. In quem sensum cum *Vulg.* (*Fiant et dividant*) conspirat LXX γενηθήτωσαν. « *Et sint in signa et tempora et dies et annos* ». Non est cum *Ges.* adstruenda hendiadys « in signa temporum »; neque cum *Tuch* et *Kurtz* « in signa tam temporum quam dierum et annorum » : quatuor nomina sunt coordinata. A duobus postremis *dies et annos* ordiamur, quae explicat *Chald. ut numerentur per ea dies et anni*, circumscribitque *Ps. Ion.* « ad sanctificandum initia mensium et annorum, intercalationes mensium et annorum, solstitia lunaeque mutationes et cyclos ». Quae descriptio videtur sat conveniens. Ubi *dies* intelligere placet civiles potius quam naturales, cum hi luce prima die creata a noctibus abunde secernantur, dum dierum civilium limites et horae astris definiantur. מועד *tempus* significat, et quidem tempus determinatum, unde merito *Ios.* et *Theodoret.* quatuor anni tempora huc revocavere; neque tamen ad haec unice restringenda est expressio, neque cum *Lamy* ad solos menses, nullibi quippe מועד *mensis* vertitur, et alio ordine nomina scribenda essent (dies et menses et annos); sed ad tempora quaeque extendenda est expressio sive natura sive lege aliqua certis eventibus attributa (v. g. *Ps. Ion.* recenset « tempora festorum ») : haec omnia ope corporum coelestium computantur. Quid tandem *signa?* Merito *Theodoret.* ad astrologiam alludi negat. Sed neque de eclipsibus, cometis et similibus (*Iac. Edess.*, *Theodoret.*) agitur, cum Cosmogonia non portentorum originem describat. Dicendum ergo cum eodem *Theodoret.*, signa intelligi ea, quae ex astris petere consuevere agricolae, viatores, nautae. Quodsi tandem quatuor voces simul contempleris, perspicies Cosmogoniae auctorem uti in recensendis plantis nequaquam botanistam, ita in recensendis astris nequaquam astronomum agere. Astrorum meminit, quatenus temporis sunt indices maxime pro agrorum gregumque cultura : huic quippe suppetunt signa temporaque definiunt. Idem mox astra in duas veluti classes dividit, maiora et minora, secundum id quod oculis apparet; nam stellas plerasque luna esse maiores, quis iam ignoret?

v. 15 « *Ut luceant in firmamento coeli et illuminent terram* ». Tres conditorum astrorum fines textus recenset, sed duos posteriores tantum constructione coordinatos. Primus : Sint luminaria ad divisionem diei et noctis, ut quae divisio v. 4 alternantibus luce et tenebris effecta fuerat, constitutis luminaribus evidentior evadat. Additur porro repetita voce והיו duplex alius finis : Luminaria sint in signa etc., i. e. praeter dierum noctiumque discrimina alias etiam temporis divisiones

demonstrent ; dein : Luminaria luminarium officio fungantur in firmamento ad illuminandam terram, quod non est omnino idem atque dividere diem et noctem. Quorum divisio v. 4 nullam nocti lucem concesserat, at nunc vel ipsi nocti luna et stellae suam affundunt lucem. Regnum igitur lucis quarta die magis etiam quam prima praevalet regno tenebrarum, tam ordine quam ambitu, cum universi temporis tam nocturni quam diurni primatus luminaribus attribuatur.

« *Et factum est ita* ». V. 16 « *Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas* ». Cum haec omnino ad oculum, non scientifice describantur, non est subtilius indagandum, quo sensu astra *praeesse* scribantur. Sane sol regio quodam splendore diei praefulget, luna nocti : id omnes sensere gentes, cecinere poetae, isque sensus textui abunde satisfacit. v. 16 stellae a praesidio noctis excludi videntur, v. 18 includi et Ps. 135 (136), 7 sqq. habet « Fecit... lunam et stellas in potestatem noctis ». Utrumque vere dicitur : si lunam stellis compares, sane illam praeesse, has aulicorum instar subesse fatebere ; si lunam cum stellis subjectae nocti opponas, noctem subesse, illas praeesse haud dubitabis. V. 17 « *Et posuit eas in firmamento coeli, ut lucerent super terram* », v. 18 « *et praeessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras* ». Tres hic quoque fines enuntiantur, quorum primus et tertius cum iis, quos v. 14 sq. legebamus, iidem sunt. Num ideo *praeesse diei ac nocti* idem est atque *esse in signa etc.?* Non necessario : *praeesse* h. l. eundem atque v. 16 sensum habet, ubi de signis etc. non agebatur ; s. auctor non est exspectandus serviliter in descriptione ea repetere, quae divino mandato enuntiabantur ; *praeesse* latius patet quam *esse in signa*. « *Et vidit Deus quod esset bonum* ». V. 19 « *Et factum est vespere et mane, dies quartus* ».

ζ. Opus quintae diei. Gen. 1,20-23.

v. 20 « *Dixit etiam Deus : Producant aquae reptile animae viventis* ». *Expressio* ישרצו שרץ similis est alteri v. 11 תדשא דשא. Verbum intransitivum שרץ significat *pullulare*, ישרצו non est hiphil (pullulare faciant, i. e. producant) sed kal, ergo : pullulet aqua pullulatione animae viventis, seu anima vivente. Sive נפש חיה genitivum construas (*Vulg. LXX*), sive appositionem, sensus est idem : illa pullulatio eo definitur, ut viventium consistat motu. Nomen שרץ de se ad omnis generis animalia refertur, sc. Lev. 11,10. 20. 29 ad animalia aquatilia, volatilia et terrestria : certe h. l. non sola *reptilia* designat, sed maxime pisces, quod v. 16 docet. — « *et volatile super terram sub fir-*

mamento coeli ». Similiter *Chald. LXX Aq. Symm. Theod.* : et volatilia (quae) volant super terram sub firmamento coeli. Hi videntur יעופף construxisse, quasi omissum sit ante illud relativum (*Calm.*), quod ad 1,1 quandoque fieri concessimus, constructione utique minus usitata. Perperam autem *Lamy* has versiones putat e textu profectas a textu *Hebr. Sam. Syr.* diverso. Diversus nullo argumento probatur textus, receptus vero omnino vertatur oportet : *et aves volent super terram etc.* Ergo textus non adstruit, quod iam putabat *Ephr.*, aves productas esse ex aqua. Ne ipsi quidem pisces dicuntur formati ex aqua, sed pullulantes in aqua : quomodo autem dicet quis, volatilia pullulare in aqua? Praeterea 2,19 volatilia diserte affirmantur producta esse de terra. Adverte tandem, ex Lev. 11,20 עוף non solas aves, sed volatilia quaelibet etiam quadrupedia designare. Perperam autem ex duobus successive adscriptis verbis ישרצו et יעופף inferre videtur *Del.*, volatilia *post* aquatilia esse creata : potuere omnino simul creari. — *LXX* in fine versus adiicit impletionem *Et factum est ita.*

v. 21 « *Creavitque Deus cete grandia* » — תנין bestiam vastae molis significat (h. l. et Iob. 7,12; Ps. 73,13 sq.; Ez. 29,3), piscem (cum Ier. 51,34 cf. Ion. 2,11; Ps. 103,25), cete (ad Thren. 4,3 cf. *Bochart* Hieroz. t. I lib. I cap. 7), crocodilum (Ez. 29,3), serpentem (Is. 27,1 etc.), ergo omne genus immanium piscium vel amphibiorum. Nominatim h. l. effertur ob molem, uti v. 16 « luminaria magna » — « *et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas* », *Hebr. quibus pullulant aquae etc.*, « *et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum* ».

v. 22 « *Benedixitque eis dicens : Crescite et multiplicamini et replete aquas maris* », — ergo de solis animalibus marinis per se v. 21 agit, non autem explicite de iis, quae in fluminibus etc. reperiuntur — « *avesque multiplicentur super terram* ». Recte infert *Calm.* (itemque *Cai.*), haec animalia » in eo statim perfectionis statu constituta fuisse, quo divinis iussionibus praestandis essent comparata », ergo in statu adulto; falso infert *Theodoret.* unicum singularum specierum par esse creatum, id enim textus non habet. Quid *benedictione* intelligatur, recte *Vat.* ait adiectis verbis *Crescite et multiplicamini* exprimi. Quorum prius *Ians.* putat posteriore explicari et limitari : Crescite non quantitate sed numero, hinc multiplicamini. Sed planius locutionem hendiadin explicabis, ut utriusque verbi idem sit sensus. Iis igitur verbis Deus collatam in ipsa creatione virtutem prolificam pronuntiat, eiusque effectum se velle suaque providentia esse promoturum. Ita Dei dominium, quod iussione et appellatione praesentia attingebat, benedictione in ipsa futura extenditur. Hic autem oritur quaestio, cur non

etiam plantis benedixerit Deus : ideo sane, quia praeposterum erat plantas alloqui, quae ne sonum quidem vocis audire valebant; quia verbis incitantur ii, qui aliquo appetitu moventur. Ceterum divina plantarum propagandarum voluntas v. 11 sq. commemoratis seminibus et fructibus sufficienter inculcatur. v. 23 « *Et factum est vespere et mane, dies quintus* ».

η. Sextae diei opus prius, Gen. 1,24-25.

v. 24 « *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo iumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita* ». הוצא *prodire faciat,* eadem vox quae v. 12 de plantis adhibebatur, quaeque productionis modum *ad oculum* depingit, non eius internam pandit rationem : cf. Ps. 103 (104), 14 « ut educas panem de terra », ubi tamen non de prima tantum, sed de productione frugum universim agitur, quae utique fit de terra, attamen ex seminibus. Eadem animalia 2,19 producta a Deo scribuntur de humo : audiebatur Dei verbum 1,24 produci jubens, cernebantur de humo, de terra argillosa (*Ps. Ion.*) et humida (cf. 2,6) prodeuntia. Ad Dei vocem oriuntur, merito igitur Dei quoque virtute effecta creduntur; at eorumdem de humo conspectus ortus nequaquam terrae virtute producta evincit, non terrae vim quasi maternam (*Del.*) in illis gignendis assignat, generationem aequivocam neque adstruit neque refutat. Exhibetur utique humus tamquam materia, unde sint animalia et plantae, cum ita locutio « formari de humo » 2,7 et 3,19 de homine accipiatur, neque ulla sit ratio eiusdem locutionis in eodem contextu repetitae diversum adstruere sensum; atque ita rem intellexere auctores inspirati posteriores, qui de animalibus « in pulverem suum », inquiunt, « revertentur » (Ps. 103,29), et « de terra facta sunt et in terram pariter revertuntur » (Eccle. 3,20).

Animalia autem producta cernebantur *secundum species suas,* quae eaedem intelliguntur, quae inde a creato homine exstiterunt : quippe rerum, quae sunt, non quae forte in aevis homine antiquioribus fuere, describitur origo. Hinc Deus *specierum* quoque auctor exhibetur, licet ratio, qua illas effecerit et distinxerit, non exprimatur. Dividuntur autem animalia in classes tres, quae, similiter ac quartae et quintae diei opera, non ex alia ratione quam ex mole hominumque usu distinguuntur.

Licet aliquando בהמה etiam *feras* designet (Deut. 28,26; 1 Reg. 17, 44; Is. 18,6), tamen generatim de *pecoribus* adhibetur seu animalibus domesticis (cf. Gen. 34,23; 36,6; 47,18; Num. 32,26), distinguiturque Lev. 1,2 in בקר et צאן, i. e. animalia gre-

galia maiora et minora; semper de pecoribus intelligitur, quando cum חיה copulatur, uti Gen. 1 et similiter 2,19 sq.; 7,14.21. Ergo minus recte hoc versu *LXX* τετράποδα, melius v. 25 etc. κτήνη. — רמש ex etymo designat animalia, quae *repunt*, atque hinc etiam de minoribus animalibus aquaticis adhibetur (Ps. 103,25 et cf. Gen. 1, 21). H. l. de solis terrestribus intelligitur, non tamen de iis solis, quae pedes habent aut breviusculos aut nullos (*Dillm.*), sed de iis quibusque, quae quadrupedes aliquantae molis non sunt (*Bochart.* Hieroz. lib. I cap. IV p. 23, Francof. ad M. 1675); inter quae numerantur mures, talpae, vermes, locustae, serpentes (cf. Lev. 11). — חית הארץ vel חית השדה sunt *ferae*. Hic pro consueta forma stat. const. habetur altera חיתו ארץ (non tamen in *Sam.*) quam archaismum declarant (cf. Ps. 49,10; 78, 2; 103,11. 20; Sophon. 2, 14; Is. 56, 9) h. l. ad maiestatem divino sermoni addendam adhibitum. v. 25 adhibetur forma consueta. — Vario ordine hae tres classes enumerantur Gen. 1,25 sq.; 7,14.21 aliisque locis, quin eius divergentiae specialem rationem assignari oporteat.

v. 25 « *Et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas, et iumenta, et omne reptile terrae in genere suo. Et vidit Deus, quod esset bonum* ». Creatum esse in singulis speciebus utrumque sexum inde concludas, quod ad perfectionem speciei etiam distinctio sexuum requiratur, et quod 2,19 homo, comparatione instituta cum animalibus, dicatur caruisse adiutorio simili sui.

θ. Sextae diei opus alterum. Gen. 1,26-30.

Arg. — Merito *Greg.* (cf. *Pater. M.* 79.687) : « Quamvis per coaeternum Patris Verbum cuncta creata sint, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel coelestibus sed tamen insensibilibus homo praeferatur ». Id autem primum inculcatur eo, quod in rerum productione, quae ab imperfectioribus ad perfectiora ascendit, hominis productio ultimo eoque potissimo loco narretur. Secundo eo, quod homo ab animalium « speciebus » exemptus iisque superior tractetur. Tertio eo, quod eius productio speciali divino consilio (« Faciamus ») adscribatur. Quarto eo, quod eidem divina adscribatur imago et similitudo. Quinto eo, quod ei praesidium super animalia et plantas conferatur. Sexto eo, quod creato homine Deus ab universo tandem opere quieverit. Adde ex sequenti pericope creationem animae a Deo immediate profectam.

v. 26 « *Et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ». « O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione praecedente, eodemque pacto coelum, quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest : ... solius ad hominis fabricationem creator ille universitatis rerum quadam cum consideratione accedit » (*Greg. Nyss.*). Antiqua est de plurali *faciamus* disputatio, ubi per se patet, subiectum intelligi aut solum Deum aut alium quemdam praeter Deum. Si hoc

alterum defendas, habes sententiam *Philon.* (De mundi opificio 24; De profug. 13) et *Ps. Ion.*, Deum hic loqui ad angelos, quam refutabat *Bas.* monens, non ad angelorum imaginem factum esse hominem. Insuper ei *faciamus* correspondet v. 27 *creavit Deus*, qua ratione secus in hexaemero descriptio mandato respondet. Ergo subiectum solus Deus. Ubi rursum duplex se offert pluralis explanatio : aut enim verba dicemus esse soliloquium Dei ad se ipsum, aut unius divinae personae ad aliam vel alias alloquium, vel accuratius omnium ad omnes, cum decretum creandi hominis omnibus tribus divinis personis sit commune. Id in controversiis de divinis personis maxime contra Arianos institutis non paucis visum est Patribus. Patrem loquentem ad Filium statuere *Barnab.* in epist. (*M.* 2.735.741), *Theophil. Antioch.* (ad Autol. II. 18; *M.* 6.1081). *Epiphan.* (Haer. 23; *M.* 41.304), *Cyr. Hieros.* (Catech. X. 6, XI. 23; *M.* 33.668.721), *Chrys.* (*M.* 53.72), *Ambr.* (Hex. *M.* 14.257). Accedunt *Conc. Antioch. I* anno 264 in epist. ad Paulum Samosat. (Labb. I. 1036) et *Conciliabulum Syrm.* n. 13 anno 357 (ib. III. 258) definiens : « Si quis hoc dictum *faciamus hominem* non Patrem ad Filium, sed Deum secum loqui affirmet, anathema sit ». Ceterum, cum hi auctores vix censeri queant voluisse S. Spiritum excludere, hinc eorum sententia recidit in alteram tenentium pluralem referri ad tres divinas personas : *Ephr.* (cf. ad Gen. 3,22), *Irenaeus* (Contra Haer. IV. 20, V. 1; *M.* 7.1032.1123), *Bas.* (*M.* 29.205), *Greg. Nyss.* (*M.* 44.140), *Cyr. Alex.* (Contra Iul.; *M.* 76.537), *Theodoret., Aug.*

Audi *Rup.* : « Magnum plane consilium in illo sapientiae consilio, in illo talium personarum, Patris et Filii et Spiritus S., non tam senatu quam soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quidquam, quae circa nos acta vel agenda sunt, illic defuisse? Plane ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra, quae futura erat, illic perspecta est et inde totum consilium habitum, ut unaquaeque persona suam operis partem susciperet, ut sc., sicut iam dictum est, tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus S. remissionem peccatorum et carnis resurrectionem perficeret, atque ita communi Trinitatis consilio reaedificarentur in homine deserta saeculorum, et fundamenta generationis et generationis suscitarentur ».

Alteram supra innuebamus opinionem, qua verba sint Dei soliloquium. Ubi nonnihil severius *Bas.* : « Quis faber ferrarius aut lignarius aut quis sutor, solus inter artis instrumenta sedens nulloque adiuvante, dicat ipse sibi : Faciamus gladium, aut aratrum coniungamus, aut conficiamus calceamentum? An non potius quod sibi convenit opus cum silentio absolvit? » Eiusmodi soliloquia et in vita communi et in scriptura occurrunt (cf. Gen. 6,7), neque plus admirationis facit Deus se ipsum ad creandum hominem exhortans, quam res intellectu caren-

tes, ut fierent, iubens : utrumque sc. factum est, ut rerum per Deum productionem intelligeret homo. Verum quod in hoc soliloquio difficultatem habet, est pluralis verbi : disputatur enim, adhibuerintne Hebraei *pluralem maiestatis*. Aliquod vestigium pluralis dignitatem rei exprimentis habes in nominibus quibusdam venerandae antiquitatis, quae, cum unam rem sanctam exprimant, nonnisi plurali numero construuntur : ita אלהים, quam vocem cum Hebraeis norant Aramaei et Arabes, ignorant Assyrii et Aethiopes (*Schrader* KAT), et תרפים (cf. Gen. 31,34; 1 Reg. 19,13.16). Iam si plurali nominis quandoque dignitas rei exprimatur, non est cur negemus, quandoque etiam plurali verbi et suffixorum, qui proprie dictus est pluralis maiestatis, expressisse dignitatem loquentis Hebraeos. Eiusmodi mos, inquies, nonnisi serius a Persis Graecisque invectus est : 1 Esdr. 4,18; 1 Mach. 10,19; 11,31; 15,9. Repono, eius nos exempla invocare posse nostrum textum, itemque Gen. 11,7; Is. 6,8; 41,22 et fortasse alios quosdam textus.

Quominus tamen cum *Knobel, Umbreit* (Theol. Studien u. Kritiken, 1839 I. 200), *Reinke* (Beiträge V. 77 sq.) pluralem maiestatis Gen. 1,26 adstruamus, prohibet alter textus 3,22 : « Ecce Adam quasi *unus ex nobis* factus est », qui ad pluralem maiestatis nequaquam revocari potest; quod sensere *Chald.*, *Symm.* מיניי interpretati non *ex nobis*, sed *ex ipso* (cf. *Field*), at minus feliciter. Verum, si 3,22 agnoscendum sit vestigium Trinitatis, nulla suppetit ratio eiusmodi non etiam 1,26 admittendi. Aliunde tamen illud Reinkio concedere debemus, tenuiora esse vestigia illa omnia, quam quae ad agnoscendam SS. Trinitatem manuducerent lectorem aevi mosaici, quod totum unice erat in unitate Dei affirmanda; certissime non erant adiutura ad agnoscendas *tres* in Deo personas, neque plures neque pauciores, multoque minus personarum inter se et ad naturam divinam relationem. Non ergo ad praeparandam apud lectores aevi mosaici SS. Trinitatis fidem illa vestigia a Deo provisa fuere. Sed meminerimus, hebraicam nostram Cosmogoniam non esse tandem aliud, nisi ipsam traditionem initiis temporum et diu ante Moysen hominibus divinitus concessam. Quibus temporibus distinctius Deus credi potest mysterium SS. Trinitatis revelasse. Cuius mysterii cognitio postmodum ex hominum memoria evanuit, remanentibus in creati atque prolapsi hominis, et fortasse item in destructae turris Babelicae narratione, pristinae fidei vestigiis quibusdam, quibus christiani in suspicionem adducerentur revelati primitus illius mysterii. Cf. etiam Rom. 15,4.

Hominem articulo caret, uti nomina v. 24 *iumenta etc.*; ergo non est nomen proprium *Adam* sed collectivum : unde v. 27 transitus fit a pronomine singulari *illum*, quod ab hoc nomine regitur, ad prono-

men plurale *eos*. — בצלמנו כדמותנו est hendiadys ad emphasim adhibita (*Corluy*) : *ad imaginem simillimam*.

Eae, quibus discutiendis auctores aliqui h. l. indulgent, derivationes nominis *Adam* (ab אדם ruber fuit, אדמה terra), e commentariis in lexica sunt amandandae. Nomen Adam scriptura protoparenti attribuit non ob aliam rationem, nisi quia אדם est appellatio generica hominis, et quia primus homo appellatione generica pro nomine proprio appellandus erat. Cf. alia primorum hominum nomina, quae item generica sunt : 2,23 Issah i. e. mulier; 3,21 Heva i. e. vita, mater; 4,1 Cain i. e. productio, proles; 4,2 Abel (*ass.* habal) i. e. filius; 4,25 Seth i. e. positus, germen; 4,26 Enos i. e. homo. Quibus nominum formis videmur revocari ad eam fere aetatem, qua variae gentes semiticae nondum ab invicem penitius essent separatae, saltem voce *habal* uterentur communi, quae apud solos postea Assyrios est praeservata. Hinc tandem patet, haec eadem nomina in lingua, qua protoparentes utebantur, potuisse esse significatione quidem eadem, at sono toto coelo diversa. — *Vulg. LXX Sam.* copulam inserunt : ad imaginem *et* similitudinem : ita reapse textus ne mutatis quidem consonantibus legi potest. Gen. 5,3 legimus בדמותו כצלמו, unde patet utrumque nomen indifferenter cum alterutra praepositione construi posse. Gen 1,27 dicitur homo creatus כצלמו, 5,1 בדמות (nota praepositionem); unde colligitur expressio complexa esse hendiadys. Praepositio ב etiam Ex. 25,40; 30,32.37 normam exprimit, *secundum* quam aliquid fit.

Licet *Epiphan.* (Haer. 70; *M.* 42. 341) statuat, ecclesiasticam traditionem omnes quidem homines ad imaginem Dei creatos esse defendere, in quo tamen ea imago consistat nullatenus definire, tamen antiquissimi iam Patres et scriptores ecclesiastici eius imaginis indolem indagati sunt. Ubi illud primum certo constat, eam in s. textu homini assignari imaginem, quae in inferioris ordinis creaturis, v. g. bestiis, nequaquam inveniatur; alterum, unicam hominem praedicari Dei imaginem in mundo visibili. Quare perperam *Diodor. Tars.* et *Theod. Mopsv.* (ap. Theodoret.) illos risui habent, qui ideo hominem ad Dei imaginem factum esse praetendant, quod intelligentia praeditus sit aut rebus aliis dominetur; nonne haec eadem, inquiunt, in angelis obtinent? nonne et ipsi dicendi erunt ad imaginem Dei esse creati? At peccat obiectio, cum de angelis textus Geneseos minime agat, eos ad Dei imaginem creatos esse neque affirmet neque neget. Imaginem autem divinam Patres modo in corpore hominis reperiunt, uti *Tert.* (de Resurr. carnis 6, et contra Prax. 12; *M.* 2. 802. 167 sq.), *Aug.* (de Gen. c. Manich. I. 17; *M.* 34. 186 sq.), modo in anima; et quidem vel in immortalitate eiusdem (*Aug.* de Trin. XII. 2; *M.* 42. 1038), vel in intelligentia (*Aug.* in Ps. 54; *M.* 36. 629), vel in libero arbitrio (*Macar.* Hom. 15.23; *M.* 34. 591), vel verius in intellectu et libertate simul sumptis (*Io. Damasc.* de Fide XI. 2; *M.* 94. 920; *Ambr.* Hex. VI. 8; *M.* 14. 259). Imo praestabit his omnibus simul sumptis cum *Greg. Nyss.* (*M.* 44. 136 sq.) superaddere hominis in res visi-

biles dominium; cui etiam consentit *Chrys.* (M. 53. 72. 78 et passim), licet is longius contra anthropomorphistas abripiatur imaginem divinam in solo illo dominio collocans. Ceterum dominium illud ad rationem imaginis spectare, clare docet apostolus 1 Cor. 11,6 sqq. Dicamus igitur cum *Petavio* (de sex dierum Opificio II. 4), qui hanc funditus tractavit quaestionem, Dei imaginem inveniri in toto homine; potissimum quidem in anima spirituali et immortali, intelligente atque libera virtutibusque, quae mores divinos imitentur, exornata; secundarie sed vere in corpore, tum ob eius habitum erectum Dei imitantem maiestatem, tum ob loquelam mentis et voluntatis interpretem, tum ob externos mores interiorum virtutum indices.

Quae omnia efficiunt imaginem *naturalem* Dei in homine. Homo vero, quod *factus est* ad imaginem Dei, eo ipso etiam *est* imago Dei, cf. 1 Cor. 11,7 : « Vir... imago et gloria Dei est ». Videndum autem, utrum Gen. 1,26 exprimatur praeterea imago Dei in homine *supernaturalis* per gratiam. Ubi non illud quaeritur, ditatusne sit Adam gratia sanctificante, quod est de fide; neque illud, aptene gratia dicatur homo formari ad Dei imaginem, quod patet cum per se tum ex 2 Cor. 3,18; Col. 3,10; sed id unice, cogamurne contextu Gen. 1,26 admittere, voce *ad imaginem* exprimi imaginem non naturalem tantum, sed supernaturalem. Quod videtur negandum. Etenim Hexaemeron est in explicanda origine mundi *visibilis,* imago autem illa supernaturalis sensus omnino fugit. Vi divinae imaginis, secundum quam homo creatus est, tribuitur eidem illico praesidium creaturarum inferiorum : verum hoc ei competit intuitu divinae imaginis naturalis. — Tandem, licet in vocibus *faciamus ad imaginem nostram* agnoscamus vestigium SS. Trinitatis, tamen non inde effici censemus, factum referri hominem ad imaginem non Dei solummodo, sed trium divinarum personarum : licet enim in quibusdam homo proprietates divinarum personarum imitetur, at non potest dici *esse* earumdem imago secundum ea, quibus distinguuntur, sed secundum ea, quae illis communia sunt, i. e. naturam divinam. Quo sensu etiam optime explicatur vox *nostram,* ut sc. eatenus una illa imago sit trium personarum communis, quatenus id exprimat, in quo illae conveniunt.

« *Et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae omnique reptili, quod movetur in terra* ». Reliqui *praesint,* quia vox *Adam* est nomen collectivum. Dicebantur v. 16. 18 luminaria praeesse (cf. quae ib. diximus), ibi tamen verbo משל, dum hic verbum רדה adhibetur, i. e. proprie *pedibus calcare,* cf. Ps. 8,8 sq. : « Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves etc. ». Praesidium utrobique pro subiecta materia explicandum est, hicque cf. Gen. 9,2 :

« Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae etc. »; et Eccli. 17,4 « Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium ». Homo praecst animalibus, quod iis ad suos fines libere utatur, quod dominium moribus humanis expressum illa terrore agnoscant. Copula *et* sane aliquem cum praecedentibus nexum exprimit, ut illud praesidium aut sit aliquid divinam imaginem mere consequens, aut sit ipsa integra imago, aut aliqua eiusdem pars : quem ultimum sensum esse praeferendum supra monuimus. Illud certe ea copula enuntiat, principatum super animantia uni inter visibilia homini competere vi divinae, quae ipsi naturaliter inest, imaginis : illius tantum est in mundo visibili praeesse, qui divinam reflectit imaginem.

Syr. contra omnes *et iumentis cunctisque bestiis terrae*, inserens vocem חית atque ita conformans enumerationem v. 26 enumerationibus v. 24. 25 et alibi. Haec lectio, utpote facilior, secundum regulas critices tanto magis est repudianda, quod vel ipse *Ephr.* Syrus eam ignoret. Fuit igitur correctoris cuiusdam manu in textum Syrum introducta et aliquando omnes, quantum novimus, textus hebraici ea voce caruere; non tamen primitus. Etenim sunt rationes, cur primitus et ante antiquissimas concinnatas versiones ea vox textui infuisse defendatur. Nulla penitus deprehenditur ratio enumerationis v. 26 diversae a v. 24 sq. scribendae, cum v. 26 illud utique pronuntiare intendat, eas omnes animalium classes homini subiici, quae v. 20-25 creatae narrabantur : cf. 9, 2 textum omnino parallelum, qui *bestias terrae* minime omittit; et alterum textum 1, 28, ubi hominis in *terram* imperium non sub eodem cum animalibus verbo רדה subsumitur, sed speciali verbo כבש exprimitur. Praeterea si textus reapse praeter animalium principatum dominium quoque *universae terrae* homini attribuebat, at nequaquam illud mediis animalium classibus interserebat, sed iis ad calcem adnectebat. Ergo non de *universa terra* primitus agebat textus, sed de *universis bestiis terrae*, vocemque חית antiquitus deperditam Syrus postmodum sapienti coniectura restituit. — Ceterum aliquod in v. 26 irrepsisse mendum, eo etiam fit probabilius, quod in v. 28 eidem affini varia apud varios menda deprehendantur. Quippe consentientibus ibi *Hebr. Vulg. Chald. Aq. Theod.*, legit החיה pro חיה *Sam.*, omittit כל *Symm.*, videtur pro חיה legisse רמש *LXX*. Et haec quidem minora. At praeterea addita videtur legisse *LXX* ובכל בהמה ובכל הארץ, *Syr.* vero solummodo ובבהמה. Illud ובכל הארץ utique ex corrupto v. 26 apud LXX huc delapsum est.

v. 27 « *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos* ». Ubi *Symm.* suam divinae imaginis interpretationem hac paraphrasi proponit : *Et creavit Deus hominem in imagine excellenti, rectum Deus creavit illum.* Auctor inspiratus consideratione dignitatis homini collatae in trium membrorum iubilum abripitur. Et primum quidem, quam verbo עשה expresserat, iam repetito verbo ברא tamquam immediate divinam exhibet productionem. Quam suffixis tantum (*nostram, suam*) divinam pronuntiaverat imaginem, eam adiecta voce *Dei* explicitius

scribit divinam, forma insuper orationis, quam chiasmum vocant, illustrat. Unico antea plurali וירדו indicatum individuorum numerum iam sexuum discrimine explicat atque ita simul viam sternit benedictioni « Crescite etc. ». Non ergo ideo h. l. illud discrimen commemorat, ut hominem sicut imagine Deo, ita sexibus bestiis assimilari doceat (*Greg. Nyss.*); quin etiam in sexuum differentia et consequente foecunditate aliqua cum aeterna numinis foecunditate affinitas consistit : sed ut beneficium v. 26 enuntiatum pluribus celebret. Clarius etiam, quam solo plurali וירדו, docemur sexuum in hominibus discrimen a primaeva Dei ordinatione ortum ducere (*Corluy*). Recte tandem ex hoc versu concluditur creationem mulieris, quae cap. 2 narratur, die sexto habuisse locum.

Contra nugas *Wellh.* cf. *Dillm.* — Pluralis אתם utique excludit errorem, creatum esse primitus unum individuum androgynum. Num vero זכר ונקבה ita cogimur interpretari, ut necessario praeter differentiam sexuum statuat, unicum par esse primitus creatum? Ita *Del.*, *Dillm.* At, licet unicum par esse creatum ex narratione sequenti indubie pateat, non id laudata h. l. expressione enuntiari crediderim, sed solam differentiam sexuum. Cf. 5, 1 : « Masculum et feminam creavit eos... et vocavit nomen eorum Adam »; ubi Adam est nomen *speciei* in duos sexus discretae, est etiam nomen unius individui, primi sc. viri, sed non est nomen *eorum*, si hac voce exprimi praetendas et primum virum et primam mulierem : primae quippe mulieris nomen proprium non fuit Adam.

v. 28 « *Benedixitque illis Deus et ait* » : — alii *et dixit illis Deus*, unde affirmat *Del.*, auctore uti v. 27 parallelismo indulgente, simplex לאמר (cf. v. 22) in longiorem formulam excrevisse : at merum לאמר etiam *LXX* legunt, unde incerta lectio — « *Crescite et multiplicamini et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram* ». Non replere terram solummodo iubetur homo, sed eandem subiicere totamque in suos usus convertere. Animalia eo ordine, quo creata sunt, recensentur : pisces, volatilia, animalia terrestria; benedictio vi verborum soli utique homini confertur, merito tamen censet *Proc.* animalia sexta die creata ita venire in partem benedictionis, uti v. 22 animalia quinta die creata benedictionem nanciscebantur.

v. 29 « *Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam* », v. 30 « *et cunctis animantibus terrae* », quo nomine חית h. l. etiam בהמה includi censenda sunt, « *omnique volucri coeli et universis, quae moventur in* » — reliqui addunt *universa* — « *terra et in quibus est anima vivens* », dedi *omnem herbam viridem*, — quae verba omnes praeter Vulg. habent,

sola *LXX* erronee praefigente copulam — « *ut habeant ad vescendum* ». Explicata v. 28 mutua hominis ad bestias relatione, v. 29 sq. quorsum ad has et ad illum plantae spectent explicatur : assignantur autem eae in escam, adscripta extremo utroque versu eadem voce לאכלה. Et homini quidem assignantur v. 29 eaedem duae plantarum classes, quas v. 11 sq. distinguebant, fruges et fructus; animalium esca ea utique voce עשב exprimitur, qua v. 11 sq. item exprimebatur; dum vero ibi et v. 29 eae *herbae* describebantur *afferentes semen*, hic legimus *viror herbae*, ut earumdem plantarum homini potius grana et fructus, animalibus herbae et folia cibus attribuantur. Hinc cum *Cai.* perspicies, auctorem s. tantummodo « describere provisionem communem », i. e. plantarum ad animantia rationem generalissime spectatam. Non ciborum leges fert, quales postea in V. T. sancitae fuere : sane granis et fructibus animalia quoque, puta aves, vescuntur; neque homo herba viridi, cuiusmodi sunt non pauca legumina, abstinet; animalia carnivora ante peccatum carnibus abstinuisse, gratuito aliqui (*Rup.*, *Proc.* etc.) et absurde affirmavere; homo esu carnium nostro textu nequaquam interdicitur, neque omnis eius cibus enumeratur, cum inter alia mel et lac desiderentur, quibus sane hominibus uti licuit. Non ciborum leges fert auctor, sed creatorum ordinem absolvit; qui in eo est, ut homini subsint bruta, animantibus plantae, homini frumenta potius fructusque, animalibus herbae et folia cibus attribuantur. Facile utique assentimur *Lap.* statuenti, « homines usque ad diluvium (?) in cibo ita frugales fuisse, ut herbis et fructibus vescerentur, carnibus vero aeque ac vino abstinerent; idque non ob aliquod Dei praeceptum, sed ob religionem quamdam inde natam, quod necdum Deus carnium et vini usum expresse et diserte concessisset ».

Praeteritum נתתי etiam secus 9, 13; 15, 18; 23, 11. 13; 41, 41 de decreto irrevocabiliter sancito scribitur; quod verbum v. 30 supplendum quidem est, non vero (*Dillm.*) excidit. — Expressio עץ אשר בו פרי עץ זרע זרע potest quidem cum *Cai.* ita dividi : « omne lignum, cuius in ipso fructus, lignum seminificans semen ». Tamen versiones omnes alterum עץ ad priora trahunt, suadetque idipsum parallelismus cum v. 11 sq. Enimvero, ei quod ibi legitur עשה פרי, respondet h. l. זרע זרע; verbis אשר זרעו בו respondet h. l. אשר בו פרי עץ; sicuti ibi, ita h. l. unica et indivisa habetur expressio. Ubi rursum quaeritur, quomodo construatur זרע זרע; quod *Aq.* iungit primo, *Symm. Theod.* alteri עץ, *LXX* voci פרי. Hoc ultimum praeferendum, quod etiam v. 11 sq. *fructus* describatur habere semen in se. Verte igitur : arbor, in qua est fructus arboris semen progignens. — Ubi v. 30 *Hebr. Aq. Symm.* legunt רומש vel רמש, ibi *Sam.* habet הרמש et *LXX* רמש הרמש (cf. v. 26); quae lectio LXX hinc tanto probabilior redditur, quod reliquae versiones articulum ה minime excludant.

« *Et factum est ita* ». Verba non referuntur ad solum v. 30 (*Del.*,

Dillm.), quasi affirmetur, profecto nulla primitus exstitisse animalia carnivora, neque ad solum v. 26, secus enim post illum scribenda erant, sed ad totum alterum sextae diei opus, quo creatus homo brutisque antepositus plantaeque in cibum assignatae narrantur. Singulorum naturae huic divino consilio adamussim adaptabantur. V. 31 « *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et* » *ecce* « *erant valde bona* ». Laudatio haec proxime utique alterum sextae diei opus respicit, cum ante verba « Et factum est etc. dies sextus » inseratur, neque excluso homine mundus visibilis dici possit valde bonus. Sed laudationem non solum illud opus respicere, docent verba *cuncta, quae fecerat.* Quomodo fit, quae seorsim spectata dicebantur *bona,* ea simul considerata praedicari *valde bona?* « Si singula opera Dei, cum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines in suo quaeque genere constituta, quanto magis omnia simul, i. e. ipsa universitas, quae istis singulis in unum collectis impletur » (*Aug.*)! Aliam praeterea responsionem suggerit *Bonfr.* : « Necdum creato homine, propter quem cetera, et necdum ultima manu addita universo, neque mundus neque quidquam ceterorum poterat dici undequaque perfectum ». Secundum haec et homo propter naturae excellentiam, divinam sc. imaginem, dicitur valde bonus, quem altiorem bonitatis gradum reliqua, homini subordinata atque ita eius bonitatis affinia effecta, participant. Pulchre etiam *Cai.* : « Apponitur adverbium *ecce* ad demonstrandum non futuram, non exspectandam, sed praesentem haberi bonitatem summam ipsius universi. Et significatur per hoc, quod universum est ita bonum, quod nihil ei deficit, quod nihil habet superflui, quod nullam desiderat additionem ». Bene tandem *Vulg.* vertit non *optima,* sed *valde bona* : perfectum sc. est universum hoc in suo gradu et ordine; Cosmogonia, quae de aliis, quae fortasse creata erant universis silet, multo minus censeri potest affirmare, hoc nostrum universum omnium, quae fieri potuerint, esse perfectissimum. — « *Et factum est vespere et mane, dies sextus* ». Notabat iam *Malv.,* hoc tandem numerale articulum habere (cf. quae diximus ad v. 5), ut sexto die seriem concludi significetur. Quo confirmatur, quod aliunde evidens est, Hexaemeron suam habere structuram, a qua septimus dies excludatur : quodsi enim auctor continuo veluti calamo septem dierum acta describere voluisset, articulum non sexto, sed soli septimo diei praefixisset, quo solo die septiduum concludebatur; at ipsi primo loco non septiduum, sed hexaemeron describere in animo erat.

3. *Opus completionis.* Gen. 2,1-3.

Arg. — Hexaemero absoluto neque Hexaemeri iam structurae adstringitur oratio; non consecratis formulis mandatum, impletionem, laudationem exprimit, non diem vespera et mane distinguit, sed latiori alveo fluit faciliorique sermone. v. 1 Hexaemeri opera resumit, v. 2 eorumdem auctorem et durationem repetit, v. 2 sq. septimam diem sanctificatam narrat.

Cap. II. v. 1 « *Igitur perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum* ». Pro צבא scribunt *Chald. Syr.* חיל, ergo *exercitus;* et Cosmogonia cuneiformis loco nostrae expressionis habet « kissat samê u irsiti », i. e. « exercitus coeli et terrae » (cf. *Schrader* KAT I. 10). Iam *exercitus coeli* modo (Ios. 5,14; 3 Reg. 22,19 etc.; cf. appellationem « Dominus exercituum », quaeque de ea diximus ad 1 Reg. 1,3) audiunt angeli, modo stellae (Deut. 4,19; 17,3; 4 Reg. 17,16; 21,3.5; Is. 40,26; Ier. 8, 2; 33,22; Dan. 8,10), h. l. sane solae stellae, cum versus Cosmogoniam resumat, in qua de angelis non agebatur. Hinc colligere est, quid nomine *exercitus terrae* veniat : animalia, homo; vix plantae, quod aliquid plane immobile exercitui apud Hebraeos adnumerari haud consueverit. Ceterum expressio *exercitus terrae* secus in scriptura non occurrit, sed hic per zeugma exercitui coeli copulatur exercitus terrae. v. 2 « *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat* ». ויכל necessario eundem sensum habeat oportet, atque v. 1 ויכלו : ergo cum ibi vertendum sit *completi sunt,* non licet h. l. vertere *finem fecit* (cf. Ex. 40,33; 1 Reg. 10,13; 2 Reg. 6,18), sed *complevit;* et cum coeli et terra cum suo ornatu completi sint *die sexto,* ergo eodem etiam die complevit eosdem Deus.

Hebr. Vulg. Chald. שביעי, *septimo; LXX Sam. Syr.* ששי, *sexto,* consentitque *Ios.* non obscure : aequa sane testium divisio. Attamen lectioni *sexto* illud favet, constare v. 2 duobus membris inter se simillimis :

ויכל אלהים ביום השביעי (?) מלאכתו אשר עשה
וישבת ביום השביעי מכל מלאכתו אשר עשה

quibus illico v. 3 accedit tertium initio illis non absimile :

ויברך אלהים את יום השביעי.

Quodsi iam supponas primitus tribus membris infuisse השביעי, difficilius explicatur error scribae ab hac concordia ad הששי deflectentis; si supponas primo membro primitus scriptum fuisse הששי, scribam inadvertenter hanc vocem duobus sequentibus השביעי assimilasse, quis miretur? Unde lectionem הששי cum *Houb.* critice probabiliorem censemus. Quam confirmant alia. Completio v. 2 sane eadem est atque completio v. 1, quae die sexto absoluta est, non in septimum producta. Hinc neque licet cum *Keil* affirmare, Deum v. 2 eo complevisse opus, quod iam ab opere cessaverit diemque septimum sanctificaverit, cum ob idem v. 1 et 2 adhibitum verbum

eadem utrobique completio intelligatur oporteat. Neque iuvat ויכל vertere plusquamperfecto, quo tum exprimendum erit etiam ויכלו evadetque mire languida constructio; praeterea, sive perfecto vertas sive plusquamperfecto, manet eadem difficultas opus dici ad completionem esse perductum eo ipso septimo die, quo Deus ab omni opere cessasse scribatur : verum, qui opus complet atque ad perfectionem perducit, nonne is actu *operatur* = לעשות v. 3?

« *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat* », non quasi lassus fuerit, sed requievit « a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova » (*Aug.*); v. 3 « *et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret* ». Benedixerat animantibus eis conferens foecunditatem : benedixit diei septimo ei conferens sanctitatem. Quae sanctitas primum in eo consistebat, ut illum Deus a reliquis diebus segregaret, sacrum faceret. Verum in auribus lectoris Hebraei plus aliquid ea sanctificandi vox necessario sonabat, ut sc. Deus diem septimum ab omni opere servili exemptum speciali ratione suo cultui attribuerit. Triplici autem ratione id a Deo factum esse concipi potest. Primum, ut nullo modo sanctificaverit Deus sabbatum a primordiis mundi, sed solum postea sub Moyse apud Hebraeos. Quod videtur sensisse *Io. Dam.* (de fide orth. IV. 23; *M.* 94.1201) : « quando lex non erat », inquiens, « neque scriptura divinitus inspirata, ne sabbatum quidem Deo consecratum erat ». Et certe sentiebat *Tost.*, defendens v. 3 referri ad tempus non creati mundi, sed legis Moysi datae. Secundum quam sententiam oportebit fere adstruere, Gen. 2.3 a Moyse antiquiori traditioni esse adiectum, narrari factum pluribus interiectis sacculis a mundi primordiis separatum : Requievit Deus die septimo et diu post, intuitu huius requiei, sanctificavit diem septimum. Quae interpretatio minus quidem est obvia, non tamen absurda; ruit autem, ubi primum vestigium aliquod detexeris diei septimi ante Moysen sacri habiti. Altero modo textum poteris interpretari, ut Deus initio mundi legem tulerit omnesque homines adstrinxerit, ut septimum quemque diem sacrum observarent. Ita *Catharinus*, *Ribera*, *Lap.* aliique. Tertio modo dices, Deum primitus legem quidem de sabbato observando non dedisse, at suae quietis exemplo hominibus septimi diei requiem et cultum suggessisse, similiter atque carnis abstinentiam non praescripserit quidem, at solis plantis in cibum assignatis commendaverit. Cf. *Bonfr.* : « Si quis tamen sine lege a Deo lata, per Dei tamen inspirationem velit etiam initio post exsilium a paradiso, in commemorationem illius divinae cessationis ab opere, servatum fuisse sabbatum, quod postea iam consuetudine antiquatum Deus lege firmaverit, non admodum repugnabo ». Cf. *Malv.* Haec sententia ceteris facilius cum fac-

tis historicis concordat; neque ab ea dissonant auctores ii, qui legem sabbati a Moyse primo latam esse contendunt, quo non excluditur, sabbatum ante Moysen a pluribus sine lege esse observatum.

Difficile secundum grammaticam explicatur לעשית, *faciendo*. Ubi nota, verbis ברא et עשה in ea sententia eas tribuendas esse significationes, quas tota induunt Cosmogonia. In qua cum promiscue usu veniant, non est h. l. urgenda in altero creandi significatio : quod creavit Deus primum ex nihilo, ut postea evolveret, ornaret (*Rabbini*). Neque cum *Kn.*, *Keil* vertendum « quod creavit laborando », ut labor opponatur quieti : nam עשה tota Cosmogonia sensu adhibetur non intransitivo laborandi, sed transitivo faciendi. Dicunt *Dillm.*, *Del.* מלאכה secus construi non cum ברא, sed cum עשה : unde, cum auctor primum adscripserit ברא, ad sensum elucidandum adiecit לעשית. Verum non ita multis scripturae textibus adhibetur מלאכה, ut inferre fas sit non posse construi cum ברא. Planius fortasse affirmabimus, auctorem inspiratum aliquo usum esse pleonasmo. Neque negligenda lectio *LXX* ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι, ergo אשר ברא אלהים ראשית vel בראשית. Sane antiquis caracteribus sat similia erant לעשית et ראשית et מ initiale facile potuit excidere, voce praecedente in eandem literam desinente.

GENERATIONES CŒLI ET TERRAE

GEN. 2,4-4,26

CAPUT UNICUM.

GENERATIONUM COELI ET TERRAE COMMENTARIUS.

Post *titulum* 2,4 recentiori, quod ostendemus, calamo adiectum narratio in tres partes sponte discernitur, quarum media et principalior est *historia lapsus* Cap. 3. Ea 2,4-25 *praeparatur* suppletis quibusdam, quae ad eam historiam intelligendam erant scitu necessaria, ad creationem pertinebant, in Cosmogonia vero ob eius peculiarem structuram enarrari haud potuerant. Eadem Cap. 4 *continuatur* narratis primis seminis 3,15 promissi vicissitudinibus.

Ad historiam lapsus intelligendam *supplenda* erant potissimum haec : sexuum distincta creatio et officia, paradisus, Dei prohibitio. Igitur 2,5-7 creatio hominis 1,27 summatim relata distinctius explicatur, narrata seorsim et corporis primi viri et animae productione, quo et divinae imaginis ratio et sententia post peccatum ferenda (« pulvis es etc. ») penitius perspiciantur. v. 8 sq. tertiae diei opus alterum completur descripta paradisi pulchritudine et arboribus. Neque minus ad tentationem intelligendam sciri oportebat Dei v. 16 sq. mandatum. Procedit narrator ad demonstrandam primae mulieris productionem intimamque cum viro respectu cum originis tum coniugalis vinculi unionem ; concluditque v. 25 indicata primi status innocentia, peccato 3,7 amittenda. Ex dictis colligas, 2,4-25 non solum esse Cosmogoniae supplementum, sed multo verius sequentis narrationis *praeparationem*.

Huic vero narrationi, quam patet non aliunde, quam e traditione ab ipsis protoparentibus profecta derivari, post diluvium, quo tempore periculum erat, ne paradisi situs ex hominum memoria dilaberetur, inserta est v. 10-14 *paradisi situs descriptio*. Serius insertam prodit sutura, si ita loqui fas est, quae comparanti v. 8 et 15 fit evidens : sc. v. 15 illud ipsum repetit, quod iam v. 8 affirmaverat, quod vero interiectis v. 10-14 utiliter repetebatur. Post diluvium insertam produnt nomina Hevilath, Chus, Assur.

Ordo igitur, quo altera sextae diei parte res aut visae aut actae sunt, fere hic est.

Post divina 1, 26 verba « Faciamus hominem etc. » conspiciebatur ab Adamo in visione constituto corpus humanum Dei manu e limo formari; divino dein recepto afflatu, e visionis « sopore » (cf. 2, 21) evigilavit vitamque auspicatus est. In paradisum v. 8. 15 introducitur Deique v. 16 sq. edocetur mandatum. Productis v. 19 sq. animalibus nomina imponit atque ita dominium a Deo sibi 1, 26 collatum actu exercet. In visionem 2, 21 relapsus cernit formatam mulierem. Quibus ambobus Deus 1, 28 sqq. benedictionem impertitur. — Patet haec, licet sexta hexaemeri die visa vel acta sint, non potuisse omnia Cosmogoniae biblicae inseri, quippe quae presse omnino fixo schemati adhaereat, neque plura uno vel ad summum duobus operibus singulis diebus commemoret.

Historia lapsus Cap. 3 ita traditur, ut v. 1-7 *peccatum* narretur, ubi clausula v. 7 correspondet alteri clausulae 2,25, dein v. 8-24 Dei in peccatores *iudicium*, quod terminatur illis e paradiso eiectis.

Eodem ordine Cap. 4 narrationem *continuat*, ut primum v. 1-8 Caini *peccatum*, inde v. 9-16 latum in illum a Deo *iudicium* referat, tandemque eum e regione Eden v. 16 eiectum commemoret. Facillimus haberetur nexus, si hinc narratio immediate ad v. 25 sq. transsiliret referretque natum in Abelis locum successurum Seth. Verum interiicitur v. 17-24 *genealogia Cainitarum*, quae tota quanta praeparat narrandum 6, 1-8 alteram seminis electi stragem, efficiendam Sethitarum cum Cainitis coniugiis.

Quodsi igitur totam hanc narrationem 2,5-4,26 et 6,1-8, primitus, quod in Introductione suggessimus, ab ipso potissimum protoparente profectam ac stilo eius stilum imitante ab alio completam unico obtutu contempleris, insignem in ea deprehendes unitatem et partium harmoniam. 2,4-25 historiam lapsus praeparat, Cap. 3 eandem tradit una cum promissione *seminis* a Deo facta. Hinc iam in seminis vicissitudinibus tota est narratio, quae fluctuum instar modo altissime demittuntur, modo in sublime assurgunt. Natum primogenitum ea, cui semen praemonstratum fuerat, tripudians nomine appellat mater : « Possedi hominem per Deum ». Mox florent agri, augentur greges, exsurgit urbs. Verum laetitiam consequitur funus, Cain fratricida in exsilium eiectus parens fit stirpis durae atque scelestae. Haec prima serpentis de semine relata victoria. Interim altera nascitur spes, quam laetabunda rursus salutat mater : « Posuit mihi Deus semen aliud etc. ». At genus sanctum semini commixtum exsecrato prolem edit giganteam, profligatam, impiam, quam communi ruina exstirpare decernit Deus. En alteram serpentis victoriam. Tamen vel tum 6,8 seminis promissi aliqua relinquitur spes.

1. *Hominis in paradiso conditio.* Gen. 2,4-25.

A. Adami formatio. Gen. 2,4-7.

v. 4 « *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus coelum et terram* ». De sensu expressionis אלה תולדות in Introd. diximus. — בהבראם *in creari ea, in conditione eorum;* quae verba cum nequeant explicari « quando creabantur », quod תולדות non creationem exprimat sed creatione posteriorem historiam, explicanda erunt « quando i. e. postquam creata sunt ». — *Hebr. Chald.* extremo versu habent *terram et coelum,* cf. Ps. 148,14 (13); cum autem *Vulg. LXX Sam. Syr.* legant *coelum et terram,* nihil ex verborum ordine inferre fas est.

Verum illud iam quaeritur, sitne v. 4 *inscriptio* sequentium, quod parascharum et *Sam.* suadet distinctio sentiuntque cum *Ephr.,* quotquot antiquorum eam attigere quaestionem, an praecedentium *subscriptio* seu clausula, quod post *Raschi* defendere recentiorum aliqui. Quos nunquam affirmat *Keil* in eam opinionem deventuros fuisse, nisi obfuscatas habuissent praeconceptis de compositione Geneseos opinionibus mentes. Igitur sententiae antiquioris argumentum illud est, formulam אלה תולדות in Genesi constanter pro inscriptione adhiberi, ubi novum narrationis caput ordiatur : cf. 5,1; 6,9; 10,1; 11,10.27; 25,12.19; 36,1.9; 37,1.2. Quibus locis omnibus Hebr. paraschas aut parascharum sectiones distinguit, uno excepto loco 11,27, ubi ipse ante v. 26 ס scribit, cum tamen v. 26 indubie ad praecedentia spectet. Ergo etiam h. l. eadem formula narrationis non finem sed initium demonstrat. Quod argumentum eiusmodi est, quod solidis convellatur rationibus oportet, quas non proferunt auctores ii, qui v. 4 subscriptionem praecedentium esse contendunt.

Facile concedimus *Del.*, vocem אלה haud raro antecedentia, non vero sequentia spectare : at non de sola ea voce agitur, sed de formula אלה תולדות. Quod autem dicit idem auctor, ita simplicem esse narrationis 2, 5 sqq. stilum, cui repugnet Adami fata concipere tamquam mundi (coeli et terrae) hexaemero conditi historiam, in Introd. explicabamus, titulum hunc non cum ipsa narratione esse natum sed ad instar aliorum titulorum a Genesis redactore esse effictum, idque minus commode. Neque cum tamen cum *Dillm.* plane ineptum pronuntiamus. Cum cap. 1 homo exhibeatur coeli et terrae, i. e. orbis adspectabilis creatura princeps, cur non historia hominis historia coeli et terrae titulo inscribatur ? Maxime, cum alias etiam historia incolarum regionis alicuius nomine veniat historiae regionis, ut cum acta Graecorum historiam Graeciae appellamus. Praeterea Rom. 8, 19 sqq. totus orbis describitur lapsu Adami infectus : spectat ergo is lapsus revera ad historiam coeli et terrae.

Kn., *Dillm.*, *Kuenen* I. 309 aliique formulam אלה תולדות concedunt nunc esse pro inscriptione, at primitus fuisse praefixam Cosmogoniae, inde ad eiusdem calcem esse translatam, quo haec evidentius a sequenti narratione distingueretur. Argumentum fere illud est, nos Cosmogonia plura quam Gen. 2, 5 sqq. de Generationibus coeli et terrae edoceri. Quod etsi esset verum, non tamen id, quod illi volunt auctores, efficeret : sufficit inscriptionem eo, quo nunc legitur, loco non esse ineptam, licet alio fortasse loco futura fuisset aptior.

Kn., *Dillm.* v. 4 in duas partes dispescunt et ab altera novam ordiuntur sententiam, trahentes verba ad v. 5 : « In die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram, omne virgultum nondum etc. ».

Aiunt, in illis verbis iam observari usum loquendi sequentis 2, 5-4, 26 narrationis : עשית pro ברא, יהוה אלהים pro solo אלהים, ארץ ושמים pro השמים והארץ. Quoad prius, praeter 2, 3, ubi lectio non est plane certa, cf. 1, 21. 25, ubi de animalium productione semel scribitur ברא, semel עשה : ergo עשה non est sequentis narrationis exclusive proprium. Quoad alterum, divinorum nominum diversitas v. 4b utique discernit a Cosmogonia, sed nequaquam a v. 4a, ubi nullum legitur nomen divinum. Quoad tertium, modo monebamus lectionem esse incertam. Ceterum rationes hae omnes nituntur illorum auctorum erronea opinione, priorem v. 4 partem ad Cosmogoniam trahi oportere. Quae opinio non necessario iis est defendenda, qui alteram a priore v. 4 separant parte.

Quam certe non defendit *Lamy*, priorem v. 4 partem uti nos pro titulo accipiens sequentium. Atque ita v. 4 bifariam diviso tollitur primum pleonasmus ille, qui secus habetur cum voce praecedente בהבראם : quorsum enim expressio minime obscura *quando creata sunt* explicetur altera expressione *in die, quo fecit etc.?* A qua si novam ordiaris sententiam, analogiam habes cum 5,1 : « Hic est liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum ». Qui locus etiam egregie confirmat, expressionem *in die, quo* non sumi hic de determinato aliquo die, sed generaliori acceptione *quando*. Dices, si altera v. 4 pars iungatur v. 5, initio huius versus abundare ו. Sed non ab eiusmodi constructione abhorrent Hebraei, poteris v. 5 sq. concipere ut parenthesin, ita ut verbis *In die, quo etc.* respondeat apodosis v. 7 *Formavit etc. Vulg. LXX* etiam iungunt v. 4 cum v. 5, sed ob perperam intellectam vocem טרם aliter construunt.

v. 5 « *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret* ». Vocem טרם cum *Syr.* verte *nondum*, loco *antequam*, in quod conspiravere *Vulg. LXX Chald.*; et cf. Ex. 9,30; 10,7; 12,34; 1 Reg. 3,3. — שיח non est tantum χλωρόν *viride*, sed *virgultum*, i. e. *arbustum* aut etiam *arbor* (*Chald. Syr.*, et cf. Gen. 21,15; Iob 30,4). Habemus igitur rursum easdem plantarum classes עשב et עץ, quae 1,11 sq. recensebantur. Utrumque nomen additam

habet vocem השדה, quae designat *regionem apertam*, prout opponitur urbi aut castris (cf. Gen. 24,63 ; 29,2 etc.), ubi degunt etiam ferae (2,20), non vero necessario regionem *cultam* (*Malv., Keil*), ut opponitur silvae etc. Quare recte altero loco *Vulg.* vertebat *in terra :* re quippe idem h. l. est שדה atque ארץ. Parallelismo docemur idem esse יהיה quod יצמח, ergo : nondum *erat* visibile super terram, nondum apparuerat, creverat; recte *Vulg. oriretur... germinaret.* Hinc v. 5 utique nos revocat ad tempus vespera tertiae hexaemeri diei anterius, qua iam *protulerat* (1,12) terra omne plantarum genus.

Putavit *Motais* (Moïse, la science et l'exégèse, p. 126 sqq.) כל טרם induere sensum « omne nondum », non vero « nullum adhuc », ut textu edoceamur, nondum omnes germinasse plantas, sed quasdam tantum. Est ea de numero earum argutiarum exegeticarum, in quas nemo unquam incidisset, nisi componendae fuissent difficultates ex hexaemero subortae. Igitur demonstrat *Ges.*, כל adnexam habens particulam negativam et sequente articulo carens significare « nullus », non vero « non omnis ». Exempla quidem affert ea sola, quae particulam negativam habeant לא vel אין : verum ut pro particula negativa טרם alius adstruatur usus grammaticus, non mera sufficit coniectura, sed requiruntur exempla, quae non proferuntur in medium.

« *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram* ». Bene iam explicabat *Ephr.* demonstrari h. l. rationem, ob quam tum nondum apparuissent plantae, quae sc. nonnisi ex humefacto oriantur solo. Humor autem agris inducitur sive pluvia sive hominis opera, qui canalibus ductis sitientia arva irrigat. Sapienter igitur monet *Kn.*, terram tum reapse fuisse « aridam » 1,9. At quomodo inquies, potuit esse arida, quae nonnisi paucis ante horis ex aquis emerserat? Memento, haec omnia Adamo ostensa esse in visione : tam perfecte igitur ea visione terrae ab aquis separationem effectam conspexit Adam. ut media circiter tertia die viderit terram omnino aridam producendisque germinibus, nisi pluvia aut ros concederetur, imparem. Disce hinc, quam complete in ea visione singula suis diebus opera perfecta sit intuitus Adam. Num ergo idem nobis innuere vult, semina plantarum ab initio terrae fuisse divinitus inserta, tertia autem tandem die in lucem prodiisse? Nihil eiusmodi innuit, sed res, quales in visione conspexerat, describit. In qua audivit primum divina verba « Germinet terra etc. », postea 2,6 nebula ascendente conspexit irrigatam terram atque ex ea ita irrigata ascendentes plantas. Quia igitur ortui plantarum adhibitam conspexit irrigationem, quae etiamnum ad eundem requiritur, dixit ante ortas non esse plantas, quod ea irrigatio sive natura sive humana industria effecta defuerit. Non dixit, praeter irrigationem nihil tum defuisse : deerat certe divinum manda-

tum « Germinet terra etc. ». v. 6 « *Sed fons* » — verius vertit *Chald. nebula*, et cf. Iob. 36,27 — « *ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae* ». Procedit oratio : postquam didicimus, deficiente irrigatione non fuisse plantas, iam exhibetur terra ope illius nebulae irrigata plantisque producendis idonea effecta. Vertes igitur distinctius : Porro ascendit nebula etc.

Ex contextu cum v. 5 necessario v. 6 supplendum est, irrigata tandem superficie terrae natas esse plantas. Verum auctor id h. l. non exprimit, quod non sibi sit in animo eventus ex ordine recensere, quod fecerat Cosmogonia, sed hominis creationem enucleatius referre. Ex quo silentio apte inferes, quod per se quidem satis evidens est, Gen. 2 tandem uti Gen. 1 haustum esse ex traditione ab ipso Adamo derivata; narrator non voluit altera narratione totam cosmogoniam exprimere, sed quaedam Gen. 1 sapienter omissa certa ex ratione h. l. supplere. Igitur irrigatam in visione Deus exhibuit terram proxime ideo, ut ex madefacta humo plantae nascerentur; praeterea ideo, ut non ex arido pulvere, sed ex molli humo formarentur die quinta avium (2,19), die sexta animalium terrestrium (ib.) ipsiusque hominis (2,7) corpora. Auctor autem nostrae pericopae de plantis productis v. 6 silet statimque transit ad hominis formationem; dein v. 3 sq. de prima hominis sede paradiso dicturus, aliqua de arboribus supplet alterum tertiae diei opus spectantia; rursum v. 19 animalia coram Adamo producturus brevi formula eorum ante effectam formationem recolit. Est is narrandi modus Hebraeis usitatissimus, perperamque recentiores aliqui sibi visi sunt Gen. 2 deprehendere nescio quas cum Gen. 1 contradictiones.

v. 7 « *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae* », אפר מן האדמה, *pulverem de terra*, quem possumus interpretari accusativum materiae cum *Vulg.* et etiam cum *LXX*, si tamen genuina sit vox χοός, quam plures habent codices. Vel possumus cum *Aq. Symm. Theod.* interpretari appositionem, qua graphice homo pulvis vocetur, quem 3,19 appellet Deus « pulvis es ».

Hoc alterum praetulerim. Aliis quippe textibus dicitur homo « pulvis *esse* » 3,19; 18,27; Ps. 29 (30), 10; 102 (103), 14; Eccle. 12,7 — aut « in pulverem *reverti* » 3,19; Ps. 103 (104), 29; Iob 10,9; 34,15; Eccle. 3,20 — at non dicitur « de pulvere *factus esse* », nisi solo textu Eccle. 3,20 (cf. Iob 33,6) : « de terra (אפר) facta sunt et in terram (אפר) pariter revertuntur », ubi vox אפר primo loco adhibita eo facile explicatur, quod eadem illico altero loco prostet et dictio sit poetica. Ceterum ad communem veluti loquendi usum revertitur Eccle. 12,7 : « et revertatur pulvis in terram » (ארץ; cf Gen. 3,24 « terram, de qua sumptus est ») « suam, unde erat ». Ergo etiam Gen. 2,7 malim אפר appositionem interpretari, ut dicatur homo pulvis esse, non vero tantum de pulvere sumptus esse.

Assonantiam vocum אדם et אדמה etiam expressere *Symm. Theod.* : Ἀδὰμ χοῦν ἀπὸ τῆς ἀδαμά (cf. Sap. 7,1). Cuius sufficiens omnino ratio cernitur in humani corporis natura materiali et re Gen. 2,7 narrata, quin necesse sit in radicis אדם significationem primitivam inquirere, de qua plura minimeque consona doctorum placita vide apud *Dillm.* Dicitur ergo homo *pulvis de terra,* quo corporis enuntiatur *materialitas* atque cum brutis, quae v. 19 etiam *de terra* formata dicuntur, affinitas. Dicitur *pulvis,* quo eius distinctius effertur naturalis *mortalitas :* fuisset autem homo natura mortalis, etiamsi Dei beneficio a morte mansisset exemptus; fuisset pulvis, etiamsi non fuisset ei in pulverem revertendum. Apte profecto monet *Chrys.*, dum Gen. 1 hominem exhibeat ad imaginem Dei factum et principatu reliquarum creaturarum honoratum, hunc textum multiplex suppetere humilitatis argumentum, ne superbiat homo, ne daemonis credat suggestioni divinam nescio quam excellentiam promittentis. Eadem vox *pulvis* videtur insuper respicere futurum hominis lapsum et poenam, qua in pulverem reverti iubendus sit pulvis, licebitque cum *Severiano* affirmare, suggeri hoc textu aliquam futurae resurrectionis spem aut eius certe innui possibilitatem : qui sc. limum ad vitam efformavit primum, potest eundem in pulverem resolutum revocare ad vitam.

« *Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* »; ea inspiratione factus est homo *animal, vivens;* hunc quippe sensum expressioni נפש חיה indubie vindicat Gen. 1,20. 21.24. באפיו potius verte cum *Aq. Symm. Theod. nares,* quippe in naribus deprehenditur halitus, non in facie, cf. Iob 27,3 : « donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis ». *Spiraculum vitae* non est spiraculum vivens (*Ges.*), cum spiraculum non vivat; non spiraculum vitam efficiens (*Keil*); sed « spiritus vitalis » (*Vat.*), spiraculum ad vitam pertinens quodque vitae sit proprium. Eo haec de hominis creatione narratio longius procedit ea, quae Cosmogonia tradebatur, quod distincte referat et corporis et animae creationem, quod animae naturam spiritualem non e limo formatae exprimat, quod divinam in anima imaginem ad oculum veluti depingat, ut anima sit instar halitus ex ore Dei in hominem transmissi; postea etiam, quod distinctam narret et viri et feminae productionem (*Rup.*).

Etiam animalibus tribuitur רוח חיים Gen. 6, 17 ; 7, 15, imo נשמת רוח חיים i. e. spiraculum spiritus vitae 7, 22. Et Ps. 103 (104), 29 sq. Deus primum dicitur auferre « spiritum eorum », quo deficiant, ac dein emisso « spiritu suo » ea ad vitam revocare. Sed hic locus poeticus. In Genesi non exhibentur animalia Dei halitu ad vitam excitata, sed solus homo, atque ita eius-

dem prae illis eminentia demonstratur. — Revelata haec Adamo fuere in ipsa visione, qua cosmogoniam contuebatur; sed Gen. 1 non sunt narrata, quod minus septimae diei sanctificationem spectarent, h. l. suppleta, quod primum hominis statum illustrent. Igitur in visione adest Deus Adamo visibili forma atque humana specie; loquitur sermone humano; corpus format primum, inde animam producit, licet re eodem fortasse momento et corpus creaverit et animam; corpus plasmat ex eodem limo, ex quo etiam plantae progerminant, animalia v. 19 formantur, licet re fortasse varias substantias chemicas adhibuerit; animae originem repraesentat specie halitus ex ore suo in hominis nares immissi. Est haec imago sensibilis facti a sensibus remoti.

Igitur hac imagine clare repraesentatur animae prae corpore excellentia, quod veluti Dei manibus hoc fingatur, illa ex Dei ore procedat; eius item spiritualis natura, non e terra i. e. materia petita; imaginis etiam divinae ratio, cum anima sit vita de vita Dei, eius halitu transmissa. Neque defuere Patres (*Bas.*, *Cyrill.* etc., quorum textus discutit *Petavius* de Trin. VIII. 5), qui praeter naturalem Dei similitudinem supernaturalem quoque per gratiam et Spiritum S. exprimi censerent, appellantes etiam Io. 20,22, ubi S. Spiritum daturus apostolis simili ratione in eorum facies insufflavit Christus (*Severian.*). Quibus quominus accedamus, prohibet contextus v. 7, quo eius insufflationis effectus scribitur hic, factum esse hominem in animam viventem, qua voce nunquam designatur vita gratiae. Cf. 1 Cor. 15,45 et *R. Cornely* in eum locum. Longius certe progressus *Philastrius* haeresi 98 (*M.* 12.1211 sqq.) ea insufflatione affirmat solam exprimi gratiam et, qui id negent, haereseos reos facit. — Ceterum, dum comparatio Dei insufflantis excellentiam animae exprimit, simul denotat, quanto eadem ipso Deo sit inferior : flatus quippe non eiusdem cum flante est naturae, sed longe inferioris (*Aug.* De Civ. Dei XIII, 24.5; *M.* 41.398).

Est hic locus aliqua subiiciendi de placitis *Darwinistarum*, qui plantas et animalia non secundum suas species a Deo creata esse defendunt, sed evolutione e formis quibusdam simplicissimis prodiisse quas nunc vocamus diversas species. Iam haec hypothesis, quatenus plantis circumscribitur et animalibus, Geneseos narrationem non attingit. Deus Adamo visione revelat originem rerum eo fine, ut Dei supremum dominium septimaeque diei sanctificationem stabiliat, non ut de chronologia, geologia physiologia edoceat. Hinc mundi exordia, quae longissimis fortasse distributa fuere periodis, intra sex dierum angustias comprimit. Ex qua materia effectae sint plantae, penitus reticet; 1, 11 sq. eas ante oculos exhibet ita de terra progerminantes, uti ex ea progerminare consuevere etiamnum. Species planta-

rum exhibentur ab ipso ortu distinctae, sed eaedem exhibentur simul omnes et intra dimidium diem esse exortae : uti hoc, ita etiam illud ad formam spectat visionis. Finge modo reapse ex Darwinistarum placitis varias plantarum species evolutione prodiisse ex una, num potuit haec infinita paene evolutio duodecim horarum limitibus distincte atque decenter repraesentari? quid iuvabat protoparentis mentem farciri imaginibus plantarum, quae exstitissent pridem? Similia dic de animalibus. Repraesentabantur ea in visione 2, 19 de terra formata, i. e. de eadem humo, quae 2, 6 nebula fuerat irrigata atque ferendis frugibus idonea effecta. Atqui interpretum nullus se ea repraesentandi ratione cogi arbitratur, ut asserat eiusmodi humum formandis primorum animalium corporibus esse adhibitam, sed solum aliquam materiam. Similiter potuit Deus animalia, quae nunc sunt, e terra secundum suas species formata exhibere, omissis, quae inter has et inter prima viventia intercessissent, evolutionibus. Dicamus igitur, Geneseos textu Darwinistarum, quae de plantis et animalibus sunt placita, non excludi.

At gravior difficultas de hominibus habetur. Ubi ab ipso limine proscribenda est opinio, animam hominis potuisse evolutione quadam ex bruti anima oriri : quae origo tam revelationi adversatur quam rationi. Qua exclusa putabat *Saint-George Mivart* (Genesis of Species, London; Lessons from Nature, London 1876; Dublin Review, Ian. 1872), potuisse saltem Adami corpus evolutione de corpore animalis, v. g. simiae, descendere, succedente postea in locum animae belluinae anima spirituali a Deo creata et infusa. Contra quam opinionem, quo tempore nata est, scripsere plures : nunc eadem iam paucis absolvi potest, cum neque Darwinistis satisfaciat neque eorum adversariis. Siquidem illi totius hominis a brutis originem repetunt; ut autem eodem in corpore anima rationalis subintret in locum eius, quae ante fuisset, animae belluinae, id violenter, imo ridicule fingitur. Quod si quis defendat, vix poterit quin admittat, aut animam, quae primum fuerit belluina, eandem postea evasisse rationalem, aut animae illi belluinae superadditam esse alteram rationalem duplicemque iam homini inesse animam. Crassus error uterque. Quod tandem Gen. 2, 7 attinet, concedimus cum *I. Knabenbauer* (Stimmen aus Maria-Laach XIII. 125, Freiburg i. B. 1877), si res unice ex eo versu dirimenda esset, eo non excludi sententiam Mivart : neque enim corpus hominis neque corpora brutorum *quomodo* de terra formata fuerint (v. 7 et 19), mediatene an immediate, in Genesi docemur, sed solum de facto ea sumpta esse de terra, i. e. materia. Verum nequaquam illam sententiam compones cum illis, quae infra de creatione mulieris narrantur.

B. Paradisi amoenitas et situs. Gen. 2,8-15.

Narratio, quod monebamus, duplici coalescit descriptione : amoenitas paradisi v. 8-10ª, non aliunde quam e traditione ab ipso Adam

profecta derivata; et situs paradisi v. 10ᵇ-14, quae post diluvium concinnata esse indubie dignoscitur. Amoenitas describitur primum ipso horti nomine, dein arboribus, quarum duae etiam specialius efferuntur, tandem fluvio. Fluvium et arbores simul suggerunt amoenam aeris temperiem. Illarum duarum tamen h. l. arborum indoles non accuratius describitur, sed 2,17 et 3,22.

Paradisi amoenitas. Gen. 2,8-10ᵃ.

v. 8 « *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio,* » — verte *hortum in Eden, ab oriente* — « *in quo posuit hominem, quem formaverat* ». Ergo qui hunc versum, qualis nunc est, concinnavit, versabatur ad occidentem paradisi, ergo, quod crediderim, etiam ad occidentem fluviorum Euphratis et Tigris.

גַּן in linguis semiticis omnibus invenitur : sitne vox origine semitica an accadica, disputatur. Cf. *Del.* Par. p. 135; *E. Schrader* KAT I. p. 27. Hic *hortus in Eden* alias vocatur *hortus Eden* (2,15; 3,23 sq.; Ioel 2,3), alias *hortus Dei* (Ez. 28,13; 31,8 sq.) aut *hortus Domini* (Gen. 13,10; Is. 51,3), vel simpliciter *Eden* (Is. 51,3; Ez. 28,13; 31,9). — עֵדֶן est nomen proprium regionis (*LXX Chald. Syr.*) : sane non potest supponi, tradi omnium fluminum et regionum adiacentium nomina, imo 4,16 nomen regionis Cainitarum, et simul reticeri nomen, quod maxime nosse intererat, regionis in qua situs erat paradisus. Datur utique vox hebr. עֵדֶן, voluptas : at nomen Eden ab hac voce seu vocis significatione peti, gratuito omnino supponitur. Gratuito item appellatur pagus עֵדֶן (4 Reg. 19,12; Is. 37,12; Ez. 27,23) Assyriam versus situs, et vicus בֵּית עֵדֶן montis Libani (Am. 1,5). Fuere sane plura loca, quae sive ab amoenitate sive a planitie nomina nacta sunt. Longe probabilius nomen Eden componendum erit cum voce assyriaca *i-di-nu*, planities (cf. *Del.* Par. p. 80, *Schrader* p. 26 sq.) : nomina antiquissima desumpta sunt a proprietatibus maxime obviis, uti Accad et Aelam, quae ambo significant « montana » (*Schrader* KAT I. p. 96). Iam proprietas sane loci maxime propria ea est, sitne is planus an montanus, dum amoenitatis laus fere tum tantum nomine exprimetur, quando eius loci cum aliis minus amoenis comparandi se obtulerit opportunitas. Qui vero auctores praetendunt nomen Gan Eden idem esse, quod nomen pagi Kar-Dunias vel Gindunisa Mesopotamiae inferioris, regionis Udyana Indorum etc., hallucinantur vehementer. — מִקֶּדֶם de tempore interpretati sunt *Vulg. Chald. Aq. Symm. Theod.*, ergo *a principio;* item *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* explicantes « ante creationem mundi ». Cf. 4 Esdr. 3,6 : « et induxisti eum in paradiso, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret ». Quam interpretationem rabbinicam (cf. Pessachim 54 a, Nedarim 39, Ialkut c. 20 citata apud *Rahmer*) etiam *Hier.* suam fecit. Sapientius *Ephr.* interpretatur Syrum, qui quidem de tempore exponi potest, sed aptius de loco intelligitur : « A principio, quia Deus tertia die paradisum plantaverat ». Praestat autem cum *LXX*, quibus accensendus est *Syr.*, vocem interpretari de loco, ergo *ab oriente*. Et nota ex *Field* videri effici, Hier. in aliquibus cod. hebr. loco מִקֶּדֶם legisse מִמִּזְרָח *ab oriente*, substitutum sane ab aliquo scriba synonymum, qui et ipse vocem de loco intelligebat. Rationes autem, cur vocem de loco interpretari melius sit, hae sunt. Eandem ex-

pressionem מקדם Gen. 3,24 omnes de loco interpretantur; itemque 4,16 expressionem affinem קדמת, solo excepto *Chald.*, qui eam paraphrasi evidenter falsa ad tempus detorquere nititur : « terra, quae facta est propter eum (Cain) a principio in horto Eden ». Facile etiam intelligitur s. auctor, qui mox paradisum tam accurate describat, hoc primum loco regionem mundi, ubi sit paradisus, enuntiare. Vide apud *Field* et apud *Lagarde* (Genesis graece, Introd. p. 23 sq.) testimonium Nicephori, vocem מקדם primitus in *Hebr. Syr.* defuisse : illud tamen solum non facit sufficientem auctoritatem, qua vox expungatur. — Dicitur autem hortus fuisse situs ad orientem sacri narratoris. Sensus non est, quem vult *Per.*, fuisse hortum situm in orientali parte regionis Eden. Id falso adstrui ostendit 3,24 cum 4,16 comparatum. Protoparentes paradiso exclusi substitere in regione Eden : atqui ne redirent in hortum, collocaverat Deus Cherubim « ad orientem » paradisi : ergo certe paradisus non erat extrema regio Eden orientem versus.

v. 9 « *Produxitque Dominus Deus de humo omne* » — quae vox, uti 4,22; 40,17; Lev. 19,23, sensum induit « omnis generis » — « *lignum pulchrum visu et ad vescendum suave; lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali* ». Ex 3,3 patet, utramque arborem fuisse in medio paradiso : « positum erat lignum vitae in medio ut praemium, lignum scientiae ut palaestra, ut gymnasium » (*Severian.*). Perperam autem ex vocibus בתוך הגן mediae sententiae insertis *E. Boehmer* (Das erste Buch der Thora, Halle 1862 p. 125 sq.) et *K. Budde* p. 46 sqq. intulere textum esse corruptum et primitus solam arborem scientiae novisse, non vero arborem vitae; ad quos cf. *Dillm.* et quae dicemus ad 3,3. 22. Sed perperam idem *Dillm.* post *Kn.* ex eo, quod praeter arbores non recenseatur h. l. עשב, infert hominem primitus solis fructibus arboreis vesci debuisse fuisseque tandem 3,18, ut עשב uteretur cibo, « condemnatum » : ex 1,29 indubie colligitur, tam עשב quam עץ fuisse homini ante lapsum assignata in cibum. Contextus omnino demonstrat, agi de veris arboribus neque licere narrationem ad allegorias detorquere (*Aug.*, De Gen. ad litt. VIII. 4.6; *M.* 34.375. 377). *Ligni vitae* virtutem clare enuntiat 3,22 : « ne forte... vivat in aeternum ». Praestabat ergo eius fructus homini, ut posset non mori, ut viribus corporis repetita fructus comestione continuo redintegratis perseveraret mortis expers, quousque a Deo ad feliciorem beatae immortalitatis statum transferretur. Hanc autem virtutem ei fructui auctores censent fuisse non supernaturalem sed naturalem, quod ille effectus naturalem alicuius plantae virtutem haud videatur excedere, et ex 3,22 etiam obtinuisset in homine peccato gravi donis supernaturalibus privato. Cf. *Per.*

Difficilior de *arbore scientiae boni et mali* quaestio.

Ubi primum cum *Aug.* l. c. concedunt omnes, hanc arborem de se nullatenus fuisse noxiam : « neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat

aliquid mali ». Similiter *Iac. Edess.*, « non inde », inquit, « nomen accepit, quod natura insitam bonitatem aut malitiam haberet ». Item concedunt omnes, nullam ei arbori infuisse virtutem ad scientiam hominibus impertiendam, sed nomen nactam esse *ab eventu*. At quomodo hoc ei nomen conveniat, dissentiunt auctores. *Chald.*, *Ios.*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* affirmant, qui de fructu arboris comederint, iam discreturos fuisse inter bonum et malum; cumque Deut. 1,39; Is. 7,15 scribantur parvuli nescire discrimen inter bonum et malum, hinc nata videtur quorumdam opinio fingentium, Adamum et Evam ante peccatum fuisse instar infantum eius discriminis ignaros, atque ob eandem etiam rationem non erubuisse nuditatem. Quibus merito respondet *Theodoret.* : « Quomodo fieri potuit, ut, qui ratione insigniti et ad divinam imaginem essent creati, discretionem boni et mali non haberent? Quomodo vero iis dedisset legem abyssus ille iustitiae, qui eam non inditam haberent scientiam neque scirent, bonum esse servare praeceptum, perniciosum vero transgredi? Habebant igitur sine dubio eam scientiam, sed experimentum postea ceperunt ». Cf. *Proc.* et dicenda ad v. 25. — *Rup.*, *Tost.*, *Per.* censuere, nomen arbori esse inditum proleptice atque *ironice* : quia sc. daemon praesciebatur tentaturus esse hominem scientiae cuiusdam ambitione, ideo arbori a scientia inditum nomen. At sensus narrationis obvius certe is est, non a praevisa tentatione petitum esse arboris nomen, sed inditum divinitus nomen tentatori suggessisse suae tentationis rationem. — *Hugo* putat inde nomen accepisse arborem, « quia per ipsam scitum est, utrum esset homo bonus an malus, i. e. obediens an inobediens ». *Greg. Nyss.* scientiam boni et mali interpretatur « appetitum mali latentis sub specie boni ». Sed haec vim inferunt textui. — Plurimis placuit sententia *Theodoreti* et *Aug.* inde arboris nomen repetentium, quod eius ope *experimento disceret* homo boni malique discrimen. Quo sensu scribebat *Severian.* : « Scientia ex calamitatum experientia procedit. Eam scientiam edoctus est homo, quot se malis per transgressionem implicuisset ». Et clarius *Proc.* voluisse Deum ait, « ut esu vetiti fructus disceret homo, obedientiam esse bonam, inobedientiam malam ». Differentiam sc. boni et mali duplici ratione homo experimento discere potest, vel praemio quod facienti bonum, vel poena quae facienti malum tribuitur. — Tandem *Tir.*, *Est.*, *Calm.* scientiam boni malique hebraismum esse declarant pro *scientia omnium rerum*. Reapse ex 2 Reg. 14,17 et 20 comparatis perspicies, idem esse nosse bonum et malum et nosse omnia; loqui neque bonum neque malum 2 Reg. 13,22 est loqui nihil. Infantum ignorantia Deut. 1,39; Is. 7,15 sq. describitur, qua nesciant bonum et malum; idemque est sensus Ion. 4,11, eos ignorare dexteram et sinistram. Reapse haec de dextera et sinistra locutio omnino affinis est ei, quae de bono et malo est : sic 2 Reg. 2,21 « Vade ad dexteram sive ad sinistram » idem sonat atque « Vade alio ». Et illo universali sensu omnino intelligenda est expressio « scire bonum et malum » Gen. 3,5 : « Eritis sicut Deus scientes bonum et malum ». Sane Dei scientia id proprium habet, non ut experimento sentiat mali sequelas, sed ut omnia quaecunque sciri possunt complectatur.

Retulimus diversorum sententias : restat ut, qua tandem ratione textus nobis videatur esse exponendus, aperiamus. Ubi advertas primum, nomen arbori inditum esse ab ipso Deo (cf. v. 17), ergo sane sapienter inditum. Oportebat igitur illud aliquid habere *veritatis*, sive homo tentationi resisteret sive eidem succumberet. At verum erat nomen, si de experientia boni malive intelligatur. Experimento sciturus erat homo, quam bona sit obedientia, si tentatori resisteret;

quam mala sit transgressio, si eidem obsequeretur. Praeterea autem hanc arborem selegerat Deus, qua hominis fidem tentaret. Pelliciebat fructus forma, color et odor : erat sane et in nomine aliquid, quod ambitioni suggereret bonum aliquod summopere ac vel neglecto Deo appetendum. *Illecebrae* autem in eo erant, quod arboris nomen significationem admitteret omniscientiae cuiusdam, qua homo ipsius Dei evaderet aequalis; quodque ita arbor videretur « desiderabilis ad intelligendum » (cf. dicenda ad 3,6). Nomen erat de se anceps, aenigmaticum, curiositatem titillans atque ambitionem.

v. 10 « *Et fluvius egrediebatur de* [*loco*] *voluptatis* » — est nomen proprium : *de Eden* — « *ad irrigandum paradisum* ». Advertit *Schrader,* nullum huius fluvii adscribi nomen. At, uti Hebraei praestantissimum quod norant flumen Euphraten vocabant absolute « flumen » (Gen. 15,18; 31,21; Ex. 23,31), imo etiam sine articulo נהר (Is. 7,20; Ier. 2,18; Ps. 71,8; Mich. 7,12), ita sine dubio paradisi fluvius apud priscos absolute audiebat נהר, « fluvius » κατ' ἐξοχήν. *Egredi* fluvius dici potest vel eo sensu, ut relicta is regione Eden in paradisum transflueret : at id non obtinebat, cum ipse paradisus fuerit pars regionis Eden, neque hac egrederetur fluvius paradisum intrans; vel eo sensu, ut dicatur fluvius ex regione Eden ortum ducens atque affluens transire in paradisum. Hoc alterum praeferendum. Neque tamen exinde sequitur, in ipsa regione Eden, et non fortasse ultra eam, reperiri fluvii fontem. Non geographum agit noster auctor, non ad singulorum fluviorum censendus est penetrasse originem, sed res, uti in paradiso oculis cernebantur, describit : fluvius e regione Eden paradisum intrabat; utrum is in ea ipsa regione oriatur, vel in eandem aliunde influat, non determinat (*Huet*). Illud autem textus evidenter habet, primum flumen regionem Eden irrigare, inde in paradisum descendere, tandem in paradiso vel prope illud in illa quatuor flumina resolvi.

Paradisi situs. Gen. 2,10b-15.

Unius fluvii mentio occasionem praebebat per quatuor, in quae ille divergebat, fluenta paradisi situs describendi. Quae situs descriptio, uti monebamus, serius traditioni de paradiso inserta est, quo sc. tempore stirps electa a primis sedibus recessit.

De *situ paradisi,* uti de hexaemero, ab ipsis religionis christianae primordiis disputari coeptum est. *Philonem* secuti *Orig.* (De Princ. IV. 16; *M.* 11. 377), *Ambr.* (De Par.; *M.* 14. 299) aliique paradisum allegorice interpretati sunt, eius veritatem vix non omnino ignorantes. Opinio autem inter antiquos auctores longe communissima

fuit *Ios.* et *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*, qui flumina quatuor interpretabantur Euphratem Tigrin, Gangen et Nilum. Quam opinionem profitebatur *Hier.*, dum *Ephr.* et *Severian.* Gangi substituebant Danubium. Cf. etiam *Io. Damasc.* De fide orth. II. 9; *M.* 94.904. Hi universim auctores paradisum alicubi in oriente collocabant, plures, quem libri Indorum et Persarum referunt mythum, fuisse paradisum in altissimo mundi monte situm, eum pro vero habebant. Flumen Gen. 2,10 fingunt lacum, qui vel ex eodem monte quatuor alveis delabatur, vel terra primum absorptus quatuor rursum dissitis locis in apertum prorumpat. De Gangis fontibus nihil certi sciebant, Nilum per australem quamdam continentem longissimo circuitu ad communem cum Euphrate et Tigri revocabant originem aliqui. Ulterius progressus *Rup.* : « omnes aquae potabiles », inquit, « atque salubres, ubicunque fluant vel undecunque appareant, de fonte paradisi per occultos meatus originem trahunt et ex eius dulcedine hoc habent, ut potabiles sive salubres sint ». Idem tamen iam compererat ex « Salustio, auctore certissimo, tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari ». Viguit nihilominus toto medio aevo veterum illa opinio, ut scripserit *Malv.* : « Qui Phison et Gehon non Gangem et Nilum interpretati sunt, contra Iosephum et veterum Patrum fidem, rotunde dicam, videntur mihi sensu communi penitus caruisse ». Tamen ab eo iam tempore defendi coepta est sententia, quae proximis saeculis communior evasit, Gangem et Nilum repudians atque paradisum in aliqua Euphratis parte collocans. Ita *Eugubin.*, *Vat.* paradisum relegant ad oram Euphratis et Tigris, ubi ii uno amne Shat-el-Arab appellato diffluunt. Et *P. D. Huet* quidem atque *I. Vorstius* (ap. Blas. Ugolinum : Thesaurus antiquitatum s. VII, Venetiis 1747) Phison et Gehon finxere fluenta duo, in quae Shat-el-Arab divisus mare petat. Prope Babylon urbem paradisum collocant *S. Bochart* et *St. Morinus* (ib.), novissimeque hanc sententiam pluribus fulcivit *Del.* Par. Eundem in Armeniam praeter alios plures transtulere *H. Reland* (ap. Ugolinum) et *Calmet*. Hi Phison interpretantur Phasin, Gehon Araxen, Hevilath Colchiden.

Ceterum his potiores tantum sententias et auctores enumeravimus : fuere aliae de situ paradisi sententiae plurimae : « Fuere, qui collocarent eum in tertium coelum, in quartum, in coelum lunae, in ipsa luna, in montem coelo lunae vicinum, in media aeris regione, extra terram, subter terram, in loco abdito et a notitia hominum remoto. Alii eum collocarunt sub polo arctico, in Tartaria eo in loco ubi nunc visitur Mare Caspium. Alii porro in extrema meridiei reposuerunt, in Terram Ignis. Plures posuerunt eum in orientem, idque vel ad ripas Gangis vel in insulam Ceylan, derivantes Indiarum nomen ex verbo Eden. Fuerunt, qui in Chinam eum collocarent, imo trans orientem in locum inhabitabilem. Alii in Americam, alii in Africam sub aequatore, alii ad orientem aequinoctialem, alii super Montes Lunae a quibus Nilum oriri crediderunt; plurima pars in Asia; aliqui tamen in Armenia maiore, alii in Mesopotamia, vel in Assyria, vel in Persia, vel in Babylonia, vel in Arabia, vel in Syria, vel in Palaestina. Inventi etiam sunt, qui hunc honorem nostrae Europae vindicare voluere » (*Huet*).

Sed his omnibus iam nova se adiunxit *rationalistarum* sententia, cuius praecipui defensores fuere *H. Ewald* (Geschichte des Volkes Israel, Göttingen 1864, I. 403), *J. B. F. Obry* (Du berceau de l'espèce humaine selon les Indiens, les Perses et les Hébreux; in : Mémoires de l'Académie des sciences etc. du département de la Somme, 2e série I. 198, Amiens 1858-1860), *Fr. Lenormant* (tum alias, tum praecipue in Origines II. A. 1 sqq.), *G. Maspero* (Histoire ancienne des peuples de l'Orient, Paris 1876, p. 132). Haec sententia priora Geneseos capita declarat esse Hebraeorum *mythos*, nullo nomine veriores reliquarum gentium mythis. Interpretis aiunt esse, ex eorum

mythorum omnium comparatione primitivae historiae facta eruere. Iam ea docemur populos novas petentes sedes traditionem de prima hominum sede secum tulisse, et nomina propria veneranda antiquitate consecrata fluminibus, montibus, arvis novae patriae affixisse : datur migratio nominum sacrorum. V. g. sit nomen Phasis Armeniae idem quod Phison : at nonne item Djihun et Sihun, quae nomina sunt Oxus et Iaxartis Bactriae, eadem sunt cum Phison et Gehon? Quodsi ergo legas Euphratem et Tigrin prope paradisum fuisse, ne illico supponas notissima Mesopotamiae flumina intelligi; sed sedulo perpende, ipsane haec flumina nomina acceperint ab alio quodam Euphrate et Tigre mutuata. Iam si varios situs compares, quos traditiones populorum paradiso attribuunt, invenies illa omnia disposita esse circa unum centrum commune, regionem sc. illam altiorem, quae Caschmiram complectitur eumque Turkestaniae tractum, quae Sinensis imperii pars est. Haec generis humani prima sedes; varia inde flumina non ita magnis interiectis spatiis nascuntur; ex his quae placuerit selige, ut Geneseos descriptioni satisfacias.

Contra hoc systema adverte primum, adversarios id ad summum efficere, *potuisse* primam sedem in Turkestania esse, non vero ibidem necessario fuisse. Fuerit Turkestania ultima sedes, quam *communem* incoluerint Indogermani, quorum traditiones considerandae veniunt : num ideo fuit etiam *prima?* Nonne potuerunt illi cum sua de situ paradisi traditione primum ex Asia anteriore in superiorem demigrare atque hinc postmodum in varias circumiacentes regiones distribui? Praeterea falso nostra de paradiso narratio mythis accensetur. Qui Genesin concinnavit auctor eam sane habuit documentum historicum, inseruit libro prorsus historico, intexuit narrationi prorsus historicae formationis primi viri primaeque mulieris. At etiam ille auctor antiquior, a quo fortasse Geneseos auctor hanc descriptionem mutuatus est, mytho nequaquam indulgebat. Euphratem tamquam flumen notissimum nominat tantum; Tigrim describit accolentibus appellatis Assyriis; num etiam Proto-Assyrios quosdam dices in Turkestania exstitisse?

Quid ipsi sentiamus, textum exponentes pronuntiabimus.

« *Qui inde dividitur in quatuor capita* ». ראשים, ἀρχάς bene interpretatus est *Chald.* רישי נהרין; distinctius etiam *Versio Samar.* נסולים, fluenta, *germ.* « Rinnsale »; male *Severian.* πηγάς. Non negamus eam vocem posse *fontem* fluminis designare : cf. inscriptionem Salmanassar II, regis Assyriorum, narrantis se simulacra sui constituisse ad ipsos fontes Euphratis et Tigris. Sed neque necessario neque h. l. designat. Facile quidem invenies flumina plura, diversis fontibus nata in unum aliquem amnem confluere; at quomodo ex uno amne quatuor fluminum fontes derivabis? Monstrum id est geographicum. Hinc veteres aliqui devenerunt in fabulam, unum illum amnem paradisi primum infra terram esse absorptum, ibi esse divisum ac tandem dissitis locis quatuor fontibus prorupisse : at haec figmenta. Qui recentius putavere agi de quatuor fluminum fontibus ex eodem loco prodeuntibus, recurrunt ad diluvium, quod flumina illa pridem unita separaverit : sed hoc effugio opus non est, cum vox facilius vertatur « fluenta ».

Igitur auctores alii, relictis Euphratis et Tigris in Armenia fontibus, quatuor flumina reperiunt prope urbem Babylonem. Novissimus *Del.* Par. censuit canalem Pallakopas, qui ad occidentem Euphratis eique parallelus fluit et ab eodem prope Babylonem dividitur, esse Phisonem; alterum canalem Shat-en-Nil esse Gehonem, qui item Babylone ab Euphrate separatur atque ad orientem eius defluit, quoad haud procul ab Ur illi rursum coniungitur. Huic alteri canali nomen videtur fuisse *Gughana* i. e. Gehon; praeterea vox *pisana* sonat receptaculum aquarum, quod nomen quam apte Pallacopae tribuatur, nemo est quin videat. In hac sententia facile perspicitur, quomodo prope Babylonem unus fluvius Euphrates in tria dividatur fluenta : Euphraten, Pallakopam et Shat-en-Nil. At Tigris ibidem ab Euphrate dividi absurde affirmatur, licet minores aliqui canales ea flumina coniungant. Evidens est, Tigrim ibi non ea, qua Pallakopas et Shat-en-Nil, ratione ex Euphrate ortum ducere, sed proprio omnino alveo ex septentrione affluere.

Quare alii ad ipsa fluminum ostia descendunt et unum paradisi flumen in fluento Shat-el-Arab sibi reperisse videntur, quod ex unione Euphratis et Tigris ortum, gratuito supponunt rursum in plures divisum alveos mare intrare. Quae systemata falso supponunt Shat-el-Arab iam antiquitus exstitisse (cf. *Del.* Par. p. 39 sqq., 175 sqq.), cum illud nonnisi recentius ortum sit, mari continuo recedente atque novos litori tractus concedente. Audi *Plin.* VI. 130 : « Inter duorum amnium ostia viginti quinque millia passuum fuere, ut alii tradunt septem millia, utroque navigabili; sed longo tempore Euphraten praeclusere Orcheni et accolae agros rigantes, nec nisi per Tigrim defertur in mare ». Idem confirmant documenta cuneiformia.

Haec systemata omnia eo peccant, quod textum de uno fluvio in quatuor diviso non sufficienter explicent, sed sint in nominibus quibusdam propriis reperiendis, quae vocibus Phison, Gehon, Cusch, Hevilath sint similia. At eiusmodi nomina, qui voluerit, ubique inveniet, uti tot interpretum diversa sentientium scripta docent. Nos a textu penitius exponendo ordiemur.

Igitur verbum פרד nativam *dividendi* significationem pluribus textibus ita evolvit, ut significet dividendo non separare sed ampliare, ergo *extendere*. Cf. Ez. 1,11 « alae extentae »; 2 Esdr. 4,19 (13) « divisi sumus », i. e. *sparsi* sumus « in muro, alter procul ab altero ». Gen. 10,5. 32 « ab his divisae sunt gentes » sane idem sonat atque 9,19 ab his *disseminatum* est omne genus hominum; cf. 25,23. Est. 3,8 : « est populus per omnes gentes dispersus et *disseminatus* ». Applica haec ad Gen. 2,10 et habebis fluvium, non qui dividitur, sed qui extenditur, spargitur, disseminatur. Dum ad mare festinat, recedunt ripae, aquae salsae dulcibus miscentur, nescis mare dixeris an amnem. Iam hoc flumen ita ampliatum « fit in quatuor capita ». Antiquitus Mare Persicum additum habebat sinum septentrionem versus extendentem usque ultra eum locum, ubi nunc Euphrates et Tigris in unum confluunt, qui sinus (*Del.* p. 180) non « mare » audiebat sed « flumen » נהר, et quidem *nâr marrâtu* i. e. « flumen salsum ». In hunc sinum intrabant flumina potiora quatuor, quae ab oriente ad occidentem recensemus : Eulaeus, Choaspes, Tigris, Euphrates. Per-

pende porro, scriptorem nostrum non geographum agere, sed simplici sermone et ad oculum res describere, et intelliges fluvium paradisi aptissime intelligi Euphraten, qui e regione Eden, i. e. Mesopotamia aut aliqua eius parte, ingrediatur paradisum, quem prope Babylonem collocare haud vetaris, atque inde egressus et aliquo interiecto regionis tractu, quod voce מִשָּׁם minime excluditur, in aestuarium excrescat, in quod praeter ipsum Euphraten tres nobiles mergantur amnes. Cf. dicenda ad 13,10.

v. 11 « *Nomen uni Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi est aurum* ». De nomine Phison nihil est quod dicamus, cum videamus viros similia nomina in tot diversis regionibus reperisse; neque de etymologia nominis quidquam prudenter asseri potest. *Hevila* nomen est Gen. 10,7 (cf. 1 Par. 1,9) Chuschitae cuiusdam, 10,29 Semitae Iectanidae; utrorumque posteri creduntur Arabiam incoluisse. De expressione « ab Hevila usque Sur » (Gen. 25,18) cf. quae diximus ad 1 Reg. 15,7. Uter Hevila h. l. intelligatur, non constat; imo neque repugnat neutrum intelligi. Nomen h. l. articulum praefixum habet, quo carent Chus et Assur; ignorat tamen eum articulum *Sam.* — Advertit *Kn.*, ex Num. 21,4; Iud. 11,18 effici, סוּבַב non necessario significare circumeundo circulum complere, sed quandoque significare *circuire* ex parte. Ceterum tam Eulaeus quam Choaspes curvatum ad instar arcus cursum tenent, ut vere dici queant circuire seu ad modum arcus complecti regiones Hevila et Chus, si eae cis flumina sitae fuisse supponantur. Nota etiam pro Assur, quod v. 14 exponentes ostendemus, limitem describi *orientalem*. Non est vertendum cum *Del.* : nomen uni *erat* Phison, uti neque v. 14 vertimus : erat Euphrates. Auctor situm paradisi describere vult per flumina et regiones notas, quae igitur tum adhuc iis quae describit appellarentur nominibus. v. 12 « *Et aurum terrae illius optimum est* ». Ergo scriptor alias norat regiones auriferas, cum verba comparationem sapiant. Novisse omnes, novisse eas praecise, quae postmodum repertae sunt auro prae reliquis abundare ideoque a scriptoribus classicis laudantur, gratuito omnino supponat quis. Imo potuit fieri, ut in aliis quibusdam regionibus adiacentibus inveniretur postmodum aurum purius et abundantius eo, quod antiquitus Hevila produxisset : id unum textus dicit, tempore illo perantiquo aurum optimum ex Hevila de facto provenisse. Fuisse autem in litore Sinus Persici aurum humo admixtum docemur facto Merodach Baladan, regis Beth Iachin, qui ob litoris imperium Rex Maris audiebat et regi Assyriorum Teglathpalassar II tributum obtulit « aurum, pulverem regionis suae ». « *Ibi invenitur bdellium et lapis onychinus* ».

בדלח secus tantum Num. 11,7 legitur, ubi manna ei comparatur, sed num colore an luciditate non liquet. *Chald.* et *Targumim* vocem retinuerunt; etiam *Syr.*, scribae errore ר occupante locum literae ד. *LXX* in Genesi vertunt ἄνθραξ, in Numeris κρύσταλλος, lapidem pretiosum exprimentes : quod ideo minus placet, quod vox neutro loco adiunctum habeat אבן, qua voce addita lapides pretiosi (etiam apud Assyrios) designari consuevere (*Calm.*). Alia lectio *LXX* βδέλλιον *Vulgatae* consentit; accedunt *Aq. Symm. Theod. Ios.* et interpretes communiter. Est autem *bdellium* teste *Plin.* XII. 35 « arbor nigra magnitudine oleae, folio roboris, fructu caprifici ». Abundat in Bactriane, nascitur item in Arabia, India, Media, Babylonia : Amyris Agallochum apud botanistas audit. Producit gummi odoriferum, pellucidum, flavescens, cerae simile; species aliqua minus pretiosa est subatri coloris. Quaeritur iam, sitne revera idem בדלח, quod bdellium. Igitur primum alio nomine bdellium vocatur βολχόν (Dioscor., Mat. med. 1,80), quod *Saumaise* (apud Len. II. A. 77) ortum censet ex βδολχόν i. e. בדלח. Aliud rursum nomen est μάδελκον, e quo corruptione ortum est « maldacon » (Plin. VII. 19), quodque *Len.* (ib.) revocat ad sanscrit. « madâlaka »; quae voces utraeque affines utique sunt vocis בדלח. Haec porro vox omnino eadem est atque assyr. *budil'hat* (Len. ib.). Quod cum semper adscriptum habeat signum, quo plantae designantur, hinc efficitur בדלח revera esse bdellium ex arbore exsudatum, non vero *margaritam*, quam censuere *Rabbini* quidam et auctores *arabes*, et ingeniose defendebat *Bochart* (cf. Hieroz. lib. V cap. V p. 673 sqq.). — Quem *Vulg.* vertit *lapidem onychinum*, *LXX* λίθος ὁ πράσινος, ergo gemmam aliquam viridem, *Symm. Theod.* ὄνυξ, *Aq.* σαρδόνυξ, *Chald. Syr.* et *Targumim* בירלא i. e. beryllum, eum iam *Del.* Par. p. 61.106.131 demonstravit eundem esse, quem Assyrii vocabant *samtu*. שהם atque monti Melucha Babyloniae attribuebant. Eum *Del.* ex etymo censet fuisse glaucum vel fuscum, *Len.* caeruleum : sapientior *Schrader* nondum quidquam definiri posse pronuntiat. Sufficiat nosse esse gemmam, quaeque in Asia anteriore reperiatur.

v. 13 « *Et nomen fluvii secundi Gehon* ». *LXX* Ier. 2,18 pro שיחור, quod indubie Nilum designat, scribunt Γηών : aut mendum legebant, aut mendum scribebant, aut Gehon iam erat alterum quoddam Nili nomen, aut quod probabilius est, iam tum aliqui Gehonem paradisi falso interpretabantur Nilum. Ceterum vel secundum *LXX* alium fuisse Gehonem a Nilo, ostendit Eccli. 24,37 (27), ubi *Vulg. LXX* כיאור erronee verterunt « sicut lucem », ὡς φῶς, cum vertendum erat, « sicut Nilus ». Iam v. 35 et 36 binos recensent fluvios diversos, Phison et Tigrim, Euphraten et Iordanem : ergo etiam v. 37 duos diversos habet fluvios, Nilum et Gehon. « *Ipse est, qui circumit omnem terram Aethiopiae* ». « Licet postmodum Chuschitae incoluerint Aethiopiam, non est tamen h. l. *Chus* cum *Vulg. LXX* vertendum Aethiopia. Chuschitas etiam in Mesopotamia fuisse, constat ex facto Nemrod 10,8. Neque Aethiopiam includi oportere (*Dillm.*), sequitur ex adiecta voce *omnem :* nam « omnis terra Chus » definienda est secundum eos fines, quos habebat, quo tempore haec paradisi descriptio primum concinnabatur.

v. 14 « *Nomen vero fluminis tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios* ». Quam vocem *Vulg. LXX Syr.* vertunt *contra,* eam melius *Chald. Aq.*

vertunt *ab oriente* : is enim secus (4,16; 1 Reg. 13,5; Ez. 39,11) est sensus vocis קדמית, quae ipsa tandem haud alia est a voce מקדם, quam 2,8 et 3,24 vertendam docuimus *ab oriente*. Quomodo vero dicitur Tigris esse ad orientem Assyriae, cum vix non tota sit ipsa ad orientem fluminis? Respondeas, *Assur* esse nomen non provinciae tantum sed urbis, a qua ipsa provincia videtur nomen accepisse. Quae urbs, antequam Ninive floreret, caput fuit et Tigrim habet ab oriente fluentem; et haec urbs. h. l. recensetur, quod in finibus Assyriae meridiem versus sita propius, quam ceterae urbes Assyriae, abesset a scriptore nostro ciseuphratensi ideoque illi eiusque lectoribus esset notior. Si cui ceterum adstruere placuerit, Assyros 10,11 de Sennaar egredientes tum temporis ultra Tigrim nondum penetrasse, sed adhuc in ripa occidentali substitisse, atque ita flumen ab oriente non urbis solum sed et finium habuisse, non repugnamus.

חדקל h. l. et Dan. 10,4 *Tigrin* designat. In textibus cuneiformibus duplex nominis forma legitur : aspirata *Hidiglat*, abbreviata *Diglat*. Ad hanc tertium revocatur nomen *Syr.* דקלת, *Chald.* דיגלת, *pers.* Tigra, *graec.* Τίγρης. Hinc iam patet, nominis derivationem a voce linguae Zend *tighri* i. e. « sagitta » accommodatitiam esse neque nativam pandere nominis rationem. A forma aspirata repetitur *Sam.* חדקל et *Hebr.* חדקל, ubi etiam abiectam cernis terminationem femininam *at*. Haec tandem nomina omnia fluxere ex forma linguae non semiticae *Idigna*, cuius significatio nondum definiri potest. Cf. *Schrader* KAT, *Del.* Par. p. 170 sqq., *P. Haupt* (Die sumer. Familiengesetze, 1879, I. 9). — Numen *Assur* eo cuneiformi ideogrammate exprimitur, cuius explicatio additur, ut significet « bonus deus »; unde *Schrader* censet urbi tributum nomen a numine. Obiicit *Del.* Par. p. 254, tum debuisse istud numen iam in Babylonia coli, antequam inde egressi urbem Assur condidissent; at eius cultus in Babylonia nullum haberi vestigium, sed ad solam Assyriam pertinere. Praeterea coniiciunt assyriologi vocem semiticam *Assur* revocandam esse ad formam non semiticam *Ausar*, cuius significationem ignoramus. — Locus, ubi fuit urbs Assur, nunc audit Kileh Shergat. Iam saeculo a. C. 14° ea urbs urbi Ninive primatum cessit. Non tamen interiit : 828 defecit a rege Salmanassar II; recensetur in aliquo Cyri cylindro.

« *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates* ». Qui solus nullam adiectam habet descriptionem, quod lectori oppido notus supponatur. Non tamen ad inferiorem Euphratem narrator incolebat, quod secus Tigris quoque descriptione caruisset, qui Euphratensibus vix minus esset notus atque ipse Euphrates; non ad orientem inferioris Euphratis, quod secus Tigris Euphrate magis notus non fuisset describendus; sed vel ad occidentem Euphratis Palaestinam versus, vel forte circa medium Euphraten, puta prope Haran, loco a Tigri sat remoto. Ergo haec paradisi fluminum descriptio non ante Abrahami e terra Chaldaeorum secessum in praesentem formam redacta fuisse videtur. Alia tamen fingi potest ratio, cur Euphratis situs non describatur. Quod sc. Eu-

phrates ipse sit paradisi ille fluvius v. 10 recensitus, qui, quod ib. iam fuerit descriptus, h. l. denuo non describatur. Ita utique haec fluminum paradisi descriptio ad inferiorem etiam Euphraten concinnari primum potuit, vix ante Abrahami tempora, quod Assur et Cusch e Noe oriundi iam in nationes excrevissent.

פרת, apud Babylonios *purât*, Arabes *furât*, Persas *ufrâtus*, hinc εὐφράτης. In lingua praesemitica textuum cuneiformium nomen habet *pura-nunu* i. e. flumen magnum. Ex *pura*, addita terminatione feminina, ortum duxit *purât*. Similiter apud Hebraeos hoc flumen modo audit הנהר הגדול Gen. 15,18; Deut. 1,7 etc.; modo הנהר Ex. 23,31; Is. 8,7; vel etiam omisso articulo נהר Is. 7,20; Mich. 7,12. Cf. *Del.* Par. p. 169 sq.

Ceterum notes, quaeso, assonantiam cum inter nomen פרת, tum inter verbum יפרד v. 10, quae evidentior etiam evadet, si advertas in linguis arab., chald., syr. exstare radicem פרת, eiusdem omnino cum radice hebr. פרד significationis. Videtur v. 10 ludere in nomine פרת simili, licet non eadem adamussim, ratione, qua 11,9 et fortasse etiam 10,25 nomina Babel et Phaleg cum effecta populorum dispersione copulantur. Nomen illud auctor hebraeus comparabat radici פרד (פרת pro פרדת, uti אחת pro אחדת), radicis praesemiticae prorsus ignarus. Neque tamen in hoc ullus latet error, cum nequaquam etymologum agere praetendat.

C. Dei in paradiso prohibitio. Gen. 2,15-17.

v. 15 « *Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* », i. e. paradisum (*Masor.*, *Chald.*), quod etiam inde invicte demonstratur, quia v. 5 idem verbum עבד de agri cultura scribitur. Ergo non id agitur, ut homo operaretur legem seu in lege, eam coleret, observaret (*Ephr.*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*); neque ut Deus hominem operetur et custodiat (*Aug.*). Ceterum idem Aug. contra eos, qui duriorem censent agri colendi laborem, quam cui homo ante lapsum fuerit addictus, recte monet levem quemdam agri colendi laborem haud paucis in deliciis esse : « non enim erat laboris afflictio sed exhilaratio voluntatis, cum ea, quae Deus creaverat, humani operis adiutorio laetius feraciusque provenirent; unde creator ipse uberius laudaretur, qui animae in corpore animali constitutae rationem dedisset operandi ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret ». *Custodire* non est idem (*Aug.*) atque *operari*. שמר semper periculum aliquod suggerit, a quo res sive vigilanti obtutu, sive etiam forti manu custodiatur : ita custodiuntur greges, domus etc. A quo igitur periculo quove actu custodiri paradisum oportebat? Vocem explicat sequens v. 16 : custoditurus sibi erat homo paradisum observato divino praecepto (*Ephr.*, *Aug.*). — Igitur v. 15 resumit verba v. 8 « in quo posuit hominem, quem formaverat »; absoluta sc. paradisi descriptione v. 9-14,

ad caput, ubi haeserat, revertitur narratio. Clarius etiam exprimitur homo, *extra* paradisum formatus, in paradisum esse translatus : quo perspicias donum indebitum fuisse paradisum, quod extra paradisum creato homini potuerit extra paradisum sedes attribui. Verbum item וינחהו, *demisit eum* (cf. Zach. 5,11 ; Dan. 14,35), potius indicare videtur, ecstasi quadam Adamum et sine membrorum motu translatum esse in paradisum, quam pedibus eodem processisse.

v. 16 « *Praecepitque ei* » — reliqui *Dominus Deus* — « *dicens : Ex omni ligno paradisi comede* ». Cf. quae v. 9 dicebamus. v. 17 « *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas : in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* ». Sermo est utique de morte corporis, non solius animae. Ex v. 4 habemus, ביום non semper significare *eo die quo,* sed quandoque generalius *quando*. Manet nihilominus difficultas, moriturum affirmari hominem, quo tempore esset peccaturus, cum revera nonnisi diu post peccatum mortuus sit. Quare iam *Symm.*, in hac re ab *Hier.* laudatus, vertit θνητὸς ἔσῃ. Sed textus ita verti nequit, et praeterea *mortalis* erat homo, sive peccaret sive peccato abstineret. *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.* « reus eris mortis » : sed neque ita verti potest textus. Unde alii מות תמות vertunt « certissime morieris » et videntur supponere, quo tempore Adam peccaturus sit, non tam ipsam mortem quam certitudinem potius secuturae mortis praenuntiari. Expressio מות תמות omnino parallela est praecedenti אכל תאכל, quam non vertes « certissime comede », sed verius « utique comede » ; quare etiam v. 17 placet infinitivum intensivum voce potius « utique » quam « certissime » vertere. Ceterum quocunque modo vertas, manet idem mortis atque peccati scribi tempus. Unde *Tir.* ait « Adamum eodem, quo peccavit momento, coepisse mori corpore, nempe longa illa phthiseos seu internae corruptionis morte, qua, pugnantibus inter se perpetuo elementis et humoribus et se mutuo corrumpentibus, vix nati morimur et ad interitum ducimur ». Quae tamen longius petuntur. Planissima solutio est, ut sensui obvio verborum insistentes dicamus, Deum reapse Adamo comminatum esse mortem eo ipso tempore, quo peccaret, secuturam. Verum, uti a veracitate et fidelitate non recedit, qui maius promissis concedit praemium, ita neque, qui leviorem quam minatus erat infligit poenam. Mortem illico secuturam minatus erat Deus : mox sententiam benignus exsequi differt.

Hoc praeceptum non difficile fuisse advertit *Ephr.*, tot arboribus concessis, unica reservata. — LXX tria v. 17 verba scribit numero plurali, ut ad Adam et Evam directa sint concipienda. Sane Evae uti Adamo (cf. 3, 3) divina prohibitio erat observanda ; et in hac narratione numerum quandoque

singularem scribi, ubi et de Eva et de Adamo sermo sit, ostendit 1, 27. Poteris ergo cum LXX supponere, quo tempore Deus praeceptum daret non comedendi fructus, iam exstitisse Evam; non tamen supponere adigeris. Quodsi illud supponas, verbum v. 18 vertendum erit plus quam perfecto : *dixerat autem.* Ita in tota narratione habes, quod Galli vocant « enchevêtrements » : 1, 1-2, 3 habes originis rerum narrationem; 2, 4-7 suppletur accuratior descriptio, quomodo Adam fuerit creatus; at mentio facienda paradisi, in quem induxerit hominem Deus, auctori ansam praebet ad superiora redeundi et 2, 8-15 describendi paradisi, qui ante hominem fuerat creatus; rursum v. 16 sq. recensito praecepto, quod mulieri et viro fuerat impositum, supplet auctor mulieris productionem, quae (ex mente LXX) ante editum praeceptum obtinuerat.

D. Mulieris productio. Gen. 2,18-25.

Clarius aliis pericopis haec se prodit ut complementum Cosmogoniae : verba quippe « non est bonum » utique respiciunt iterata Cosmogoniae effata « vidit Deus, quod esset bonum ». Et ut ibi « bonum » denotat divinorum operum perfectionem, ita h. l. « non est bonum » edicit hominis effectionem nondum fuisse absolutam. Deerat sc. « adiutorium simile eius », quod Deus efficere decernit. Porro divini exsequendi consilii adhibetur praeambulum aliquod, ut adducantur animalia, quibus quidem ab Adam dominii ergo nomina imponuntur, quod quaeritur tamen adiutorium inter illa non reperitur. Postea formata ex Adae costa mulier visione exhibetur, adiutorium agnoscitur, nomine etiam ipsa pro potestate appellatur, describitur matrimonii sanctitas, pro clausula innocentia adumbratur.

v. 18 « *Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum, esse hominem solum. Faciamus* » — *Hebr. Sam. Syr. faciam* — « *ei adiutorium simile sibi* ». *Chald.* כקבלה, *Aq.* ὡς κατέναντι αὐτοῦ, *Symm.* ἀντικρὺς αὐτοῦ, *LXX* κατ' αὐτοῦ. *Hebr.* כנגד, *sicut ex opposito,* in s. scriptura h. l. solum legitur, apud recentiores Hebraeos designat id, quod alteri correspondet seu proportionatur; ergo h. l. mulierem, non solum ut viri similis est secundum sexum. Adiutrix viri est mulier cum societate vitae, tum maxime in opere generationis. v. 19 « *Formatis igitur* » iam ante creatum hominem, nam ad opera hexaemeri priora digreditur oratio, « *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli* », quae volatilia 1,20 nequaquam dicebantur ex aqua, sed h. l. explicite statuuntur de humo esse producta, « *adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* ».

Constructio, qua verbum ויצר ad opera creatione hominis anteriora referatur, plus quam perfecto vertendum, omnino est e genio linguae hebr. meritoque *Del.* provocat

ad Is. 37,5; Ion. 2,4; Zach. 7,2, et *Dillm.* ad Gen. 2,9. Quod autem obiicit *Dillm.*, tum omnia verba v. 18-20 plus quam perfecto fore vertenda, nullam facit difficultatem. Reapse ita verti possunt et fortasse commodius vertuntur. Poteris, si placet, rem ita esse actam concipere, ut primum Deus animalia pridem formata coram adduxerit iisque Adam nomina imposuerit, simul patuerit nullum in illis omnibus Adamo inveniri adiutorem similem sui, unde dixerit Deus « Non est bonum etc. », et, immisso sopore mulierem formaverit. At aliter in narratione singula se excipiunt. Illud sc. narrator in animo habet, non tam ut singula quo ordine obtinuere recenseat, sed ut mulieris referat formationem : hinc v. 18 ab iis orditur divinis verbis, quae divinum formandae mulieris consilium enuntiant, dein v. 19 sq. aliqua parenthetice supplet (*Lamy*), v. 21 narrationem formatae mulieris continuat. — Cur *pisces* non narrentur esse producti nominibusque appellati, ea sufficiens ratio assignari potest, quod in eiusmodi parenthetica animadversione non sit necesse singula quaeque enumerari. Insuper pisces sane non ita homini sociantur, uti plurimae species animalium terrestrium et volatilium.

« *Omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius* ». Fortasse melius cum *Vat.* hanc sententiam praecedenti coordinabis : ut videret, quid vocaret ea, et ut, quod vocavisset Adam animae viventis, ipsum esset nomen eius. Textus igitur sequentia edicit : primum voluisse Deum, ut Adam animantibus imponeret nomina permansura, imponeret pro auctoritate ipsi in animalia attributa (*Ephr.*); secundo nomina ab Adamo imposita non fuisse plane arbitraria, sed profecta ex perspecta singulorum animalium forma, indole vel usu (« ut *videret,* quid vocaret ea »). Profecto non sunt supponenda nomina ab Adamo animantibus indita fuisse diversi cuiusdam et altioris ordinis, quam ea nomina, quae ipse 2,23 et 3,20 uxori imposuit, cum eam « viraginem » appellavit et « vitam » : iam « vitae » nomen licet mulieri vere tribuatur, at non ideo totam eius naturam describit eamque ab omni alio vivente vi nominis discernit : potest quippe vitae nomen etiam viro generanti tribui aut Deo aut animalibus. Ergo cognitio, quam nominum attributio in Adamo supponit, alia non est ab ea quam homines etiamnum habent de variorum animalium indole et usibus, quae cognitio in Adamo utique fuit non acquisita sed infusa. Fuerit amplior nostra, at non fuit diversi seu altioris ordinis. Fuit cognitio animalium naturas definiens ex sensibilibus quibusdam proprietatibus et usibus. Nomina ex ea cognitione derivata, iis quibus variae etiamnum linguae animalia designant affinia, unam aliquam exprimebant proprietatem, quae in animali aliquo non quidem solo sed magis obvie deprehendebatur; uti cum apud Hebraeos asinus nomen nanciscitur modo a rufo colore modo a lento gressu, equus apud Indogermanos a celeri motu. Cf. *A. Delattre.*, La Science Catholique, juillet 1872 p. 677,680.

Perperam *Ios.* putabat, nomina primitus animalibus indita fuisse hebraica : agitur de nominibus linguae primitivae, quae utique hebraica non fuit. — נפש חיה concipiendum est ut appositio; ut inseretur post האדם, non nihil insuetum videtur : sed num ideo tamquam glossa expungendum cum *Ew., Olsh., Dillm.?* qui glossae usus in sententia omnino perspicua? num ita hebraicam linguam callemus, ut, quidquid nobis durius videatur, illico tamquam adiectitium liceat confodere?

v. 20 « *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae. Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* ». Licet animalia coram Adam adducta fuerini ad varios fines, ut pro auctoritate nomina imponeret, ut quibus sibi usibus futura essent perspiceret, tamen adducta h. l. post verba « faciamus ei adiutorium » ideo referuntur, quo intelligas, in ipsis perspexisse quidem Adamum multiplex adiutorium, at non adiutorium כנגדו, suis necessitatibus adamussim correspondens, imprimis necessitati generandae prolis (*Cai.*) : quare idipsum extremo v. 20 repetitur. v. 21 « *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam* ». תרדמה, solum Prov. 19,15 somnum seu torporem mere naturalem designat; 1 Reg. 26,12 et Is. 29,10 significat somnum gravem *divinitus* immissum; Gen. 15,12 somnum gravem adiunctam habentem revelationem. Ergo recte verterunt *Aq.* καταφοράν, *Symm.* κάρον, quae voces somnum gravem denotant adiuncto torpore seu rigore; melius etiam *LXX* ἔκστασιν. Sane non fuit merus somnus naturalis divinitus immissus, quod sentire videntur *Del., Dillm. :* quis enim dormiens erui costam non sentiat cum dolore? Si autem eum, qui chloroformio inducitur, naturalem torporem adstruas, at eo durante nullo modo homo sibi eorum, quae circa membra corporis aguntur, conscius est : verum Adam certe conscium fuisse, testantur verba v. 23. Ergo necesse erit cum *Ephr. Aug.* adstruere somnum adiunctam habentem *visionem,* i. e. somnum visionarium ideoque omnino supernaturalem. « *Cumque obdormisset, tulit unam de costis eius* », — tertiam decimam lateris dextri affirmant *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* — « *et replevit carnem pro ea* ». צלע *latus* significat vel *costam :* hanc alteram h. l. cum versionibus retinendam esse significationem, recte infert *Keil* ex locutione *unam de* צלעות *eius,* quae exprimat *plures* Adamum habuisse צלעות. Certe non possumus cum *Vat.* interpretari « massam quamdam carnis ». Neque fas est cum *Mar.* ex solis verbis v. 23 « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea » inferre, abstulisse Deum costam cum carne. Ubi *Vulg. LXX Chald. replevit,* ibi *Syr. Aq. Symm.* et *Versio Sam.* Hebraeo pressius adhaerentes *conclusit.* תחתנה, pro quo *Sam.* תחתיה, quare perperam illam formam premit *Del.,* facilius vertes *sub* costa seu *in loco* costae (*Syr.* et *Vers. Sam.*), quae auferebatur. Non ergo dicitur Deus produxisse

carnem *pro ea* sc. costa, ἀντ' αὐτῆς, sed res ad oculum describitur. Quod modo extracta costa latus hiaverat, illud iam carne superinducta clauditur; ea caro (בשר sine articulo) fueritne recens producta necne, non affirmatur; multo minus asseritur caro interius in locum costae successisse (*Per.*).

Antiquitus iam hic movebatur difficultas (cf. *Hugo*), quot ante ablatam costam habuerit costas Adam. Si legitimum numerum i. e. duodenas in utrovis latere, ergo postea una dempta fuit mutilus Adam; si tertiamdecimam in alterutro latere habebat, erat monstrum. Arridet pluribus *S. Thomae* solutio, fuisse costam tertiamdecimam, at non ideo superfluam, quippe quae pertineret ad perfectionem Adae, non prout individuum erat, sed prout erat principium speciei. Fuisset tamen nihilominus monstrosus Adam, cum quod in individui organismo ea costa simpliciter abundaverit, tum quod speciei propagandae aliter provisum sit a natura ideoque illa costa tertiadecima tamen sit monstrosum quid. Quare planior est solutio *Catharini*, *Per.* etc., Deum illico in locum ablatae aliam substituisse costam, ita ut et ante et post duodenae essent Adami costae. — Ceterum ad multas, quae hac in re curiose suscitari consuevere, quaestiones optima *Chrys.* responsio, nos solutionem ignorare, unum novisse conditorem. Omnia, quomodo gesta fuerint, adamussim describit *Dr. Bourdais :* La Science catholique 15. sept. 1891, p. 905 sqq.

v. 22 « *Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* ». Bene *aedificandi* vox seligitur, cum secus etiam in scriptura dicatur vir ex muliere sibi aedificare domum (*Malv.;* cf. 16,2). Curiose hic rursum disquirunt, quomodo ex una costa totam mulierem aedificaverit Deus : quod factum non inepte *Est.* comparat panibus a Christo multiplicatis. Qui potuit unum, potuit et alterum efficere.

Cur mulier exhibetur e viri costa formata? Primum, ut exprimatur, unam esse viri et mulieris *naturam* (*Ambr.* de Parad. cap. 10; *M.* 14. 298) : etenim naturae communionem in animalibus Adam desideraverat, eandem mox in muliere agnoscit, ergo ea etiam hoc v. 22 exprimitur. Oportebat omnino ejusdem cum viro esse naturae, quae ex viri costa esset formata. Secundum, quo major esset viri in mulierem *affectus* (*Proc.*), quam veluti ut partem sui consideraret. Tertium, ut Adam constituatur unus *fons* generis humani (*Ambr.*), etiam Evae; ipse *caput*, non liberis solum sed vel uxori damna peccato inflicturus. Alia vide ad v. 24.

« *Et adduxit eam ad Adam* », iam ex sopore suscitatum, uti animalia adduxerat, ut, sicut his conspectis intellexisset Adam deficere adhuc quod quaerebatur adiutorium; ita adducta muliere idem sibi

suppeditari adiutorium perspiceret. Adduxit, quia « uxor ad habitandum cum viro, et non vir ad domum uxoris accedere debet » (*Cai.*); adduxit « e loco, ut videtur, parum remoto, ubi eam formaverat » (*Lamy*); adduxit ut paranymphus : « Sponsam tradit : quia enim Adam quasi pupillus erat et Eva virgo sine patre et matre, qui officium praestarent, Deus patris matrisque functionem obit » (*Severian.*). v. 23 « *Dixitque Adam* » : — id Adamum ex divina inspiratione dixisse, infert *Lamy* ex Matth. 19, 4-6 : at ibi inspiratio explicite de solo v. 23 affirmatur; cf. dicenda ad eum versum. — « *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* ». Ubi *Vulg. nunc, LXX* עתה, ibi *Hebr.* habet הפעם, *Symm. Theod.* ἄπαξ, ergo *hac vice*. Habetur igitur oppositio inter hanc vicem, qua adducitur mulier, et priores vices, quando adducebantur animalia. Tunc desiderabatur eiusdem naturae adiutorium, nunc praesens adest. Ergo expressio imprimis communionem naturae enuntiat, connotat autem simul modum, quo ex osse viri formata fuerat mulier. Advertit *Proc.* inde, quod non dicatur mulier esse anima ex anima viri, effici animas creari, non vero traduce propagari. Vera est ratio, si nonnihil altius repetatur : sc. « os ex ossibus et caro ex carne » expressio est Hebraeis usitata ad cognationem significandam : cum ii igitur semper cognationem ex carne et ossibus repetierint, nunquam ex anima, iure merito inferes persuasum illis fuisse, animas non gigni sed creari. Quaerunt alii, cur anima mulieris non referatur a Deo esse producta : respondeas id reticeri, quod eadem adamussim atque in Adamo ratione fuerit illa effecta.

Expressio « esse de ossibus et de carne alicuius » quosvis necessitatis gradus in scriptura denotat, adhibetur Gen. 29,14 de Laban avunculo et Iacob nepote; Iud. 9,2 de Abimelech et Sichimitis ex eadem urbe oriundis; 2 Reg. 5,1 et 1 Par. 11,1 de David et viris Israel; 2 Reg. 19,12 sq. de David, Amasa virisque Iuda; Eph. 5,30 de spirituali nostra cum Christo cognatione. Similiter Gen. 37,27 Ioseph dicitur « caro » fratrum suorum; Lev. 18,12. 13. 17 connubia cum quibusdam prohibentur, « quia caro est patris tui, matris tuae »; et de quibuslibet hominibus sola naturae communione nobis devinctis dicit Is. 58,7 « carnem tuam ne despexeris ». — זאת vel cum *Chald. Syr.* referes ad הפעם, ergo *hac vice*; sed constructio chaldaizat, tantummodo 1 Esdr. 3,12 legitur, solum הפעם in contextu eundem illum sensum praebet, sententia est manca; vel interpretabere fem. pro neutro cum *Vulg. LXX Symm. Theod.*; vel, quod re idem est, referes femininum ad mulierem, similiter atque duo זאת immediate sequentia.

« *Haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est* » — *LXX Sam. Chald. de viro suo*, addito sc. ה. Perperam ex hoc nomine concludebant aliqui, Adamum hebraica esse usum lingua : voces איש et אשה ita in hebr. linguam transferunt primitivae linguae vocabula, uti

vir et *virago* eadem transferunt in latinam, ἀνήρ et ἀνδρίς (*Symm.*) in graecam. Ergo neque obest, vocem hebr. אשה revera diversae esse ab איש radicis. Nihil de radicibus hebr. nos docet textus, sed id affirmat, in lingua primitiva eiusmodi nomen esse inditum mulieri, quod eius ex viro originem exprimeret, fortasse etiam inter hoc et viri nomen eiusmodi obtinuisse assonantiam, qualis inter איש et אשה deprehenditur. v. 24 « *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* ».

Ante omnia quaeritur, quis haec verba, Deo utique inspirante (Matth. 19,4-6), prolocutus sit, Adam in paradiso constitutus an narrator eventibus recentior. Ubi merito advertunt *Per.*, *Bonfr.*, *Calm.*, rem ex textu definiri haud posse; neque eundem dirimit *Trid.* Sess. 24. Miraberis forte, Adamum, qui nullos adhuc parentes vidisset, de patre loqui et matre : id tamen cum *Chrys.* licebit explanare, ut prophetaverit in his Adam. Plus momenti est in eo, quod monet *Keil*, על כן in Genesi non adhiberi, nisi in ipsius narratoris recitandis glossis : tamen et haec regula exceptiones patitur 20,6 et 42,21, nec est argumentum omnino stringens. — Vocem *duo* hoc versu ignorant *Hebr. Chald.*, norat tamen textus hebr., quem Christus ipse aut certe *S.* Matthaeus 19,5 prae mente habuit; nisi is supponatur, dum textum Gen. 2,24 citaret, vocem ex contextu supplesse, quippe quae contextui omnino respondeat. *Sam.* והיה משניהם, *et erit ex duobus in carnem* seu *caro una.*

Iam videndum de v. 24 cum prioribus nexu. Igitur coniungi is potest cum *praecendenti narratione* productae mulieris (*Cai.*). Et quidem vel cum solo eventu formatae ex costa viri mulieris : sc. quia ex costa Adae prodiit Eva, ideo relinquet homo etc. At eo sensu assertio non est vera : neque enim Adam ideo reliquit patrem et matrem, cum parentes non habuerit, neque eius posteri, dum nuptias ineunt, id faciunt (cf. *Per.*). Vel potius v. 24 coniunges cum tota ea narratione et doctrina in illa contenta : ergo, quia vir et mulier sunt diversi in eadem natura sexus, quia mulier facta est in viri adiutorium, ideo etc. Et hanc constructionem confirmare videtur Christus l. c., qui ante nostrum versum citat Gen. 1,27 : « masculum et feminam fecit eos et dixit : Propter hoc etc. ». At Gen. 1,27 compendio resumit totam narrationem Gen. 2,7-23. Ergo, quia masculum et feminam creavit eos, quia mulier est os de ossibus viri et caro de eius carne, ideo relinquet etc. Idem manet sensus, si v. 24 immediate cum solo *praecedente versu* connectas : « Hoc nunc os ex ossibus meis etc. », cum is, uti demonstravimus, totam praecedentem narrationem brevi quadam formula resumat.

Quod *Vulg.* vertit *et erunt duo in carne una*, id magis ad verbum exprimit *LXX* καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, sensus autem omnino est *et erunt duo una caro;* quod patet cum ex indole linguae hebr., tum

ex authentica Christi interpretatione : « iam non sunt duo, sed una caro », et S. Pauli 1 Cor. 6,16 definientis, idem esse « erunt duo in carne una » et « unum corpus efficere ». « Sicut supra dictum est Adam factum esse in animam viventem, pro eo quod est Adam factum esse hominem viventem, ita dictum est h. l. *erunt duo in carne una* vel *in carnem unam,* pro eo quod est *erunt duo una caro* » (*Per.*). Sensum expressionis quod attinet, ea praeprimis designari usum dominii in corpora concessi, indubie colligitur ex 1 Cor. 6,16, ubi eadem expressio vel de meretricio usu adhibetur; ipsum quoque legitimum dominium h. l. omnino significatione includitur. Quod sponte consequitur rerum ceterarum omnium in coniugibus communio, quam tamen cum *Per., Bonfr.* ipsa expressione designari minus placet; uti neque quam plures adstruunt prolem, in qua nonnisi remotius dici possunt coniuges una caro; eam neque contextus loci neque Christi aut S. Pauli interpretatio includi h. l. postulant.

דבק significat non quomodovis *adhaerere,* sed *agglutinari;* sensu translato adhibetur, ubi quis alteri magno affectu adhaeret, ut socrui Ruth 2,8. 21, regi 3 Reg. 11,2, Deo Deut. 10,20, uxori Gen. 34,3. Ea vox h. l. opponitur *relinquendi* verbo et coniugum unionem primum generalius adumbrat, mox vocibus *una caro* accuratius definiendam. Exprimitur igitur hic duplici ratione, quam arcta sit coniugum unio, cum ipsa voce דבק intimiorem adhaesionem exprimente, tum comparatione parentum cum prole unionis, quae coniugio ineundo dirimatur. Parentes proli copulantur sane non infirmo levive praetextu repudiando vinculo, at illud cedit coniugii vinculo, quod utique firmius sit oportet, imo insolubile. Nam, cum illud solvendum affirmetur, hoc solvendum nullo verbo indicetur, insolubile hoc alterum esse haud obscure demonstratur. Aut quis tandem amor amorem resolvet amore filiali fortiorem? Quae matrimonii indissolubilitas magis etiam illustratur formata ex viri costa muliere : tam individue igitur ad maritum pertinet uxor, quam ad corpus costa : « Sicut carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere iniquum » (*Chrys.* in Matth. 19; *M.* 58.597). Hinc etiam Christus ex narratione Geneseos infert matrimonium non esse solvendum : « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet », et praetendentibus Moysis statuta ait : « ab initio non fuit sic ». — Deum matrimonii auctorem et institutorem tota demonstrat narratio. Monogamia eatenus commendatur, quatenus utique Adae et Evae matrimonium, in paradiso Deo auctore contractum, proponitur ut coniugium numeris omnibus absolutum : unde facile perspiciat quis, perfectiorem esse monogamiam polygamia. Implicite supponit textus, inter parentes et liberos locum coniugio non esse (*Hugo*).

v. 25 « *Erant autem uterque nudus, Adam sc. et uxor eius, et non erubescebant* » invicem (hithpael). Hunc versum, qui utique 3,7 respicit, capitum divisio, quae apud LXX est, ad sequentia trahit. Sane sequentia prioribus copulat, simul descriptionem, quo loco res in paradiso fuerint, absolvit. Erat ea aeris temperies, qua homo vestitu minime indigeret contra frigus aut aeris inclementiam; erat ea morum innocentia, ut concupiscentiam non provocaret conspecta nuditas. Merito iam *Ephr.* quorumdam explodit figmentum, protoparentes infantes fuisse pudoris ignaros : de infantibus, ait, non diceret scriptura nudos fuisse neque erubuisse, non diceret « Adam et uxor eius », non affirmaret Adamum puerum in paradiso esse constitutum, « ut operaretur et custodiret illum »; nomina animalibus et praeceptum protoparentibus imposita ostendunt fuisse maturae aetatis.

Putabat *Cai.* narrationem hanc de formatione mulieris interpretandam esse « non ut sonat litera, sed secundum mysterium non allegoriae sed *parabolae* », argumentis nisus perquam infirmis. Quinimo ne animalia quidem vere ad Adamum adducta esse concedit : « nam adducere animalia coram Adam et non invenire inter ea adjutorium correspondens ei, si secundum literam intelligatur, ridiculam inquisitionem significat : in cujus enim mente verti poterat in dubium, an inter aves inveniretur adjutor correspondens Adae? » Futilis omnino objectio. Quare merito Cajetani sensus parabolicus ab interpretibus omnibus rejicitur. — Verum alia hic solvenda superest quaestio. Clare illud habes ex s. textu, Adamum *visione* conspexisse Deum formantem Evam ex costa : an igitur in sola visione id factum esse censendum est, an praeterea in ipsa rerum natura? Si dicas, Deum revera Adamo costam abstulisse, ea tibi imprimis solvenda erit objectio, Adamum aut ante aut post ablatam costam futurum fuisse mancum. Cujus optimam, quae nobis videtur, solutionem supra tradidimus, Deum sc. immediate post ablatam costam ejus loco alteram substituisse. Utique non cogeris textu defendere, Deum revera costam non exemisse, sed totam rem ad visionem pertinere. Quodsi quaeras, cogarisne defendere, Deum costam revera sustulisse, responsio non est ita plana. Dubitabat *Aug.* (De Gen. c. Manich. 12) : « Sive ergo ista figurate dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt; sed sunt plane mysteria et sacramenta, sive hoc modo quo tenuitas nostra conatur, sive aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem, sunt interpretanda et intelligenda ». Merito item *Caj.* advertit : « Nec obstat, si objiciatur, quod productio mulieris ex costa viri a scriptura narratur per modum historiae seu rei gestae : quia non minus narrantur per modum historiae sex dies naturales cum vespera et mane, et tamen non oportet intelligere opera illa fuisse facta per hujusmodi naturales sex dies ». Profecto solo Geneseos textu haud videmur adigi, ut costam revera et praeter visionem ablatam

esse tenemus. At, inquiunt, id efficit S. Pauli auctoritas 1 Cor. 11, 8 : « Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro ». Quidquid sit de hoc aliisve textibus, quos nostrum non est h. l. discutere, adverte quam exiguo tandem intervallo duae illae sententiae ab invicem dividantur. Altera sc. tenet ablatam esse costam et auferri conspectam in visione, at continuo atque unico veluti interjecto momento aliam in ejus esse locum suffectam; altera in se nihil esse ablatum, nihil suffectum tuetur, visione tamen conspectam auferri costam, quo matrimonii sanctitas et firmitas significetur. Utram libuerit sententiam amplectere.

2. *Historia lapsus.* Gen. 3.

A. Protoparentum peccatum. Gen. 3,1-7.

Arg. — Inducit tentator mulierem, ut intimam non comedendi fructus rationem enuntiet, poenam sc. a Deo propositam : « ne moriamur ».Eam poenam secuturam tentator in dubium vocat, fide Dei verbis denegata : « Nequaquam morte moriemini ». At cur inanes minas confixerit Deus? Suggerit invidiae motivum tentator ludens in vetitae arboris nomine : novit Deus evasuros omniscios, ubi primum comederint. Qua gratuita assertione fidem evertit, ad inobedientiam pellicit illico conscios futuros amissae innocentiae.

Cap. III. v. 1 « *Sed et serpens* » — notus ille serpens (*Vat.*), notus sc. e tentationis historia, ideoque articulo determinatus — « *erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus* ». Absurde statuebat *Ios.*, omnia in paradiso animalia praedita fuisse loquela. Absurde *Mar.* « animantibus omnibus », monet, « suam esse dialectum, qua inter se motus internos explicant ». Esto, ea dialecto dolorem, gaudium etc. exprimant : at quomodo ea dialecto serpens sententiam pronuntiaverit « Cur praecepit vobis Deus etc. »? Verum perperam item *Philo* (De mundi opificio; Legis alleg. lib. II) serpentem interpretabatur voluptatis allegoriam, et *Cai.* putabat vocem *serpens* meram esse metaphoram ad diabolum designandum : quorsum tunc cum reliquis animantibus comparatio? Eccui dubium esse potuit, callidiorem esse satanam brutis animalibus? Perperam *I. Iahn* (Einleitung in die goettl. Bücher des A. B., Wien 1803, II. 1. p. 117 sqq.) fingebat Evam sub arbore sopitam vividissime esse somniatam, somnii vero et vigiliae discrimen nondum expertam somnium marito pro re gesta narrasse. Qui auctor, ut alia taceam, gratuito omnino supponit, brevissimo post creationem tempore secutam esse tentationem, cum tamen, quantum tempus intercesserit, penitus ignoremus. Ergo vox *serpens* initio nostri versus verum et materialem serpentem de-

signat, cum sc. qui 2,19 sq. ad Adam fuerat adductus et ab eo nomine appellatus. Iam hic serpens dicitur ערום, in qua voce utique latet lusus respectu ערימים 2,25, *nudus*. Vertunt *LXX* φρόνιμος, quae vox sapientiae seu sagacitatis laudem habet, *Aq. Symm. Theod.* πανοῦργος, cuius vocis sinister potius est sensus. « Magis igitur ex hoc verbo », inquit *Hier.*, « calliditas et versutia quam sapientia demonstratur ». Tamen vox hebraea de se anceps est : Prov. 8,12 et Iob 5,12 bono adhibetur sensu, Iob 15,5 sinistro. Eandem utique vocem Matth. 10,16 in mente habuit : « Estote ergo prudentes (φρόνιμοι) sicut serpentes », unde colligas serpentes antiquitus apud Hebraeos sagacitatis laude floruisse. Matthaei autem vox omnino laudem sonat, cum ea serpentum « prudentia » imitanda commendetur. Quare cum *Ephr.* praeplacet vocem ערום Gen. 3,1 de naturali serpentis sagacitate potius quam de diabolica vafritie accipere. Cuius mentio ideo h. l. habetur, quod naturalis sagacitas aptiorem exhiberet serpentem, qui instrumentum assumeretur diabolicae fraudis et « organum inimici veritatis » (*Theodoret.*).

« *Qui dixit ad mulierem* » : — Cum evidens sit et ab auctore etiam tamquam evidens supponi debeat, serpentem natura loquendi facultate haud esse instructum, patet per se spiritum aliquem per illum serpentem esse locutum. Quem spiritum fuisse nequam docemur tentatione et consequente divina maledictione. Explicite idipsum confirmat Sap. 2,24 : « Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum »; qui ideo Io. 8,44 dicitur « homicida ab initio » et Ap. 12,9; 20,2 nomen nanciscitur « serpens antiquus, qui seducit universum orbem ». Hebraeis antiquitus notum fuisse diabolum, fuse demonstrat *L. Reinke*, Beiträge II. 272 sqq., licet de eo, uti etiam de immortalitate animae, rarius neque ita explicite loquantur.

Neque tamen adstruere cogeris, ipsis serpentis gutture, lingua, ore, quae humano sermoni edendo penitus sunt inepta (*Per.*), diabolum efformasse verba; sufficit admittere, arte daemonis ita Evae sensus esse affectos, ut vocem e serpentis ore profectam indubie arbitraretur. Cf. *Cyrill. Alex.* Contra Iulian. III, *M.* 76.632 sqq.; *Bonfr.*; *Calm.* Ergo certe in aliqua re mulieris sensus decepti sunt. Serpentem vidit, agnovit, eius sibi alloquium audire visa est : tamen non ipse loquebatur. Ubi sponte nascitur quaestio, an alius praeterea fuerit in muliere sensuum error, an daemon forte non vocem tantum, sed vel ipsam serpentis formam sit ementitus. Quod sensisse videtur *Eugubinus* (Cosmopoeia, Lugd. 1535) et merito defendi posse censet *Reinke* p. 269. Neque dicas, eundem, cuius modo laudabatur sagacitas, iam in scenam produci serpentem. Producitur idem aut re et forma, aut

forma tantum. Nonne idem producitur loquens? At non idem re loquebatur, sed specie solum idem. Scilicet, quod merito adnotat *Reinke* p. 352 et etiam affirmat *Lamy*, auctor « refert factum prout oculis externis proditum est; non agit interpretem, non explicat quis fuerit ille serpens ». Oculis autem protoparentum proditum est factum ita, ut primum formam serpentis adrepentis conspicerent, dein vocem ex eius ore profectam audirent : narrant igitur adfuisse serpentem esseque locutum, neque in ea narratione falsitatis quidquam subest, cum rem, qualis sensibus obiceretur, referant. Leve est illud quoque, quod obiicit *Per.*, verum adfuisse serpentem, quod v. 14 poena in serpentem decernitur. Haud quidquam ea poena in serpentis conditione mutavit, qui iam ante supra pectus gradiretur. Dein quaero, cur ea in serpentem tandem poena feratur : nonne ob tentationis verba, quae specie tantum e serpentis ore profecta erant? Quodsi iuste sententia ferri potuit in serpentem ob illud, quod loqui visus erat, ergo iuste quoque feretur in serpentem, qui non ipse sed specie tenus solummodo adfuerit.

Minus feliciter *Lamy* priora verba ita premit : « Serpens ille vaferrimum se praebuit, quando protoparentes in peccatum induxit ». הָיָה non est necessario de uno aliquo determinato eventu accipiendum neque, si de uno tentationis facto agatur, apparet ratio comparationis adhibitae serpentem inter et reliqua animalia. — Neque placet *Reinke* p. 353 affirmans, ideo serpentem visum esse protoparentibus animalium omnium callidissimum, quod rationalis creaturae instar sit locutus : tum iam nulla erat ratio comparationis cum ceteris bestiis instituendae, nisi supponas protoparentes aut putasse aut saltem suspicatos esse, cetera etiam animalia posse loqui. — Frequenter monent auctores, ideo a *muliere* tentationis initium fecisse daemonem, quod ea magis quam Adam deceptioni pateret : « Adam praeditus sapientia, quam a Deo acceperat, qua etiam nomina indidit rebus, haudquaquam ea fuisset passus quae mulier, si prior a serpente fuisset interpellatus » (*Proc.*).

« *Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* » Quod daemon constanter secunda persona plurali de homine loquatur, prodit eius consilium et mulieris et viri perdendorum (*Cai.*). *LXX* τί ὅτι, *Symm.* πρὸς τί, *Aq.* μὴ ὅτι : sed recte explicant expressionem ellipticam *Chald. Syr. verumne est quod* seu *verene*. Perperam *Cai.* ex voce colligit, alia plura cum muliere locutum esse serpentem, sed haec sola compendio referri : plurane locuti sint necne, textu non docemur neque nostra interest scire. Licet לֹא ... כֹּל sensum induere consuevit *nullus, nemo*, tamen eadem expressio sensum habere absolute potest *non omnis*, et ita serpentis quaestio reapse est ambigua, licet sensus falsus quique Evae provocet correctionem, utique magis sit obvius. « Hoc nimirum daemonis ingenium est ambigue loqui » (*Bonfr.*). Infelicius coniicit *Proc.*, daemonem, quid Deus prohibuisset,

reapse ignorasse. Quaestio est admirantis, cf. Gen. 18,13 : « Verene paritura sum anus? » Admiratio est de nimia severitate seu duritia prohibentis. « Quamvis, quod sub interrogatione profertur, nec verum nec falsum sit, mendacium tamen hic serpens manifeste sibilavit, rem sicut erat se nescire simulans, ut paulatim felle suo miseram audientis venenaret animam,... ut paulatim serpendo venenum odii, quo ardebat ipse contra creatorem, magis ac magis iniiceret homini, et cum aggeratione quasi indigni praecepti conflaret indignationem excitaretque audaciam rebellandi? » (*Rup.*). Merito etiam monet *Aug.*, ideo prohibitionem interrogatione in memoriam revocasse serpentem, quo magis « praevaricatio esset inexcusabilis », quippe quam neque ignorantia legis neque deficiens attentio attenuaret. Dein coarctant serpentis verba humanam libertatem, etiam praeter limites divina prohibitione statutos, quo certius eliciant mulieris responsum : aegre quippe restringi libertatem ferimus omnes (*Cai.*).

v. 2 « *Cui respondit mulier : De fructu lignorum* » — vere secundum sensum *Syr.* addit *omnium* — « *quae sunt in paradiso, vescimur* », i. e. vesci licet (*Per.*); v. 3 « *de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* ». אוּלַי de se nequaquam habet sensum dubii (*forte*), quasi mulier de certitudine poenae secuturae dubitaverit (*Malv.*). Ex verbis igitur colligitur intellexisse mulierem, quam serio Deus eum fructum comedi prohibuerit (*Dillm.*), simulque prohibitionem non reputasse nimis gravem, quippe quae fructus reliquarum arborum omnium edendos concessisset (*Per.*). Arborem vetitam simpliciter describit Eva ut « lignum, quod est in medio paradisi », cum ex 2,9 cum hoc versu collato efficiatur etiam lignum vitae in medio paradiso prostitisse : unam iam in mente mulier habet prohibitam arborem, alterius arboris vix non immemor effecta; fertur quippe in vetita humana mens. Durius aliqui in verbis v. 2 sq. Evam carpunt, speciatim quod non totidem atque 2,16 sq. verbis Dei prohibitionem referat. Quare *Ambr.* (De Parad. c. 12 n. 56; *M.* 14.303) causatur « decolorare » eam divinum mandatum; *Rup.* ait « depravare tribus modis, quibus usque hodie depravare nititur s. scripturam omnis, qui est ex parte diaboli, sc. appositione, diminutione, mutatione ». Quaestio tandem est de verbis *et ne tangeremus illud*, quae 2,16 sq. desiderantur. Quae *Proc.* putat revera a Deo esse pronuntiata, licet 2,16 sq. non referantur. *Ambr.*, *Cai.* censent Evam, quod sibi displiceat, more mulierum exaggerare mandatum. Sapientius *Malv.*, *Lap.* aliique pronuntiant verba ab Eva adiecta esse « ex religione et reverentia divini praecepti ».

V. 4 « *Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini* ». Negatur Dei veracitas una brevi sententia; verbi finiti vis augetur adscripto infinitivo intensivo; negatio non inter utrumque, quod usitatius, inseritur sed utrumque praecedit (*Del.*). v. 5 « *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum* ». Primum daemon removet metum supremi mali, mortis, dein excitat spem insignis plane boni (*Per.*); primum Dei negat veracitatem, dein non caritate sed invidia Deum moveri affirmat (*Bonfr.*). « Mendax enim ipse est, invidus ipse est. Mendax autem sibi similem i. e. mendacem vult facere Deum. Item vere invidus praecepti Dei causam esse invidam audet asserere... Quasi parum fuerit, quod superbiendo Dei similitudinem perdidit, adhuc detrahendo similem sibi Deum asserere praesumit» (*Rup.*). Promittit autem apertum iri oculos mentis (*Cai.*) : « tanta nascetur animae perspicacia, ut merito iudicare possitis, vos hactenus nihil scivisse et quasi caecos fuisse » (*Bonfr.*). De expressione *scientes bonum et malum* vide, quae diximus ad 2,9. אלהים pluralem intellexere *Vulg. LXX*, specialius vero *Targumim* et *Versio Sam.* interpretata sunt angelos; e contra *Syr.* singulari vertit *Deus*, quod confirmari *Malv.* monet v. 22 : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est ». Simul merito advertit *Cai.*, hanc uti alias daemonis voces esse ambiguam : suggerit daemon, gustato fructu vetito fore omniscios sicut *Deum;* revera experti sunt in se ipsis boni malique discrimen, quale experti sunt אלהים, i. e. angeli, et quidem in hoc contextu angeli lapsi.

V. 6 « *Vidit igitur mulier* », — « Ne sententiam videretur praecipitare, accedit propius ad arborem eamque contemplatur curiose » (*Mar.*). « Audierat, quod dixisset Deus : In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini; audierat serpentem e contrario dicentem : Nequaquam moriemini. Inter haec anceps naturam ligni propriis sensibus diiudicare voluit, ut sciret, cui potissimum, Deo videlicet vel serpenti, palmam concederet veritatis. At illi, qui de hoc iudicare debuerant, interiores oculi exteriorum iam erant oculorum concupiscentia praepediti; ut non viderent » (*Rup.*). Quid autem vidit? « *Quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile* ». In ultimo membro reliqui textus repetunt subiectum *lignum*. *Syr.* illud membrum vertit uti *Vulg.; LXX* est anceps; sed *Targumim* et *Versio Sam.* vertunt *desiderabile ad intelligendum* seu *sapiendum;* et ita verti debet *Hebr.* (*Cai.* aliique) ob sequentes rationes. Hiphil השכיל secus nunquam de oculorum aspectu adhibetur; oratio secus esset pleonastica idemque sonaret, quod modo *pulchrum oculis;* nulla appareret ratio emphatice in tertio membro repetiti

subiecti. Quomodo autem haec omnia *vidit* Eva? Egit ipsa, uti agere consuevere, quotquot sensuum testimonio omnia dirimenda suscipiunt. Quod sc. oculis videret lignum aspectu esse delectabile, neque quidquam videret, quo non esse bonum ad vescendum proderetur, iudicavit bonum esse etiam ad vescendum; rursum, quod nihil videret, quo lignum non esse praestiturum scientiam demonstraretur, iudicavit habere reapse virtutem a serpente eidem attributam. « *Et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo* » *secum*, « *qui comedit* ». *LXX Sam.* et *Versio Sam. comederunt*, sequentis sc. vocis ו huc transsumentes. Cf. *Ephr.*

v. 7 « *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus* », « utendo pediculis frondium pro acu et filo » (*Cai.*), « *et fecerunt sibi perizomata* ». Ficum praetulere non ob aliam sane rationem, quam quod aliis arboribus propior adesset. An eadem etiam aptior? Id negant *Kn.* et *Lagarde* (Mittheilungen I. 72 sqq.) : sed nota textum non edicere, ea folia *sapienter* ab Adam ei usui esse adhibita; Deus illico foliis substituit pelles. Gratuito *Mar.* veterum quorumdam resuscitavit opinionem, ficum fuisse ipsam arborem vetitam. Iam totam hanc narrationem ironia quaedam pervadit. Cernitur ea in serpentis promissione apertum iri oculos, quae eo postea impleta est, ut oculi aperirentur ad nuditatem percipiendam; in promissione fore transgressores sicut אלהים, qui dein effecti reapse sunt sicut אלהים seu angeli (lapsi). Et haec quidem in serpentis verbis reperitur ironia; sed est etiam alia, qualis est lusus vorborum inter ערומים *nudi* et ערום *sagax*, et verba Dei v. 22 : « Ecce Adam quasi unus ex nobis etc. ». Eadem ironia initio nostri versus cernitur, ubi ipse pudor conscientiam nuditatis consecutus exprimitur verbis *aperti sunt oculi amborum;* idem h. l. est aperiri oculos et cum pudore conscium fieri nuditatis : non aliam scientiam nacti sunt Dei maiestate contempta (*Theodoret.*). « Ergo accidit eis similiter quodammodo ut pueris, qui priusquam ad rationis usum perveniant, de nuditate minime verecundantur; ubi autem ratio vim discernendi bonum a malo exercere, et ipsi libero arbitrio uti coeperint, continuo de nuditate erubescunt. Quod igitur pueris propter aetatem contingit, hoc illis propter iustitiae originalis praesentiam vel absentiam evenit » (*Per.*).

B. Dei in protoparentes transgressores iudicium. Gen. 3,8-24.

Arg. — Confessione admissi criminis a reis hominibus elicita, primum serpenti Deus maledicit et protoevangelio ruinam praenuntiat,

dein Hevae et Adae poenis impositis tunicas suppetit eosque e paradiso misericorditer dimittit.

v. 8 « *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi* ». *Vocem* קול *Cai.* intelligit Dei loquentis : sed idem verbum 2 Reg. 5,24; 3 Reg. 19,12 de strepitu advenientis adhibetur; unde *Ephr.* scribit « vocem pedum ». At minime ad eum strepitum vox restringitur, neque התהלך necessario dicit *deambulare*, sed solemnem divinae maiestatis incessum, cf. Lev. 26,12; Deut. 23,14 (15); 2 Reg. 7,6. Igitur *Malv.* illud קול interpretatur « levem quemdam sonum advenientis Dei », melius fortasse *Bonfr.* « fragorem quemdam ac sonum inarticulatum, quo non tantum aer resonaret, sed omnia, quae in paradiso erant, ad Dei adventum concuterentur, accommodatum nimirum et ad maiestatem Dei advenientis indicandam et peccatores terrefaciendos ». Unde etiam facilius explicatur Adami et Evae terror se abscondentium, non solum quod Deus offensus adesset, sed quod tanta maiestate adesset. Cf. *Proc.* Ceterum, quod se absconderint, ratio princeps sane erat conscientia admissi sceleris, necnisi secundaria nuditas, quam perizomatibus iam aliquatenus velavissent.

Ubi *Vulg. ad*, i. e. versus *auram post meridiem*, ibi *Hebr.* לרוח היום, quod ad verbum transferunt *Aq. Symm.*; *LXX* τὸ δειλινόν, i. e. tempore pomeridiano. Explicant *Chald.* et *Ps. Ion.* לְמנח יומא, « versus requiem diei »; *Syr.* « vespera diei »; *Theod.* ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, « in aura versus refrigerationem diei ». Hi ergo omnes tempus pomeridianum inter et vespertinum indicant, excepto *Targ. Hier.* « versus robur diei », et *Vers. Sam.* « versus fervorem diei », qui meridiem exprimunt : sed falso, nam tempus meridianum est חם היום Gen. 18, 1, et vespere in partibus orientis aura refrigerat aerem. Sensus autem temporis ita determinandi is est, adfuisse Deum eodem, quo peccasset homo, die, brevi interiecto intervallo, cum tentator serpens v. 14 adhuc praesens adesset.

v. 9 « *Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei : Ubi es?* » « Increpantis vox est, non ignorantis » (*Aug.*). Iudex quodammodo in tribunali assidet Deus; « tamquam loco accusante citat Adam interrogando : Ubi tu? ut ex ipso loco incipiat convinci ad confitendum peccatum suum » (*Cai.*). « Quid factum est? In alio statu te reliqui, in alio te invenio : gloria vestitum te reliqui, nunc in nuditate te invenio » (*Chrys.*). v. 10 « *Qui ait : Vocem tuam audivi in paradiso et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me* ». Timui seu « verecundatus sum » (*Lap.*) « in conspectum tuum venire » (*Bonfr.*) propter nuditatem : sentit Adam, quam indecens sit vel ex parte nudum Dei intrare praesentiam. Ratio vero, cur nunc nuditatem vereretur, quam

ante non erubuisset, utique peccatum erat, cuius aliqua confessio ipse ille timor erat : « timor me invasit ob delictum, latebras quaesivi propter nuditatem » (*Proc.*). Sed eam confessionem non fuisse satis explicitam ostendunt Dei verba v. 11 : « *Cui dixit : Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo* » — *solo* addunt LXX, unde h. l. Patrum Graecorum aliqui, quam facilis fuerit divina prohibitio, amplificant — « *praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* » « Haec ipsa scientia, qua nudum te esse perspexisti, culpa est, quia rapina est » (*Rup.*). Ceterum *Hebr.* duas habet quaestiones : « Quis indicavit tibi, quod nudus esses? » et dein, reo non respondente, pergitur : « An ex ligno etc.? »

v. 12 « *Dixitque Adam : Mulier, quam dedisti mihi sociam* », — עִמָּדִי *mecum*, quod pulchre *Symm.* reddit ἣν συνφκισάς μοι, et *Proc.* monet idem esse atque « adiutorium » 2,18 — « *dedit mihi de ligno et comedi* ». « Antequam diceret *comedi*, scutum defensionis arripuit dicens : Mulier etc. » (*Rup.*). Reapse tam Adam quam Eva voce *comedi* sententiam claudunt, sed ante aliquibus culpam extenuare conantur : Adam in Evam, Eva in serpentem culpam reiicit, Adam illud etiam effert, mulierem sibi ab ipso Deo datam exstitisse causam ruinae. « Peccavi, sed non peccassem, nisi tu mihi talem vitae sociam adiunxisses... Serpens, quem tu creasti et inter nos hic degere permisisti, cui tantum versutiae tribuisti, me decepit » (*Menoch.*). Quas protoparentum excusationes plures cum *Aug.*, *Rup.* severe carpunt, tamquam totidem effugia agnoscendae culpae confodiunt; dum alii cum *Chrys.*, *Proc.* mitius sentiunt. Et reapse erat in illis excusationibus veri aliquid, quod merito extenuandae culpae adhibebatur. Minus graviter peccarat Adam uxoris blanditiis seductus, quam si ipse unus sibi peccati auctor fuisset. Erat efficax quoddam implorandae divinae miserationis momentum, ut ab ea exhiberetur vir muliere seductus, quam ipsi Deus tamquam adiutorium maxime necessarium individue copulasset. Caveamus igitur, ne aequo severius protoparentes nostros carpamus. Facile etiam Dei verba ita cum *Proc.* exponuntur, ut indulgens iudex illorum excusationes non respuerit sed admiserit. Adamo se defendente, quod mulieri fuisset obsecutus, Deus defensionem non respuit sed potius admittit, illico ad mulierem conversus; item ubi mulier serpentem seductorem demonstravit, illico a muliere ad serpentem convertitur Deus. v. 13 « *Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quae respondit : Serpens decepit me et comedi* ».

« Missa muliere festinat Deus ad serpentem. Mirabile vide iudicium. Deceptos interrogat, deceptorem non interrogat. Non, ut ad causam ipsum dicendum cohortaretur, ait : Quid fecisti? sed quasi malum

malique auctorem penitusque incorrigibilem veniaque indignum affatur : Quia hoc fecisti etc. » (*Proc.*). Illi similia vide apud *Ephr.* v. 14 « *Et ait Dominus Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae* ». Non inepte *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* huic narrationis parti verba praefigunt : « Et adduxit Dominus Deus tres istos in iudicium ». Reapse iudicium agitur, et in sententia ferenda a serpente iudex procedit ad mulierem et virum, uti in causa investiganda a viro descenderat ad mulierem et serpentem.

מכל reddunt *LXX* ἀπό ; sed serpenti non maledicitur a reliquis animalibus. *Cai.* vertit *plus quam* ; sed an reliqua animalia maledictioni subsunt? an hic forte iam alluditur ad illud Rom. 8, 20, vanitati subiectam esse creaturam? Nota בין habere significationem primitus *localem* : ergo si cui cum aliis comparato tribuatur qualitas, quam etiam ipsi habent, vertendum *plus quam* seu *prae* ; si cui cum aliis comparato tribuatur qualitas, qua ipsi carent, vertendum *inter* (*Vulg.*).

« *Super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae* », quamdiu vives ; et quod hic de uno illo serpente affirmatur, necessario etiam de tota eius progenie intelligitur, cum quia sunt eiusdem cum illo speciei, tum quia semen serpentis v. 15 explicite effertur. Textum crassius accipientes *Ios.*, *Ephr.* aliique putavere, serpentem primitus pedes habuisse et erectum incessisse. Verum nos non cogi textu adstruere, totam serpentis naturam tam stupendum in modum fuisse mutatam, iam videre *Proc.*, *Rup.* et fatentur recentiores communiter. « Dico ergo, etiamsi haec omnia, quae quasi in poenam contra serpentem decernuntur, fuerint naturalia, tamen ante peccatum non habuisse rationem poenae aut quasi poenae, post vero habuisse » (*Bonfr.*). « Sic iris ante naturalis, post Noe coepit esse signum pacti inter Noe hominesque et inter Deum initi » (*Menoch.*). « Sic Adamo quoque et Evae quaedam deputantur in poenam, quae etiam in statu innocentiae fuerant ipsis naturalia, v. g. uxorem subdi marito, herbis vesci, terram germinare ipsis spinas et alia » (*Tir.*). « Serpens organum hic daemonis in specie sua non peccavit, ac proinde nec nulla ei nova poena imponitur, sed solum in opprobrium est denuntiatio suae nativae maledictionis. Idem fere de daemone, qui non peccavit nisi solito modo tentando ; quapropter non decernitur nova poena. Nam cum sit extra statum viae, quae ille facit, nec ad meritum nec ad culpam ei imputantur, quo fit ut nec ad praemium sint nec ad poenam » (*Gord.*). — Neque textus edicit, serpentem uti terra seu *pulvere* (עפר) pro cibo. Dicitur quidem « serpenti pulvis panis » Is. 65,25 vel in statu paradisi restituendi : sed id aliud non est nisi « lingere pulverem », quod Mich. 7,17 de serpentibus, Is. 49,23 de iis praedicatur, qui coram

aliis humi prosternuntur. Lingere vero pulverem ideo specialius serpentes dicuntur, qui os et linguam semper humi depressa gestent. Ob idipsum dicuntur comedere pulverem, quia scriptura h. l. uti in Cosmogonia res naturales describit, quales obtutui obiiciuntur : iam videmus serpentes carnibus et herbis non vesci; quibus vescantur, non videmus; os continuo prope terram gestare, quo pulverem frequenter hauriant, videmus; quod sufficit, ut dicamus illos terram comedere. Quo modo *Proc.* quoque : « videmus », ait, « reptilia omnia vesci terra ».

Putavere aliqui, v. 14 sq. unice dici de diabolo, nullatenus autem de vero serpente, hinc narrationem totam quantam esse figuratam, metaphoricam : ita *Aug.*, *Hugo*. Imo *Rup.* exinde, quod serpentes etiam ante lapsum pedibus caruerint, infert verba « supra pectus tuum gradieris » de solo diabolo, minime vero de serpente intelligi oportere. Sed sermonem etiam esse de ipso serpente, demonstrat contextus inde a v. 1. Neque obiicias, serpentem animal irrationale puniendum non esse : punitur ut instrumentum diabolicae nequitiae. Sic pater ensem comminuit, quo filius occidebatur (*Chrys.*). Cf. *Iac. Edess.* Dicuntur ergo haec omnia et de serpente et de diabolo, de serpente ut instrumento visibili, de diabolo ut agente invisibili, de serpente proxime et immediate, de diabolo mediate et per ἐπικεῖαν, sensu non allegorico neque metaphorico sed quodammodo concomitante. Cf. *Bonfr.*, *Mar.*, *Tir.*, *Lap.* etc. Hinc ne singula diabolo applicare coneris, ne exponere nitaris, quomodo ille super pectus gradiatur, terram comedat etc. Sufficit generalior quaedam similitudo : maledictus est uti serpens, ita etiam diabolus; abjectio serpentis in pulvere adrepentis adumbrat abjectionem daemonis de coelo ad ima delapsi; inimicitiae ad diabolum longe verius spectant, quam ad serpentem.

v. 15 « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* ». Vertendum *ipsum* sc. semen, aut *ipse* sc. personificando semen.

Primum nota, genuinam *Vulgatae* lectionem esse *ipsa*, i. e. hanc vocem ab ipso S. Hier. esse profectam, non vero librariorum incuria irrepsisse. Sensus vero, quem ea lectio suggerit, et argumenta dogmatica, quae eidem innituntur, *vera* manent, etiamsi Hebr. *ipse* aut *ipsum* vertendum esse demonstretur, cum quia sensus dogmaticus versione authentica expressus falsus esse nequit, tum ex subiecta materia, quia sc. seminis triumphus necessario etiam mulieris triumphus sit oportet : vincente ipso vincit ipsa. Cf. *Verc.* — Nota porro, genuinam *LXX* lectionem esse αὐτός, quod ipsi personnificatione ad τὸ σπέρμα referunt; non αὐτό, quod solus habet *Theophil. Antioch.* (ad Autol. II n. 21; *M.* 6. 1085). Neque dicas ex αὐτό σου corruptione oriri potuisse αὐτός σου, nam secundum leges criticas praecise haec altera lectio, quod sit difficilior, tamquam genuina est retinenda. Cf. *Reinke* II. 207.

Iam *Hebr.* הוּא verti oportere *ipsum* aut *ipse*, sequentes efficiunt rationes (cf. *C.*

Passaglia, De immaculato Deiparae semper Virginis conceptu n. 978 sqq., Romae 1854).

1) *Masor.* punctavere masc. הוּא. Neque officit in tanto codicum numero inveniri duos qui legant הִיא (*Rossi* in Append. et Schol.), aut *Maimoniden* (ib.) scribere *Eram* vincere serpentem : vel codice mendoso utebatur ipse vel, quod planius, sensum explicat, et quidem vere; non recitat lectionem. Verum est, maxime in Pentateucho הוּא frequentius scribi pro feminino Gen. 3, 12. 20; 4, 22; 7, 2; 20, 5; 38, 25; Lev. 2, 15; Num. 5, 13 sq.; at tum punctatio semper est הִוא, non הוּא.

2) Pronomen הוּא h. l. excipit verbum formae masc. יְשׁוּפְךָ et, si dicas haud raro subiecto fem. copulari verbum formae masc., at sequitur h. l. suffixum נָּ—, quod nunquam nomini fem. adhibetur (*Reinke* p. 252). Quae si simul attendas, perspicies utique, subiectum masc. habere in mente scriptorem nostrum, sc. זֹרַע.

3) *Sam.*, qui testis ceteris omnibus antiquitate praestat, v. 12. 20 scribit quidem הִיא, ubi *Hebr.* habet הוּא pro fem.; at v. 15 formam masc. הוּא retinet.

4) Ne ipsa quidem *S. Hier.* auctoritas absolute pro versione *ipsa* invocari potest. Quam quidem in sua nova versione praefert. Verum ante in Quaest. hebr., textum Italae retractans : « habet *in Hebraeo* : Ipse conteret caput tuum, et tu conteres eius calcaneum; quia et nostri gressus praepediuntur a colubro, et Dominus conteret satanam sub pedibus nostris velociter » (cf. Rom. 16, 20).

5) Tria *Targumim* interpretata sunt הוּא masc.

Verbum שׁוּף utique, quantum iudicare valemus, duplicem admittit significationem *conterendi* et *observandi* seu *insidiandi*. Debet tamen idem verbum in utroque sententiae membro eadem ratione reddi.

Sola *Vulg.* diversa exprimit ratione : *conteret*, *insidiaberis*. Sed ex modo laudato S. Hier. effato fas nobis videtur inferre, putasse egregium doctorem verius utique verti utrobique *conterere*; at noluit idem in textu omnium notissimo a forma recepta penitus recedere ideoque retinuit vocem *insidiaberis*, Italae usu consecratam. Idque egit tanto facilius, quod sentiret durius dici serpentem *conterere* calcaneum hominis; quod item sentiens *Syr.* altero membro mutavit verbum : ביתחיניהי *vulnerabis eum*.

His igitur praemissis, Sancto Hier. in praeferenda significatione *conterere* accedunt *Aq.* προστρίψει, *Symm.* θλίψει, *Syr. conteret* et *vulnerabis*, *Vers. Sam. percutiet* et *percuties*. Stant ex adverso *LXX* τηρήσει *observabit* et τηρήσεις *observabis*, *Chald.* דכיר *observans* et נטר *observans*, cui consentiunt *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* adhibita radice כוּן *studere*. — Editio quidem Complut. LXX habet τειρήσει *conteret*, et τειρήσεις *conteres*; quam lectionem crediderim ad imitationem Vulg. irrepsisse. At unum hac lectione docemur : cum praesto non esset in lingua graeca verbum, quod idem et *conterendi* et *insidiandi* indueret significationem, illud LXX selegere verbum τηρέω, quod unica vocali mutata ad *conterendi* significationem transferri posset.

Altero textu occurrit verbum שׁוּף Iob. 9, 17 : « in turbine enim *conteret* me », ubi *LXX Chald. Syr.* Vulgatae assentiuntur, contradicente nemine. Tertius et ultimus textus est Ps. 138 (139), 11 : « Forsitan tenebrae *conculcabunt* me », ubi Vulgatae consentit *LXX* καταπάτησεν; sed altera lectio LXX cum *Symm. Chald.* sensum *obscurandi* exprimit, qui utique unicus contextui correspondet; unde diversi diversa ratione textum emendare studuerent. — Pro conterendi significatione merito etiam appellatur Rom. 16, 20, quem versum scribens S. Paulus protoevangelium creditur in mente habuisse : « Deus autem pacis *conterat* (συντρίψει) satanam sub pedibus vestris velociter ».

Sane, si testes hos pensemus, fateri cogimur, utramque et *conterendi* et *observandi* significationem solida auctoritate radici שוף attribui. Ubi perperam aliqui utramque significationem ex radice שאף vel נשף *inhiare* derivare studuerunt, cui cum radice שוף vel שפף nihil videtur esse commune. Utramque tamen significationem huic radici competere, nihil est quod dubitemus. Adverte, *Chald.* Iob. 9, 17 ad eam exprimendam uti radice דקק, quae a significatione *tenuem esse* profecta duplicem induat significationem *comminuendi* seu *conterendi*, et *minutim* seu *attente faciendi* et hinc *studendi*. Habes hic in una radice coniunctas significationes *conterendi* et *studendi* seu *observandi* seu *insidiandi* : cur non utramque radici etiam שוף concedamus?

Tandem utraque significatio pro nostro textu non solum admitti *potest*, sed etiam *debet* : sc. si alterutram a s. scriptore primarie adstruas fuisse intentam, illico alteram etiam veram esse legitima conclusione demonstrabis. Etenim perpetuae in perpetuis inimicitiis *insidiae* concipi nequeunt, quin semel saltem vel iterum aut hominis calcaneus vulnerari aut serpentis caput *conteri* concedatur; sed neque *conteri* alteruter potest in tam perpetuis inimicitiis, nisi *insidiae* praecesserint, ex insidiis quippe pugnare serpentis maxime proprium est neque homo ita facile, nisi attente prius serpentem observaverit, eius conteret caput.

Utramque significationem unica ad instar textus hebraei voce versiones exprimere non valuere; quare omnibus perpensis videtur nobis tandem Vulgatae versio *conteret... insidiaberis* ceteris felicius Hebraei sensum exprimere. Etenim duplicem effert significationem radicis propriam, dum reliqui alterutram tantum enuntiant. Apte autem *conteret* de semine dicitur *lethale* vulnus capiti inflicturo, dum serpentis morsus, quod lethales non sint, *insidiae* potius sint, non clades. Cf. *F. X. Patritii* S. I. de Interpretatione Scr. S. II. 46 sqq., Romae 1844.

Alia quaedam notanda. *Serpens* idem omnino erit intelligendus, qui antea : ergo serpens oculis conspectus, auribus auditus, idem simul diaboli instrumentum intus latentis. Ridicule igitur *Ios.* serpentem interpretatur mere materialem, cui Deus iam indat venenum indicatque perpetuas cum homine inimicitias, eius caput impetituro, in quo insit veneni vis. Venenosus fuisse ille serpens gratis asseritur : venenosum fuisse ante tentationem, nihil est quod affirmes; neque talem post tentationem factum esse quidquam indicat, cum v. 14 eius serpentis naturam immutatam relinquat.

Similiter *mulier* האשה eadem omnino, quae in hac tota narratione, erit intelligenda; eadem, quae v. 1. 2. 4. 6. 12. 13. 16 hoc nomine designatur; eadem, quae v. 9. 17 אשתי et אשתך, *mulier eius* et *mulier tua* audiebat; ergo utique Eva. Nihil est, cur exegeta asserat, in hoc האשה articulum esse « emphaticum ». Neque cum *Lamy* obiicias, sermonem hic esse de muliere diaboli inimica futura, Evam autem peccato factam esse diaboli amicam. Facta est utique peccato amica, sed protoevangelio constituitur eidem inimica : promissione salutis recipiendae Eva cum toto genere humano ad certamen contra diabolum redintegrandum provocatur.

אויבה aiunt in Scripturis de solis *inimicitiis* eorum, qui ratione prae-

diti sint, usurpari (*Pass.* n. 889). Apte omnino vox h. l. scribitur de inimicitiis cum eo serpente, qui modo esset locutus atque ita latentis in se rationis indicia dedisset. Monetque *Ephr.*, has inimicitias opponi « fictae caritati », quam in tentatione simulaverat serpens. Quod inimicitiae asserantur serpentem inter et Evam, non sequitur, ab iisdem excludi Adamum : sed de sola muliere est sermo, quia hanc solam immediate serpens deceperat et quia Dei sententia eodem, quo tentatio, procedit ordine, a serpente sc. ad mulierem, a muliere ad virum.

Semen mulieris est tota mulieris posteritas, totum genus humanum. Is est obvius expressionis sensus, ita dicitur semen Abrahae etc. Notat *Reinke* p. 242, in uno v. 15 vocem *semen* aut utrobique collective, aut utrobique de individuo esse accipiendam, non vero modo de collectione et modo de individuo. Cum ergo semen serpentis certissime sumatur collective, ergo item semen mulieris. Conveniebat praeterea, ut de seminis universi fatis edoceretur Adam, qui non ignoraret a divini in paradiso mandati observatione vel neglectu universi seminis fata pendere. Quare in hanc seminis collectivam interpretationem iam « conspirant nostri temporis exegetae fere omnes » (*M. Flunk S. J.*, in : Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1888 p. 315). Quandoque sensu translato aliqui dicuntur semen, non quod carne geniti sed quod spiritu quodammodo cognati sint, uti Is. 1,4 « semen iniquorum », Matth. 3,7 « progenies viperarum » (cf. Rom. 4,16). Sed is sensus translatus probandus est, non supponendus, h. l. autem est minime necessarius. Vides iam, *Christum* quoque seminis mulieris ambitu concludi; at non solum Christum. Vulnus siquidem, quod serpens seminis calcaneo infligit, imprimis est peccatum; peccatum autem in Christo non est.

Iustos omnes semini mulieris accenseri habes ex *Iac. Edess.*, *Chrys.*, *Hier.*, *Hugone* aliisque pluribus. Christum non excludi per se patet et ab aliis explicite affirmatur. Ita *Irenaeus* (c. Haer. III. 23; *M.* 7. 964) : « Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem et semen eius, observantes invicem : illo quidem, cui morderetur planta, et potente calcare caput inimici; altero vero mordente et occidente et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae ». Et IV. 40 (*M.* 7. 1114) : « Inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo et calcans eius caput ». Neque alii, qui de solo Christo explicite loquuntur, ideo censendi sunt ceteros excludere, v. g. *Iustin.* (c. Tryph. n. 100; *M.* 6. 712) : « Ex hac (Maria) ille genitus est, de quo tot scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat, eos autem, qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat ». Cf. *Isidor.* Pauci profecto sunt, qui semen mulieris de solo Christo interpretari videntur. *Cypr.* (Testim. c. Iud. II. 9; *M.* 4. 704) : « Hoc semen praedixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli, in Genesi ». *Epiphan.* (Adv. Haer. III. 2. 18 sq.; *M.* 42. 729) : « Atqui

nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest : unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille et, qui in serpente inerat, invidia flagrans diabolus exercet... Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam (Evam) universa nequeunt, sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae ab sola Virgine Maria sine ulla viri consuetudine propagata est, reapse ac penitus impletur ».

Hinc patefit, quam apte semen dicatur *mulieris*, cum secus patri attribuatur (v. g. Abrahae), non matri. Dei iudicium procedit a serpente ad mulierem, a muliere ad virum : v. 15 serpentis ad mulierem, v. 16 mulieris ad virum rationem explicat : ergo viri mentio a v. 15 exsulare debet. Generatim porro posteritas quaeque etiam est matris semen, licet pleniori sensu patris sit. Ubi vero is, qui in posterorum numero ceteris futurus est clarior et communi hosti funestior, partu edendus est virgineo, ibi totum etiam semen longe aptius mulieri prae viro attribuitur.

Semen serpentis proxime est progenies serpentis istius materialis, universi illi eiusdem speciei serpentes, qui super pectora gressuri terramque sunt comesturi. Inimicitiae vero, quae inter hos serpentes et semen mulieris praenuntiantur, eo maxime consistunt, quod serpentum familia cum ob affinitatem cum aliis venenosis reptilibus, tum ob memoriam fraudis in paradiso commissae hominibus sit perquam exosa. Praeterea vero uti v. 14, ita etiam v. 15 mediate diabolum spectat; et quod ibi dicebamus, verba generaliori tantum ratione ad daemonem referri eiusque demonstrare abiectionem, quin expressiones « super pectus gradiri », « terram comedere » in illo distinctam patiantur applicationem, idem de v. 15 erit asserendum. Imago a serpentis semine petita non est nimium quoad singula premenda, daemonis fatum generaliori ratione adumbrat. Serpentis semen praeterea intelliguntur reliqui daemones sensu translato, quod sc. non proprie ex illo sint geniti, sed malitia illi sint cognati. Neve obiicias, cum semen mulieris intelligatur sensu proprio, non posse in eodem contextu semen serpentis sensu translato accipi : quod semen reapse intelligitur sensu proprio, quatenus ad veros serpentes refertur, et hoc sufficit. Convenienter igitur semen serpentis interpretabimur, praeter veros serpentes, daemones universim. — At num mali etiam homines serpentis semini accensendi sunt? Id omnino repudiandum videtur, quod ii iam mulieris semine includantur, et quidem ea illius parte, quae serpentis morsus patiatur. Perfectae autem inimicitiae inter utrumque semen concipi nequeunt, si magna, imo maior seminis mulieris pars constanter supponatur ad seminis serpentis partes transfugere. Mali homines licet aliis scripturae locis semen diaboli dicantur, h. l. non daemonis semini sed eius victimis adnumerantur.

Mox vero a serpentis semine ad unum serpentem redit oratio, cuius caput conterendum affirmatur, cum quia in illum unum praesentem

ferenda est iudicis sententia, tum quia in illo uno tamquam principe conteruntur omnes, omniumque cladibus ille unus etiam prosternitur. Regi quippe et victoriae et clades omnes attribuuntur. Unde etiam solvitur difficultas, quam suggerit *Lamy*, eundem illum unum serpentem conterendum scribi non a muliere sed a semine mulieris, conteri primum ac postea adhuc mordere. Ex opposita parte solum semen mulieris, non ipsa mulier, contriturum asseritur serpentis caput : vincit sc. in semine et cum semine mulier (*Vulg. ipsa*), sed pugnae et victoriae non ita feminis adscribi consuevere. Ceterum illud certe etiam habet textus, plus ad victoriam collaturum esse semen, quam mulierem i. e. Evam, et protoparentum unam victoriae spem in semine esse.

His praemissis textus ipse superest exponendus, et quidem adhibita primum verbi שוף significatione *observandi, insidiandi* tantum. Igitur instituuntur inimicitiae perpetuae genus humanum inter et serpentem; perpetuae inquam, i. e. duraturae quamdiu durabit semen mulieris in ea, quae nunc est, conditione rerum, et quamdiu durabit una genimen serpentis materialis, ergo usque ad finem mundi. Instituuntur veri nominis *inimicitiae*, foederis nesciae, quales inter hominem sunt et colubrum, quae partis adversae non quodlibet damnum, sed quam fieri possit maximum, imo lethale intendant; inimicitiae, quae ex horrore procedant non adventitio ideoque abdicando, qualis hominem ab homine dividit, sed natura insito, ineluctabili. Ex inimicitiis nascuntur *insidiae*, quarum descriptio serpentis naturae adaptatur; supponit sc. narratio minorum serpentum aliquem, anguem, colubrum, non immanium illorum, qui totum hominem circumplectantur et suffocent. Insidiae igitur in eo sunt, ut homo observet caput serpentis, quod opportuno momento impacto calcaneo conterat, serpens autem observet calcaneum, quem demissum aut evadat omnino aut sublato capite mordeat. Verum haec insidiarum ratio simul continet victoriae ab homine reportandae et exitii serpenti infligendi explicitam promissionem. Ubi recolas, quod supra monebamus, nihil esse in textu, quo serpentem venenosum adstruere permittamur. Igitur serpens loco omnino iniquiore constitutus cernitur, caput continuo periculo obiicit, nonnisi ad calcaneum pertingere valet. Quid tandem, si votis omnibus potiatur, efficiat? vulnus haud lethale calcaneo infliget; homo e contra, ubi semel caput attente observaverit, calcaneum fortiter impegerit, contrita cervice interimet. At qui perpetuo certamine loco omnino iniquiore contenderit, nonne is necessario prosternetur? nonne aliquando tandem in tot saeculorum lucta hominis calcaneus in serpentis cervicem certo ictu descendet? Vides, in locis vel

maxime a serpentum genimine infestatis semen mulieris pedetentim superare serpentesque exterminare : at horum serpentum fata serpentum spiritualium fata praesagiunt. Meministi, serpentes e numero eorum esse animalium, quae Gen. 1,26 creator hominis dominio subiecit neque post lapsum eidem dominio subtraxit : vel istud igitur, ut daemonis fata describantur imagine petita ab eo animali, quod homini Dei voluntate subdatur, demonstrat hominem e lucta cum serpentis semine victorem esse proditurum. Accedit tandem, inimicitias illas decerni in daemonem tamquam *poena,* tamquam pars eius maledictionis praecipua. At quaenam in hoc cernitur poena, ut spiritui illi rebelli perpetuae promittantur inimicitiae, nisi certa simul clades exhibeatur?

Igitur v. 15, etsi solam *insidiandi* significationem verbo שוף supponas, verum est protoevangelium promissionem habens obtinendae aliquando completae contra daemonem victoriae; vel ex perpetuis futuris insidiis sequitur serpentis caput aliquando fore conterendum. Ex quo inferas, *conterendi* significationem, quae verbi שוף aeque, imo fortasse magis est propria, reapse h. l. a s. narratore fuisse intentam.

Ea autem admissa significatione textus evidentius etiam est protoevangelium. Non iam insidiae describuntur inimicitias secutae, sed in mediam inducimur luctam. Neque unus tantum eius luctae eventus fortuito quasi seligitur, sed summa totius certaminis oculis proponitur, ut genus quidem humanum aliquod neque tamen lethale patiatur damnum, serpens e contra exitialem omnino stragem.

Promittitur ergo textu perfecta de daemone victoria a mulieris semine reportanda : victoria perfecta denique, non tamen vulneris in semine expers, mordebit quippe serpens calcaneum. Illa porro victoria, perpensis textus verbis, duplici ratione cogitari poterat : vel ita, ut totum semen collective spectatum, omnes pari gressu posteri in eam victoriam essent conspiraturi; vel ita, ut post continuum et fortasse incertum certamen *unus* tandem e semine pro omnibus potiretur victoria. Prior illa spes, si unquam priscorum mortalium animis inhaesit, mox tristem in modum defecit, conspecto Caini scelere totque aliorum post ipsum miserrima ruina (*M. Flunk* l. c. p. 316). Quare primi aevi homines verbis protoevangelii cum factis evidentibus comparatis adigebantur ad salutem ab *uno* aliquo Evae postero exspectandam. Quod egregie confirmat tot gentium de promisso protoparentibus redemptore unanimis traditio. Sunt etiam in Dei verbis 3,15 aliqua, quae huic sensui favent : victoria vi verborum semini promissa prae Eva; vulnera, quae si in ipso triumphatore non reperirentur, illustriorem efficerent victoriam. Cum vero tam inimicitiae quam victoria sint a Deo *positae* seu decretae, Dei auxilium speciali prorsus ratione aderit redemptori;

ipse Deus fictae serpentis amicitiae veras substituet inimicitias, hominemque peccato inimicum sibi effectum in perfectam per redemptorem recipiet amicitiam. Igitur textus cum antiquissimis factis collatus clare demonstrabat unum venturum redemptorem.

Messianicum hoc vaticinium etiam reputabat *Chald. : Et inimicitias pono inter te et mulierem, et inter filium tuum et filium illius. Ipse observabit ea, quae tu ei fecisti ab initio, et tu eum observabis in fine.* Igitur *caput* et *calcaneum* interpretatus est Chald. *initium* et *finem;* pro שוף utitur significatione *observandi, recordandi* ; pro nomine collectivo *semen* substituit individuale *filius.* Ipsum Messiae nomen habet *Ps. Ion. :* « Et erit, quando observabunt filii mulieris praecepta legis, studebunt percutere te in caput tuum; quando vero relinquent praecepta legis, studebis mordere eos in calcaneis eorum. Verum erit medicina eis, tibi autem non erit medecina, quia ipsi facturi sunt contritionem (שפויתא) calcaneo in diebus regis Messiae ». *Studebunt, studebis* respondet formis verbi שוף accepti significatione *observandi.* Eandem paraphrasim tradit *Targ. Hier.* cum aliquibus additamentis, quae omittere possumus praeter ultimum. Videtur sc. non intellexisse verba שפויתא בעקבא. Et illud quidem derivabat a radice שפי, significatione non *conterendi* sed *quietum esse,* hoc autem cum *Chald.* accipiebat sensu translato *finis.* Ultimum igitur incisum hac explicavit paraphrasi : « quia ipsi alter alteri facturi sunt pacem בעקבא (i. e.) in extremo fine dierum, in diebus regis Messiae ». Quos testes si attente perpenderis, facile perspicies veteres Hebraeos communiter protoevangelium interpretatos esse de Messia venturo. Unde pronum erit inferre, illud etiam αὐτός apud *LXX* non merae prosopopoeae esse tribuendum, sed inde explicandum, quod LXX quoque in *semine mulieris* unum aliquod distinxerint individuum. Ad quorumdam autem exceptionem, si textus messianicus esset, futurum fuisse ut a Christo et apostolis citaretur, respondeas promissionem seminis mulieris magis determinatam fuisse sequentibus promissionibus seminis Abrahae et Davidis, quas utique Christus et apostoli citabant.

Paucis tandem protoevangelium cum dogmate de *immaculata Virginis conceptione* conferre placet. Ubi primum lectio Vulg. *ipsa* argumentum praebet non quidem scripturisticum, at verum et certum, cum ea plenam de serpente victoriam *mulieri* etiam tribuens falli nequeat, simulque documentum sit fidei ecclesiae antiquioris, sine qua illa lectio praevalere minime potuit. Patres ecclesiaeque scriptores docentes oraculo Gen. 3,15 « clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis redemptorem, ac designatam beatissimam eius matrem V. M., ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas », licet sensus literalis limites quandoque transcendant, certum et ipsi praebent fidei ecclesiae documentum. Et nota, Bullae Dogmaticae verba « clare aperteque » iungi utique verbo « praemonstratum », sed non necessario iungi alteri verbo « designatam ».

Examinaturi porro, quaenam ipsi textui insit probandi vis, ad librum convertimur *I. B. Malou,* episcopi Brugensis, qui in perpolienda

Bulla utilissimam ipse navavit operam : L'Immaculée Conception de la B. V. M., Bruxelles 1857, I. 248 sqq. Protoevangelium igitur explicaturus hoc praemittit axioma : « Ante omnia firmiter persuasum habeamus oportet hoc principium, eam esse divinarum prophetiarum indolem, ut tanto sint obscuriores, quanto sint antiquiores. Quarum pleraeque cum tempora respiciant ab iis, quo ipsae ortae sunt, remotissima, providente Deo spissiore primum velo obteguntur, illustrandae saeculorum decursu aut novis, quibus evolvantur et explicentur, oraculis aut, quibus impleri incipiant, eventibus. Hinc fit, ut, quod ab incunabulis videbatur densissimis tenebris obvolutum oraculum, ubi primum impletum sit, clarissima luce fulgeat ». — Hoc igitur stabilito axiomate, quid protoparentes verba Gen. 3,15 audientes intellexerint, explorat, pronuntiatque intellexisse futuram mulierem aliquam cum filio perfectam de serpente victoriam nacturam. Id efficit supposito *Vulgatae textu :* verum protoparentes non utebantur Vulgata, non legebant *ipsa*, האשה non vertebant « une femme ». Novit utique Malou textum hebraeum, sed illud *ipsa* pronuntiat sensum exprimere, « qui certissime insit literae, et ab universo contextu magis etiam quam a litera indicetur ». Immaculatam conceptionem protoparentes intellexisse non affirmat. — Tandem, quid nos eadem verba audientes intelligere debeamus, disquirit : sc. mulierem esse Mariam, filium Deum incarnatum; contrito serpentis capite exprimi cum gratiis reliquis etiam immaculatam conceptionem; inimicitias vero, quod intelligendae sint absolutae, explicite edicere eandem conceptionem. Haec vero laudatus auctor eruit non e solo textu, sed ex eodem cum posterioribus prophetiis, locis parallelis Patrumque effatis comparato. De quibus nobis h. l. non est dicendum.

v. 16 « *Mulieri quoque dixit :* » — copulam initio versus legebant, cum quibusdam codicibus hebr. et chald., *Vulg. LXX Syr. Sam.* estque ea fere necessaria, cf. v. 17. Maledixerat serpenti, maledicit v. 17 terrae, non maledicit neque mulieri neque viro : sententia misericordiae est (cf. 4,11). « Nec mulierem ita exsecratur, ne pariat omnino. Ante enim benedictionem dederat : Crescite et multiplicamini. Sunt autem eiusmodi Dei dona, ut eorum ipsum non poeniteat » (*Severian.*). Sequentes poenae mulieris propriae sunt prae viro, imo eam attingunt speciatim qua uxor est (*Cai.*); praeter has easdem etiam poenas patitur quas Adam, in quo non sexus consideratur sed natura. « *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos* ». Non : aerumnas tuas, et inter has potissimum conceptus (*Del.*); sed est hendiadys, ergo aerumnas conceptuum (*Per.*). *LXX* pro *conceptus* habet στεναγμόν, *gemi-*

tus, contra omnes. עצב non est necessario *aerumna, dolor,* λύπη, uti neque sequens עצבון (cf. v. 17 et 5,29), quod *laborem* dicit, πόνος. Qui labor utique, si augeatur, in aerumnam transit et dolorem, uti reapse fit in mulierum partubus. Sed tenore verborum obtinet hic, quod v. 14 monebamus, non tam novum aliquid in poenam imponi, quam quae ante fuissent, partus labores virique dominium, elevari in permanens signum et hinc poenam admissi delicti. Quae utique accedente iam ignorantia corporibusque in morbos pronis plurimum habitura erant doloris. *Hebr. multiplicans multiplicabo,* « i. e. plurimum et certissime multiplicabo » (*Lap.*). Ex ea, quam modo adstruebamus, hendiady patet, non necessario e textu erui, quod post *Ephr.* voluere non pauci, futuros esse post lapsum partus *numero* etiam plures, quam ante fuissent. Tamen is sensus textui congruit. « Mulier quanto foecundior, tanto aerumnosior », inquit *Rup.* idque explicat *Per.*, quod operosius sit numerosiorem educare prolem, quod ubi plures conceptus, ibi plures sint abortus, deformia plura et infirma, et quod in maiore numero natorum minor sit numerus electorum. — Iam, quod modo dictum fuerat, repetitur : « *In dolore paries filios* », seu *in labore* (cf. v. 17), « *et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* ».

תשוקה h. l. (cf. 4,7) certe designat mulieris *affectum* in virum, Cant. 7,10 (11) viri in mulierem. Quod *Vulg.* scribit *potestas*, explicationis potius tentamen est quam versio : in Quaest. Hebr. *S. Hier.* vertit *conversio.* Quem sensum ubique exprimunt *LXX* ἀποστροφή, item *Theod.* ad. 4,7, ubique *Syr.* usus radice פני, *Chald.* 4,7 paraphrasin describens verbo תוב *reverti. Versio Sam.* eandem vocem vertit *conversio.* Sed Gen. 4,7 *Vulg.* vertit *appetitus,* cui accedit *Symm.* (etiam h. l.) ὁρμή, *Ps. Ion.* 3,16 et 4,7 et *Targ. Hier.* 3,16 (4,7 vocem omittens) מיתויה, quam vocem habet etiam *Chald.* Cant. 7,10. Anceps est *Aq.* συνάφεια, *coniunctio*, et Chald. h. l. תאובתיה, quod vel a תאיב *reverti* (cf. hebr. שוב) vel a תאיב *appetere* (hebr. תאב) erit derivandum. Ne vero cum *Dillm.* coniiciamus, תשוקה ortum esse corruptione ex תשובה (cf. 1 Reg. 7,17), illud prohibet, admittendam fore eandem tribus textibus corruptionem. Porro שוק vel שקק videtur primitus significare *impellere, currere*, unde duo habentur derivata, שוק *via* et תשוקה *impetus*, *appetitus*, possuntque ambae significationes *convertendi* aut *revertendi* et *appetendi* indidem derivari. Haec ultima utique facilius aptatur tribus laudatis textibus in eamque altera, si praeferatur, necessario recidet.

Significatione vocis determinata quaeritur, quid sibi velit h. l. *ad virum tuum erit appetitus tuus.* Quae *Proc.* ita explicabat : « Mulier, ubi perpessa fuerit gravissimos partus dolores, non aversatur viri coniunctionem, sed eam avidius expetit ». Consentiuntque *Per., Mar.* aliique. Verum, si hoc sensu plane carnali incisum accipiatur, vix non erit necesse ultimum quoque incisum *et ipse dominabitur tui* eodem crassiori sensu interpretari : « in eius arbitrio erit tuae concupiscentiae obsequi » (*Mar.*). Quod videtur adversari apostolo 1 Cor. 14,34

scribenti : « Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, *sicut et lex dicit* ». Hinc cum eodem *Proc.* placet alterum addere sensum : « ad virum tuum erit tua conversio, i. e. ipse erit tuum refugium, portus, anchora tutissimusque ex omni periculo receptus ». « Oculi tui semper os, oculos, nutum et propensionem viri observent, ut illi placeas, morem geras eumque tibi devincias » (*Lap.*). Ultimum vero incisum *et ille dominabitur tui* paenultimo nectitur illudque complet. Est enim etiam mariti ad uxorem appetitus (cf. Cant. 7,10), etiam ipse omnia cum illa communicat, illi in omnibus placere studet. At vir tamquam *dominus* agit, qui subditam sibi sociam mulcere cupit, mulier tamquam inferior, quae domino placere sollicita est. — Duo igitur v. 16 mulieri imponit, partus labores ut matri, ut coniugi subiectionem.

v. 17 « *Adae vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo* ». Uti non Eva sed serpens, ita iam terra, non Adam maledictione plectitur (*Severian.*). Cum Vulg. consentit *LXX* ἐν τοῖς ἔργοις σου, *Symm.* ἐν τῇ ἐργασίᾳ σου; quod *opus Hier.* in Quaest. Hebr. intelligi vult non agriculturam, sed peccatum, appellatque ad *Theod.* ἐν τῇ παραβάσει σου. *Chald. Syr. Aq.* et *Versio Sam. propter te*, quae versio est praeferenda. Fortasse priores illi auctores pro בעבורך legebant בעבדך. Neque tamen huiusmodi mendum necessario est adstruendum; nam ipsa vox עבור Ios. 5,11 sq. significat *proventum*, proventus autem Adami h. l. est eius *opus*; et radicis עבר proprius est sensus *transgredi*, unde *Theod.* παράβασις. — Explicatur iam sequentibus, in quo maledictio consistat (*Cai.*); ita tamen, ut et res ad oculum depingatur, et illius solummodo agricolarum status, in quo Adam victurus sit, molestiae attingantur. De cetero cf. Rom. 8,19 sqq.

« *In laboribus* » — עצבון, uti v. 16 — « *comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae* ». Tamdiu durabit maledictio terrae, quamdiu visibilis serpentis v. 14 maledictio. In cibo peccavit homo, in cibo punitur. v. 18 « *Spinas et tribulos germinabit tibi* ». דרדר etiamnum apud Palaestinos *carduum* designat (*Ges.-Mühlau*). Ex textu infert *Ephr.*, nisi peccasset homo, non futuras fuisse spinas. Sed merito monet *Calm.* : « Quae hodie nascuntur, non genus sunt novum plantarum post rerum creationem productum ». Et *Bonfr.* : « Producebat etiam terra ante peccatum tribulos et spinas, nam et haec ad universi perfectionem et specierum multiplicationem spectant habentque usum suum vel ad medicinam vel ad pastum animalium vel ad aliam rem quampiam ». « *Et comedes herbam terrae* ». Voce עשב, uti 1,11 sq. 29 et 2,5, primarie cerealia designantur. Perperam *Hugo* putabat exprimi « cibum

iumentorum », et *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* integram effinxere fabellam : « Respondit Adam et dixit : Peto per miserationes a facie tua, Domine, ne reputemur sicut bestiae, ut comedamus herbam agri. Surgemus nunc et laborabimus manibus nostris et comedemus cibum de cibo terrae, et sic discrimen fiat nunc coram te inter filios hominis et filios iumentorum ». v. 19 « *In sudore vultus tui vesceris pane* »; « at ille tuus panis vitam tibi nequaquam perpetuabit, sed infirmitatem tuae mortalitatis aliquamdiu sustentabit » (*Rup.*). Recte monet *Dillm.*, panem haud raro quidem dici de cibo universim, at hic scribi in oppositione ad fructus arborum paradisi. Sane arborum fructibus potest quis in Palaestina vel Babylonia sine multo sudore vesci, cum haec sponte nascantur et vix aliquam exigant culturam. Rursum agitur de eo cibo, cui comparando maxime obsunt spinae et tribuli, qui cibus sunt cerealia. Tandem erat iam 4,2 Cain agricola et obtulit de fructibus terrae sacrificium, sane non legumina. Ergo videtur h. l. veri nominis panis intelligi. Putabat *Mar.*, hac Dei maledictione redditam esse terram infoecundam. Sapientius *Per.* : « neque putandum est », inquit, « naturalem terrae fertilitatem propter hominis peccatum aut omnino demptam fuisse aut diminutam : eodem modo se illa habuit ante et post hominis peccatum ». Eo autem iniquior effecta est hominis conditio, quod ille iam e paradisi fertilissima sede expulsus, ob ignorantiam minus etiam fertiles tractus inhabitaret et rudioribus methodis agrum excoleret.

Ergo etiam in Adamo idem hucusque, quod in serpente et Eva, observabamus, non tam novas imponi poenas quam, quae ante iam fuissent, nunc poenalia decerni, quae hominis utique ignorantia et malitia graviora in dies essent evasura. Punit se ipsum homo magis, quam punitur. At nunc tandem positiva etiam adiicitur, quam 2,17 Deus comminatus fuerat, poena : « *donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris* ». Cf. dicta ad 2,7.

v. 20 « *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium* ». Coniunctivus ostendit, iudicasse *S. Hieronymum*, ultima verba esse ipsius Adae; quod etiam putabat *Aug.* E contra *Cai.*, *Per.* verba censent a s. narratore esse adiecta, ut nominis ab Adamo impositi rationem daret. Verba, cuiuscunque sint auctoris, sunt inspirata atque edicunt, Adamum et Evam totius generis humani exstitisse protoparentes (*Proc.*). Nomen mulieris aliquanto serius impositum tamen h. l. commemoratur, quo facilius 4,1 mentio Hevae intelligatur.

חוה forma est inter Hebraeos antiquata, sed Phoenicibus usitata pro חיה,

LXX ζωή, minus recte *Symm.* ζωογόνος (*Dillm.*). Hunc versum explanaturus *Rup.* : « Mira narrantis digressio! » exclamat. « Necdum sententia terminata est tantae calamitatis, ut vacet hinc divertere ad dicendum nobis, quo nomine reus iam convictus et pendens sub iudicis manu suam uxorem nuncupavit ». Ipse in Adami vesaniam invehitur uxorem appellantis vitam, quo ipso tempore peccato esset mortuus. Similiter *Mar.* : « Praeposteram hominis lapsi rationem! Deus illi graves calamitates denuntiat, ipse oblectatur inanibus titulis! » Aequius *Calm.* nomen censet imposuisse Adamum, grati in Deum animi argumentum ob prorogatam etiam post peccatum vitam; imo *Del.* in hoc versu primum celebrat Adami actum fidei, quod novo vitae nomine salutaverit mulierem, per quam Deus redemptionem efficiendam promisisset. At prudenter hic *Per.* dubitat, narrenturne haec eo, quo gesta sint ordine; et *Lap.* diserte asserit, nomen impositum esse nonnisi post eiectos paradiso protoparentes, sed proleptice hic impositum referri. Sane protoparentes a Deo 5, 2 nomine generico אדם appellati sunt, quod mox evasit nomen proprium ipsius Adami. Hic 2, 23 mulierem nomine generico אשה appellavit. At, ubi nati sunt liberi et maxime filiae, visum est opportunum, ut prima mulier appellaretur nomine, quod non ipsi cum filiabus esset commune, sed ipsam cum a liberis tum a marito distingueret : imposuit ei igitur Adam, qua dominus 3, 16, nomen *mater* חוה. Adami nomen, aliis productis hominibus, non est mutatum, quod illud a Deo solo Adami domino mutandum fuisset, qui non censuit mutandum. Ergo probabilius nomen impositum mulieri tum, quando primum geniti liberi. At cur impositum h. l. commemoratur, nulla contextus habita ratione? Crediderim insertum a collectore antiquissimarum harum traditionum, quod adverterit 4, 1 nomen Hevae legi illudque sibi ante explicandum duxerit. Explicationem inseruit loco minus apto : at inspiratio non exigit, ut auctor inspiratus singula quaeque locis maxime aptis inserat; aut potuit 3, 20 antiquitus immediate ante 4, 1 legi.

v. 21 « *Fecit quoque Dominus Deus Adae et uxori eius tunicas pelliceas et induit eos* »; non *tunicas cutis* (*Chald.*) seu ad cutem tegendam. « Et apte primarum vestium materia corium describitur, utpote quod minimum operis expetit inter materias vestium » (*Cai.*). Fecit Deus « in perpetuam inobedientiae memoriam » (*Chrys.*); dein ut verecundiae consuleret testareturque, vel post peccatum se hominem amore et providentia prosequi (*Per.*); et ut in animalium morte suum fatum contemplarentur protoparentes (*Ephr.*).

Non parum veterum quosdam hae tunicae torserunt veritos, ne quam Deo indignam adstruerent carnificinam. Hinc *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* asseruere factas esse ex cute, quam serpens abiecisset; *Theod. Mopsv.* corticem arborum corii nomine exprimi posse suspicatus est; *Ephr.* suggessit, protoparentes folia attrectantes subito animadvertisse, se tunicis pelliceis iam esse indutos. *Chrys.* : *fecit*, i. e. fieri imperavit, sive ex nihilo sive per angelos. *Rup.* : *fecit*, i. e. faciendi necessitatem imposuit.

Sapienter monet *Theodoret.*, superflue et curiose haec inquiri, amplectenda esse scripturae verba sciendumque, nihil creatori esse difficile. Quidni adstruamus, ipsa animalia holocausto esse consumpta, detractis primum pro vestibus pellibus? Ita omnia Deo digne peraguntur.

v. 22 « *Et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum* ». *Symm.* ὡς ἀφ' ἑαυτοῦ, itemque *Targumim :* profecto ita verti possunt voces כאחד ממנו, sed nullus habetur sensus. Putabat *Rup.,* voce *Adam* hic et virum et mulierem designari : האדם, uti in tota hac narratione, designat Adamum, sed Adam repraesentat totam humanitatem et, quae de ipso dicuntur, etiam de Heva valent; cf. v. 23 « emisit eum », utique etiam Hevam. Plurali *nobis* alludi ad SS. Trinitatis mysterium, diximus ad 1,26; quod pulchre amplificat *Rup. :* « Quis enim vel qualis Adam? Adam in anima iam mortuus et corpore quoque in brevi moriturus, indigens victu et necessario coopertus atque cooperiendus vestitu. Sed enim quilibet ex nobis, sive Pater sive Filius sive Spiritus S., neque mortuus est neque morietur, neque propter famem victu, neque propter turpitudinem aut frigus indiget vestitu ». Verba Dei habent *ironiam* (*Ephr.*), quam suggerit hominis miseria comparata antecedenti ambitioni; neque est illa ironia Deo indigna, cum ex fine commiserationis proferatur, collatam veniam consequatur novumque beneficium praecedat. Erat enim insigne Dei beneficium, ut hominem iam miserum futurum paradiso excluderet, ne eius evaderet perpetua miseria (*Menoch.*). « *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum,* » — constructio est incompleta, apodosin veluti suppetit factum v. 23 narrandum. Merito infert *Hugo,* fructum arboris vitae etiam post peccatum largiturum fuisse immortalitatem. Nota auctores quosdam (cf. *Rup.*) assumpsisse ignorasse Adamum, quae inter paradisi arbores esset arbor vitae, edocendum postmodum, si tentationem superasset : quae hypothesis totam solvit difficultatem, quam sensere recentiores aliqui (cf. ad 2,9), arborem vitae nonnisi initio et fine narrationis (2,9 et 3,22) commemorari ideoque spuriam esse et eliminandam. Non commemoratur decursu narrationis, quia nihil de illa erat nuntiandum, cum vel istud ignoraret Adam, quae tot arborum salutares illos ferret fructus.

v. 23 « *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est* ». Sequens verbum utique aliquam violentiam exprimit, v. 24 : « *eiecitque Adam et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae* ». Secundum quae ad 2,8 diximus, מקדם vertendum non *ante* sed *ab oriente* (*Syr., Versio Sam.*); ab

oriente autem collocavit Deus Cherubim non ob aliam rationem nisi, quia eiectus paradiso homo ad orientem et ipse sedem fixerat. Ubi statim insurgit difficultas, quam etiam *Cai.* sentiebat, videri asseri paradisus fuisse ex aliis partibus omnibus inaccessus : id vero quomodo intelligatur, maxime si de Babylonia, regione omnino plana et patenti, sermo sit? Adverte *LXX* pro duobus tria huius sententiae legisse verba : καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, καὶ ἔταξε τὰ Χερουβίμ. Etiam *Iac. Edess.* in suo textu syro tertium videtur legisse verbum, et quidem formam verbi שים : facillime autem post וישכן excidere potuit וישב. Ergo praeferenda lectio *LXX*, secundum quam docemur iussum esse hominem ad orientem paradisi incolere, constitutos autem esse Cherubim, qui omnem omnino paradisi aditum praecluderent.

Crux praeterea interpretum erat illud להט החרב המתהפכת. *LXX* φλογίνην ῥομφαίαν, et reliqui item *gladium* interpretati sunt. Neque mirandum profecto in textu obscuriore omnes formam החרב transtulisse *gladium*. At hinc fit locutio intricatior et etiam obscurior : quodsi enim de flamma agatur, cur ea tandem gladius vocatur? si de gladio, cur is flamma dicitur, maxime in narratione prosaica, historica? Adde, horum eventuum narrationem ab Adam ad posteros traditione descendisse : at ipse primitus certissime illam flammam, qualiscunque demum fuerit, non descripsit adhibito *gladii* tropo, cum gladii nonnisi serius sint inventi. Porro, si gladium asserere placet, cuius tandem manu is gladius versabatur? Non utique manibus Cherubim, fuissent quippe tum gladii uno plures, neque constructione ipsis Cherubim coordinarentur. Puncta החרב ut participium (cf. Ier. 50,21. 27) et verte : *et flammam devorantem, huc illuc discurrentem* (cf. Iob 37,12) *ad custodiendam viam ligni vitae*. Vides iam hac flamma omnes paradisi aditus fuisse praeclusos (*Chrys.*).

Qualis iam fuerit ille ignis, an plane supernaturalis, an aliquatenus saltem naturalis, id perquirere tacente scriptura temerarium : conferri fortasse poterunt Dei miracula in Sinai facta. Neque scimus, quamdiu paradisus perseveraverit. Licet enim apud vix non omnes constet, non diutius perseverasse quam ad diluvii tempora, at nihil est quo probemus, non diu iam ante diluvium disparuisse. — In quas de *flammeo gladio* opiniones veteres abierint, disce ex titulis quaestionum apud *Per.* : an quod dicitur de Cherubim etc., historice an tantum figurate ac mystice sit accipiendum; an illis verbis significetur situs paradisi sub aequinoctiali et zona torrida, aut ignis ambiens paradisum instar muri, aut ignis purgatorii. Addunt *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ignem gehennae.

De *Cherubim* nota :

1) Variis illi V. T. locis varie describuntur. Ex. 41, 18-22 describuntur duo Cherubim constituti supra arcam, facie humana mutuo aspicientes

איש אל אחיו, jungentesque alas supra propitiatorium, in quo i. e. supra arcam censebatur numen residere. Nihil est, cur supponamus his Cherubim fuisse animalium corpora. Cf. 3 Reg. 6, 23 sqq. Certe non erant iidem atque tauri vel leones alati Assyriorum, quorum alae ita corporibus sunt affixae, ut duorum alae iungi nequeant, nisi illi duo terga invicem obvertant. Potius Cherubim tabernaculi videntur similes fuisse geniis Aegyptiorum, qui forma sunt humana, quandoque utique caput habent milvi, et alas jungunt supra aediculam, in qua, non supra quam numen residet. Sane cum in tabernaculi supellectili plura ab Aegyptiis mutuatus sit Moyses, censere oportebit, eum angelorum quoque symbola ab Aegyptiis potius quam ab Assyriis mutuatum esse.

2) Aliter omnino Ez. 1; 10 etc., qui Cherubim describit animalia (חיות) quadrupedia, quippe quibus Deus aliquando (Ps. 17, 11) equitans insideat. « Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli » Ez. 1, 7. Alarum habent par unum aut plura; capitibus sustinent firmamentum crystalli simile, in quo throno veluti sapphireo insidet numen. Iam in aliquo cylindro assyriaco Musaei Britannici cernitur ejusmodi firmamentum taurorum alatorum humeris sublatum, in quo est thronus et in throno deorum aliquis. Ergo Cherubim, quales ab Ez. describuntur, magis similes sunt geniorum, quales in monumentis ad Tigrim repraesentabantur. Ceterum nihil in hoc est absonum, angelos aliis symbolis in Aegypto et aliis in Assyria repraesentari, neque etiam auctores inspiratos mox ad haec, mox ad illa symbola propius accedere, cum omnia ista symbola ad revelationem tandem primitivam revocari queant.

3) Dicitur esse penes Lud. de Clercq inscriptio quaedam cuneiformis, in qua genii illi Assyriorum *Kirubu* vocentur, ergo idem quod Cherub.

4) Quanam specie apparuerint Cherubim ad ostium paradisi silente Genesi definire haud valemus. Nulla est ratio affirmandi visa esse quadrupedia alata, aut nostram narrationem recentius ex Assyria in Palaestinam migrasse. Si placet Cherubim cum geniis Assyriorum conferre, potius considerandi erunt genii illi alati formae humanae, quandoque tamen milvi capite ornati, qui constanter apud Assyrios conspiciuntur arbori vitae adstantes. Cf. *F. de Saulcy :* Histoire de l'art judaïque, Paris 1858; *F. Lenormant:* Origines I. 117 ss.

3. *Primi seminis fata.* Gen. 4.

A. Caini peccatum et poena. Gen. 4,1-16.

Arg. — Narratio, quod monebamus, ad instar narrationis immediate prae cedentis in duas dispescitur partes, quarum prior Caini peccatum, altera Dei in fratricidam iudicium describit. Relatis breviter v. 1 sq. utriusque fratris ortu et studiis, v. 3-5 invidiae causa, v. 6 sq. praevia Dei sollicitudine, narratur v. 8 succincte et nervose Caini fratrici-

dium. Mox uti cap. 4 introducitur Dominus, interrogat reum (cf. 3,9. 13), maledicit ipsi, non terrae (cf. 3,17. 14). Eiicitur ille e regione Eden, uti Adam eiiciebatur e paradiso. Et, licet Cain parente longe sit pravior, prosequitur tamen et ipsum aliqua miseratione Deus 4,13 sqq. Profecto, uno calamo haec et altera cap. 3 narratio descriptae esse deprehenduntur.

Caini peccatum. Gen. 4,1-8.

Cap. IV. « Hactenus altum sanctae huius scripturae verticem rependo potius quam gradiendo transegimus, et deinceps lucidi atque amoeni campi fessi sese aperiunt pedibus et ingerunt obtutibus ». Ita *Rup.* : at, misere iam mutata rerum conditione, plena sunt sequentia capita controversiarum perquam intricatarum. v. 1 « *Adam vero cognovit uxorem suam Hevam, quae concepit et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum* ». Fuisse Cain primogenitum fere sequitur ex imposito nomine, quod primo partui maxime convenit (*Cai.*); potestque aliqua confirmatio inde peti, quod Cain patri in colendis agris sociatus sit, cum soleat prae ceteris primogenitus in societatem paterni laboris adscisci. Indidem licebit coniectura inferre, Cain et Abel non fuisse geminos. Certe nihil est in textu, quo gemini fuisse suadeantur. Otiosa penitus est quaestio, cognoveritne Adam uxorem in paradiso an extra illum : evidens quippe est, nihil de hac quaestione textum affirmare. Plures quam tres liberos Adamum vita tot annis producta genuisse patet cum ex natura rei tum ex 5,4 : sed narratio sacra, quae est historia revelationis, eos tantum recenset, qui aliquid ad historiam revelationis contulere, sive in bonum sive in malum. Hinc erraret is etiam, qui duas tantum Cainitarum et Sethitarum tribus ante diluvium exstitisse affirmaverit : dubitari vix potest, plures procreatas esse gentes, quae variis in regionibus sedes fixerint : cogita, quot diversae gentes paucis saeculis ex uno Noe prodierint. — קנה, *condere* vel *acquirere*, κτίζειν vel κτᾶσθαι, a versionibus hoc altero sensu accipitur. Nota, *Hebr.* legere non אדם sed איש, contra *Vulg. LXX Symm.* : ergo exsultat Heva etiam ideo, quod non filiam sed filium primo partu ediderit; sane semen 3,15 promissum imprimis complectitur filios. את nomini divino praefixum *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* intellexere explicativum; item interpres aliquis apud *Field*, ἐκτησάμην ἄνθρωπον κύριον. Quod interpretamentum gratuito Hevae gravem tribuit errorem, fuisse Cain deum hominem. Praeferenda *Symm.* versio *cum* (cf. 39,3; 43,16 etc.), in quam recidunt *Vulg. per, LXX* διά, *Chald.* בן קדם, *Versio Sam.* בן. « Puerum natum non naturae sed Deo acceptum refert » (*Chrys.*). Fructus agrorum et gregum sunt homi-

nis possessio (מקנה) : sed haec omnia tandem non sunt sufficiens eius adiutorium : exsultat igitur de meliore iam acquisita possessione mulier, idque eo ferventius, quod ea possessio sit *vir, semen* continens in se divinae promissionis implendae germina, nec nisi largiente ipso numine concessum.

v. 2 « *Rursumque peperit fratrem eius Abel* ». Nomen non explicatur. *Ios.* interpretabatur luctus, seu potius flatus, vanitas : sed hodie communiter recurritur ad assyr. *hablu,* filius, quae vox antiquitus linguarum semiticarum communis fuisse creditur : uti igitur protoparentes *homo* et *mater,* ita hic natus *filius* audiebat. « *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola* ». Ex eo, quod iam 9,23 Noe legatur habuisse pallium שמלה, crediderim artem ex ovium lana contexendarum vestium ipsis generis humani primordiis natam esse, fortasse tempore Abelis. v. 3 « *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino* ».

מנחה *munus, sacrificium* (*LXX Chald. Syr.*). — מקץ ימים, *post dies;* ubi iam advertebat *Vat.*, pluralem ימים hic significare *annum* (cf. Iud. 17,10; 1 Reg. 1,3; 27,7; 29,3 et, quae ad eos locos scripsimus). Igitur *Vat., Bonfr.* vertunt « post aliquos », *Lap.* « post multos annos »; sed haec arbitraria. Unice recte *Calm.* » ad exitum anni » seu, quod in idem recidit, initio anni sc. sequentis. Auctor omnino vult tempus eius sacrificii determinare, igitur expressio accipienda est sensu determinato. Non tamen necessario intelligenda est de *primo* a suscepta agricultura vel cura gregum anno, cum minime constet, uno eodemque anno utrumque fratrem tali operi suscipiendo fuisse maturum : sed sufficit exponere de *aliquo* anno vertente. Vides, haud longe a vero abesse *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* scribentes *die decima quarta Nisan.* Sine dubio sc., licet id textus non exprimat, etiam Cain *primitias* obtulit, quae eo fere tempore praesto sunt. Tamen neque cogeris cum illis supponere, uno eodemque die et Cain et Abel sacrificia obtulisse. Hinc tandem inferas, sacrificia annua, menstrua, messis, quae pluribus gentibus antiquitus cum Iudaeis erant communia, ab ipsis mundi primordiis initium sumpsisse. Hinc intelligas melius expressionem 1,14, luminaria coeli esse « in tempora », sc. sacra : a primordiis quippe definiebant illa quorumdam festorum tempora.

v. 4 « *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum* ». *Primogenita* et *adipes* parallele scribuntur : quare sicut illud non partes aliquas sed individua significat, ita etiam hoc. Abel obtulit primogenita, et quidem horum pinguissima individua (cf. *Cai.*). *Ios.* חלב intellexit lac : nota tamen Abelis greges fuisse minorum animalium, ovium, caprarum, quarum lac et minus est copiosum et minus nobile. « *Et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius* », v. 5 « *ad Cain vero et ad munera illius non respexit* ».

שעה certe significat *respicere* (*Vulg. LXX*). Aliae quaedam versiones exprimunt motivum, ob quod Deus respexerit, sc. quia *delectatus est*; ita *Chald. Syr. Aq. Symm.*,

etiam *Ios.*: et *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* hanc versionem cum praecedente coniungunt, vertentes prius verbum *complacuit sibi*, et alterum *adsperit. Theod.* tandem exprimit modum, quo coniicit illum divini beneplaciti affectum hominibus innotuisse : ἐνεπύρισεν. Cf. *Proc.* Quae hypothesis, Abelis sacrificium igne coelitus immisso esse inflammatum, placuit interpretibus potestque pro ea invocari analogia Lev. 9,24 etc. Aliam suggerit *Tir.* : « respexit favendo, probando et pecora terrasque illius foecundando » ; et cf. Lev. 26,9. Hypothesin Theod. suam fecit etiam *Hier.*, quam Iudaeae esse originis ostendit *Rahmer*. Aliquo autem modo Deum suum manifestasse beneplacitum, certum est cum ex natura rei, tum ex Hebr. 11,4 « testimonium perhibente muneribus eius Deo ».

At, quare Abelis prae Caini hostia visa est Deo Hebr. 11,4 praeferenda? Inde ab *Ephr.* censuere plures id factum ideo, quod Cain viliora, Abel omnino lectissima Deo obtulerit. Quae expositio iniquius premit voces *primogenitis, adipibus :* ex eo, quod simile quid de Caini munere non dicatur, haud sequitur eum obtulisse viliora. Quodsi, ut supra suggerebamus, mense fere Nisan obtulit, nonne necessario primitias, quae lectissimae censebantur, obtulisse dicendus erit? « Nihil invenio », dicamus cum *Ambr.* (De Incarn. Sacramento cap. 1; *M.* 16. 819), « quod in specie munerum reprehendam... Culpa est, non in oblatione muneris, sed in oblationis affectu ». « Non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt » (*Greg. M.*, Ep. 122; *M.* 77. 1053). Reapse illud ex Hebr. 11,3 habemus, per *fidem* consecutum esse Abel testimonium se esse iustum. Quo neque asseritur Cain nullam habuisse fidem, utique tamen minus excellentem; tamquam eius potissimum peccatum exhibetur nobis non infidelitas, sed invidia. Fidem vero ibi intelligit S. Paulus eam, quae sit « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium » : quidnam vero Abeli sperandum, nisi prae ceteris omnibus implendam promissionem seminis 3,15?

Et haec quidem certa. Quaeri praeterea potest, num peculiari aliqua ratione fides Abelis in hoc se manifestaverit sacrificio. Ubi Abelem *Ambr.* prophetasse ait, « nos per passionem Domini a culpa esse redimendos, de quo scriptum est : Ecce agnus Dei etc. Unde et de primitivis obtulit, ut primogenitum designaret ». Concedi potest sacrificium fuisse typum immolationis Christi, licet typum potius auctores in ipsa Abelis caede invenerint. Demonstrari certe non potest, Abelem gnarum fuisse futurae passionis Domini; et licet ea ratio explicat, cur Abelis munera Deus adspexerit, at non explicat, cur Caini despexerit. Putaverim, praetulisse Deum Abelis dona, uti apostolus habet, ob maiorem fidem idque signo manifestasse, id vero Cainum aegre tulisse ob imperfectam fidem; existimasse sc. sibi tamquam primogenito omnia deberi, imprimis e sua posteritate gignendum semen, quod

serpentis caput contereret; ubi fratrem intellexit esse Deo acceptiorem se, ubi oborta est suspicio ex illo fortasse generandum semen, invidia occupavit cor. Cf. *Proc.* et quae scripsimus in : Stimmen aus Maria-Laach X. 180 sqq., Freiburg i. B. 1876. Item *A. Schoepfer :* Geschichte des A. T., Brixen 1893, p. 44 sqq.

« *Iratusque est Cain vehementer et concidit vultus eius* ». « In demissione vultus, tamquam non audentis respicere in coelum, tristitia, interna, ex qua excandescit animus, significatur. Pudore enim suffusus est videns se despectum a Deo; et videns minorem fratrem sibi praeponi invidit atque excanduit » (*Cai.*). v. 6 « *Dixitque Dominus ad eum* : » — crediderim audibili voce, cum quod reliqua divina horum capitum alloquia omnia eiusmodi fuerint, tum quod id melius conveniat ultimo v. 7 inciso statim explicando — « *Quare iratus es et cur concidit facies tua?* » v. 7 « *Nonne, si bene egeris, recipies?* » Verte : nonne, si bene egeris, levabis faciem tuam?

שאת est infinitivus substantive adhibitus verbi נשא; « quo verbo nullum aut in sacra lingua foecundius aut amplioris et augustioris significatus », ait *Malv.* Id sane dixeris, si huius loci versiones inspicias. Significationem primam retinuit *Versio Sam., elevare;* e contra *Targumim Aq. remittere; LXX offerre; Vulg. Syr. recipere: Theod. acceptabilem esse;* quae tamen significationes fere exigunt obiectum. Unica h. l. satisfacit primaria significatio *elevare* (*Cai.*), pro qua obiectum sponte suppletur ex praecedentibus. *Conciderat* facies Cain, iam interrogat Deus : Nonne, quando bene agis, erectam geris frontem? Nonne, si bene egisses, erectam gereres? Nonne ipsa tua confusione doceris, te bene non egisse? Ex signo sensibili latentem culpam demonstrat : Deus Cainum e pudore admissi sceleris convincit, quod fecerat etiam in Adamo 3,11.

« *Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* » Reddidit vocibus *statim aderit* verbum רבץ *Hier.*, cuius *cubandi* significationem ceteroqui optime norat (Quaest. Hebr.). Si cum plerisque construas participium, oportebit cum *Ephr.* dicere, peccatum concipi per modum « ferae » prope portam (cf. Prov. 9,14) accubantis et insidiantis. At ferae non consuevere prope portas cubare, et participium רבץ, quod in constructione ceteroqui plana abundat et artificium sapit, est masc., dum nomen חטאת fem. est. Ergo melius *LXX* punctavere imperativum *quiesce*, ad quam verbi significationem cf. Iob. 11,19; Prov. 24,15. Sensus igitur hic est : Sin autem bene agere recuses, si faciem non erexeris, ne putes te innocentem perseverare posse : proxime imminet peccatum; igitur quiesce ab ardore et invidia. Ubi notare iuvat, *Hebr.* non habere *si male egeris*, sed *si non bene egeris*, quae magna profecto est differentia. Quoties sc. male egeris, peccatum non in foribus sed intra muros versatur; at potest quis non bene agere, potest id de-

trectari, quod bonum aut certe melius esse agnoverit, potest sibi persuadere habere se aliquod ius fovendi sensus indignationis etc., et tamen nondum aut certe minus graviter peccare.

« *Sed sub te erit appetitus eius et tu dominaberis illius* ». Quaeritur, ad quem pronomina masc. *eius*, *illius* referantur. *Aq.*, *Targumim* et *Hier.* retulere ad *peccatum* חטאת, quod est fem. Obstat primum genus, secundo contextus. Etenim sententia verbotenus eadem cum altera 3,16 et ab eodem Deo prolata necessario eundem aut certe affinem sensum habeat oportet. Ibi exprimebat mulieris in maritum affectum et sub eundem subiectionem. Ergo hic adumbret, necesse est, coniugium aliquod inter hominem et peccatum, fere secundum Iac. 1,14 sq. : « Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem ». At quisque facile videt, in tali contextu suffixa masc. in locum fem. suffici minime potuisse; suggereretur idea duorum marium infandum omnino scelus committentium, et quidem praeter omnem contextum; vix non impie in sensum obscoenum detorqueretur ipsa ea formula, qua 3,16 mutuam coniugum relationem definierat. Aliqui auctores, quam supra excludebamus sententiam defendentes, comparari hisce peccatum ferae cuidam prope portam excubanti, vertunt : Et ad te dirigetur appetitus, voracitas istius monstri, sed tu dominaberis illius. At prorsus arbitrarie תשוקה, quod secus de coniugum mutuo affectu usurpatur, ad monstri appetitum designandum detorquetur. *Syr.* difficultatem sentiens vertit : *Tu converteris ad illud et ipsum dominabitur tui.* At haec textus est non emendatio, sed corruptio. Vide etiam *Targumim* longissime petitas paraphrases.

Praeferenda omnino versio *Theod.*, qui, postquam nomen fem. ἁμαρτία scripsit, pergit pronominibus masc. : καὶ πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ, dicta referens non ad *peccatum* sed ad *Abel.* Consentiunt *Ephr.*, *Chrys.* : « Ne putes, inquit, licet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, me ideo primatu te destituere et *primogeniturae* dignitatem a te auferre. Quiesce : nam licet honore ego illum prosecutus fuerim acceptaque fuerint illius dona, verumtamen ad te conversio illius et tu ipsius dominaberis. Itaque post peccatum hoc permitto, ut primogeniturae privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate et dominio esse iubeo ». Cf. *Calm.*

Eundem legebat textum *LXX*, sed aliter et infelicius distinctum : οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αυτοῦ καὶ σὺ ἄρξεις

αὐτοῦ. Cuius textus « multos sensus peperit obscuritas » (*Aug.*). Hic textus non potest appellari pro ea, quam modo ex *Theod.* derivabamus interpretatione. Cum enim LXX non nomen ἁμαρτία sed verbum ἥμαρτες scripsissent, non poterant postea pronomina fem. adhibere, sed adhibendum erat αὐτοῦ, quod vel masc. esset vel neutrum.

Budde p. 188 secutus *Wellh.* et illam explanationem professus, quae peccatum ferae comparat : « Verba 3, 16 », exclamat, « certe non ipse primus narrator tam contorte captioseque huc transtulit »; hinc verba redactori cuidam tribuunt actaque Cain et Abel conficta affirmant. Quam modo retulimus planissima eaque minime nova explanatio horum auctorum argumentum convellit. Nihil in textu contortum, captiosum; sed eadem formula, quae 3, 16 de coniugum, iam etiam de fratrum mutuo affectu usuvenit. Quae res nihil omnino habet admirationis.

v. 8 « *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras* ». Has duas voces non habent *Chald. Aq.* (cf. Field), neque ullus codex hebr., quorum tamen plures habent *piska* seu lacunam. Habent verba *Vulg. LXX Sam. Syr. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.;* ויאמר, suppresso sequenti effato, inusitatius est. Ceterum quaestio pro interprete parvi est momenti, cum verba, si sint suppleta, utique aptissime suppleta fuere. « *Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel et interfecit eum* ». De Abele Christum praefigurante cf. *Rup.*

Caini poena. Gen. 4,9-16.

v. 9. « *Et ait Dominus ad Cain : ubi est Abel frater tuus?* » Cf. 3,9. Fingit *Ephr.* Cainum conantem parentibus persuadere, Abelem ob pietatem in paradisum fuisse translatum; dein Deum apparentem et benignius primum interrogantem : crediderim reapse sententiam in Cain latam esse non sine testibus. Recte monet *Proc.*, interrogantem Deum suppetere occasionem poenitentiae. « *Qui respondit : Nescio. Num custos fratris mei sum ego?* » v. 10 « *Dixitque ad eum : Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* ». Cf. Iob. 16,19 (18). Ergo usque in coelum pertingit clamor (*Chrys.*). Belle depingitur Dei omniscientia, ibi exaudientis altissimum clamorem, ubi homo silentio omnia tegi reputat, hominisque stultitia eius facti ignorantiam praetendentis, quod tanto clamore propaletur. Clamat sanguis, quatenus nex Deo nota ultionem iure exigit.

Ex plurali *sanguinum* subtilius intulere *Targumim* clamasse sanguinem non solius Abel, sed posterorum ex eo, si vixisset, procreandorum. E contra monet *Del.*, solere scribi pluralem de sanguine effluente menstruatione, vulnere. Recte monet *Calm.*, nihil explicite affirmare scripturam, habueritne Abel liberos necne; infirmiores certe sunt rationes, quibus ipse habuisse suggerit.

v. 11 « *Nunc igitur* » — ועתה h. l. uti 3,22 sententiae iudicis praefigitur (*Del.*) — « *maledictus eris super terram, quae aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua* ». Agitur de ea terra, quae aperuit os suum cultaque denegabit fructus : ergo מן האדמה non est idem atque « ab hominibus » (*Per.*). Sed neque vertere licet « a terra » (*Malv.*), cum maledicens non sit terra sed Deus; neque tandem terra, licet sanguinem innocentem haurire coacta sit, maiorem iniuriam passa est quam protoparentes, Abel, Deus. *Mar.* : « prae terra, magis quam terra... Vides terram maledictam? Tu magis ». Sed terrae ipsi nulla h. l. nova imponitur maledictio, comparatio autem cum maledictione terrae 3,17 longius petitur et in sententia vigoris plena languescit. *Vat.* « ex parte ipsius terrae sive respectu ipsius terrae », quo terra constituitur non quidem auctor, at instrumentum maledictionis. Reapse מן a significatione locali (cf. Iob. 4,9; Ps. 74,7) quandoque descendit ad significationem instrumenti (Iob. 7,14; Ps. 27,7; Gen. 9,11). Hic sensus h. l. aptus est; v. 12 explicat, quomodo mediante terra puniendus sit Cain; habetur parallelismus cum 3,17. Alium sensum convenientem suggerunt aliqui a Malv. citati : Maledictus eris, exsul ab ista terra. Et adverte, אדמה (cf. 2,15 sq.) non tam designare totam terram (ארץ), sed potissimum terram arabilem, a qua Cain reapse eiicitur in desertum. Hic sensus praebet bonum nexum cum v. 14; ubi Cain se eiici profitetur ab אדמה, dum v. 12 habebat ארץ.

v. 12 « *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos* ». Hoc non necessario significat aliquid in rerum natura mutari. Suo scelere utique illud effecit Cain, quod v. 14 ipse pronuntiat, ut iam e regione Eden, quatenus ea tum incolebatur, eiiceretur; hinc ei obtigit regio aliqua inferax, deserta. « *Vagus et profugus eris super terram* » more nomadum, quos soli sterilitas cogit huc illuc migrare. נע ונד, duo monosyllaba eadem incipientia litera, imitatus est *Symm.* ἀνάστατος καὶ ἀκατάστατος; item LXX, sed sensu non plane eodem, στένων καὶ τρέμων. Hoc igitur incisum est consequentia prioris : quia agris colendis non poterunt vitam sustentare, ideo nomadum more vivent Cainitae. Praedicitur quod futurum est, non imponitur praeceptum. Illudque praedicitur generatim spectatum, non secundum particularia quaeque; non sequitur necessario, totam Caini posteritatem perpetuo vagam futuram et profugam; neque ea praedictio falsa evasit, si supponatur ipse Cain postea urbem condidisse (sed cf. quae infra dicemus), quod alii etiam nomades fecere, Mongoli, Tartari, etc.; neque fas est alium pro 4,17 atque pro 4,12 adstruere scriptorem. v. 13 « *Dixitque Cain ad Dominum : Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* ». Verba non sunt humiliantis se, sed desperantis (*Proc., Per.*).

מנשוא, *quam ad ferendum.* נשא, quando ad peccatum refertur, duplicem induit sensum, sc. peccatum auferre seu condonare, vel peccatum, i. e. eius sive reatum sive poenam ferre. In priori sensu erit Deus subiectum, in altero Cain (*Vat.*). Uter sensus h. l. praeferendus? Volebat Cain illud v. 14 obtinere, ut vita saltem securus frueretur. Iam si cum *Kimchi* vertamus : Intolerabilis plane est poena, quam modo inflixisti, — haec verba iniuria sunt et blasphemia parumque apta, quibus gratiae aliquid obtineatur. Ergo cum *versionibus* praeferendus sensus : Atrocius quidem meum est peccatum, quam ut ullam merear veniam; tamen a tua misericordia spero et peto poenae aliquam condonationem. Quae verba reapse aliquid sapiunt captationis benevolentiae, quae viam sternat favori obtinendo. Erat ea utique valde imperfecta, de ipso peccato Deique amisso favore haud videtur sollicitus fuisse Cain. Quem punivit Deus concedendo id tantum, quod petebatur, temporalia, non aeterna.

Adverte, h. l. נשוא idem tandem esse verbum atque v. 7 שאת. Quod ibi eam designabat faciei elevationem, quae innocentiam aut servatam aut peccati remissione recuperatam consequitur. Licet vox h. l. immediate ad *iniquitatem* referatur, tamen haud excluditur respectus ad v. 7 : Maior est iniquitas mea, quam ut plene ab illa merear sublevari, concessa peccati venia et propter hanc restituta faciei serenitate.

v. 14 « *Ecce eiicis me hodie a facie terrae* », « h. l. a natali solo » (*Bonfr.*) — solam regionem Eden hic designat voce האדמה, mox usurus voce ארץ pro universa terra — « *et a facie tua abscondar,* » — non « tu abscondes faciem tuam » (*Bonfr.*), quod est plane aliud; non, quod pie corrigunt *Targumim,* « a facie tua impossibile est abscondi », vel « a facie tua an fieri potest ut abscondar? » Melius *Menoch.* : « quasi reus praesentiam Dei iudicis fugiam », et *Mar.* : « non veniam ad afferendum aliquid », interrogatque *Calm.*, « an forte Deus familiarem suam praesentiam dabat hominibus? » Reapse Deus tum cum hominibus paterne conversabatur, quod patet ex Cain v. 6 sq. ante peccatum monito; idque faciebat imprimis etiam in sacrificiis, — « *et ero vagus et profugus in terra* ». Hic nostrae Vulgatae scribunt colon, item *LXX,* qui sententiae partem priorem subordinant : εἰ ἐκβάλλεις. Sic in apodosin relegatur illud, quod unum Cain in votis habet, ne interimatur ipse. Infelicius *Hebr. Chald.*, sententiam dividunt, signo athnach ornantes vocem *abscondar.* « *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me* ». Non agitur de feris (*Ios.*), neque enim in eas ferri poterat sententia v. 15 « septuplum punietur » (*Per.*); sed de hominibus, quorum plures sine dubio iam tum ex Adamo prognati erant (*Cai.*). Vereque scribit *Ephr.*, ex eo patrati fratricidii horrore factum esse ut Sethitis postea Cainitis iungi fas non esset. v 15 « *Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet* ». *Hebr. Sam. Chald. Aq.* לכן; *Vulg. LXX Syr. Symm. Theod.* לא כן; sen-

sus idem. « *Sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur* », gravissime punietur. Solemnem asseverationem futurae incolumitatis Deus edito miraculo confirmat : « *Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum* ». *Syr. in Cain signum,* item codices *Vulg.* non pauci. Hinc auctores mira statuerunt de hoc *signo,* quod putabant Caino fuisse permanenter et visibiliter impressum, quo conspecto, qui obviam fierent, intelligerent praesentem adesse eum virum, quem interfici Deus specialius prohibuisset. Ceterum illorum auctorum placita vix non omnia ex Hebraeorum traditionibus fluxere, cf. *Rahmer* et *Ios., Ps. Ion., Targ. Hier.* Sapientius *Abenesra* signum intelligebat, uti alias saepe in scripturis, de signo coram patrato ad fidem divinae promissionis in Caino roborandam. Quodsi haec omnia acta esse supponas non coram solo Cain, sed adstantibus etiam protoparentibus ceterisque natis, habuit hoc signum etiam efficaciam ad hos a caede Caini deterrendos. Neque excluditur signum, quale modo suggessimus, in ipsa Caini persona esse effectum; ita teste *Calm.* opinabantur quidam, quorum placita resuscitavere recentiores aliqui, « populos nigros genus duxisse a Cain ».

Budde p. 190 sqq., secutus *Wellh.*, censet 4,1-15 describi rerum conditionem, quae discordet ab ea, quae 4,16-24 describitur; hanc esse auctoris, qui nomadum, illam auctoris, qui agricolarum vitae genus perfectissimum duxerit; e nomadum vita, ad quam tamquam ignobiliorem v. 11-14 Cain condemnetur, efflorescere varias v. 16-24 artes. Reponas, haec nequaquam pugnare inter se, cum haud raro homines iniquiore loco constituti maiora aliis perficiant; neque vero ex mente s. auctoris nobilitatem vitae ferreis potissimum musicisve instrumentis aut urbibus conditis constare, sed vero Dei v. 26 cultu sanctisque moribus. Urget Budde, maledictionem Cain re in nomades universos transiisse, ergo non esse profectam e peccato, quod illi soli proprium fuerit. Concedas, nomades universos iisdem fere atque Cainum angustiis premi : at in illis maledictio non sunt, fuere autem in Caino, quem ad meliora natum Deus in poenam peccati iisdem angustiis addixit. Et haec quidem sunt graviora argumenta, quibus permotus vir doctissimus 4,1-15 a 4,16-24 divulsa alteri tribuit auctori.

Kn. e verbis 14 sq. recte concludit exstitisse, quo tempore Cain occiderit Abel, aliquos viros adultos, a quibus ille sibi mortem timuerit; quod autem alii Adae filii tum essent nulli, concludit illos viros oriundos fuisse gente aliqua ab Adamo non derivata. Ad haec advertas, eo tempore Cain et Abel certe fuisse adultos, illum certe sorori alicui iam matrimonio iunctum; gratuito supponi nonnisi diu post Abelis caedem natum esse Seth, quin potius potuisse eam caedem obtinere anno vitae Adae fere centesimo trigesimo (cf. 5,3); illis centum et triginta annis Adamum, qui creatus esset adultus et divinum accepisset mandatum « Crescite et multiplicamini », profecto plurimos genuisse liberos, et tempore interfecti Abel plurimos habuisse nepotes. Veri simillimum est, Cainum tum ipsum tot annos natum praeter uxorem habuisse liberos et nepotes, qui cum ipso in exsilium sint eiecti. Advertas praeterea, ultionem sanguinis effusi non ad quoslibet pertinuisse, sed ad illos solos, quibus cum inter-

fecto aliqua esset sanguinis necessitas; ergo quod sibi Cain mortem timeat ab homine quovis, cui forte occurrerit, hoc ipso clare demonstratur, Cainum non alios sibi quam consanguineos occursuros exspectasse (*Del.*). Advertas tandem, licet nonnisi elapsis centum triginta annis Cain primam patraverit caedem, at diu ante potuisse et debuisse homines perspicere, quam foedum esset homicidium quamque sola capitis poena digne luendum; hinc caede patrata merito sibi Cainum eandem poenam timuisse. Verum constatne illud praeter omne dubium, primam omnium caedem fuisse Abelis? Sola narratur, quod cum historia revelationis intime connectatur, Sethi electionem explicet, diluvii causas pandat : potuerunt vero aliae caedes praecedere, ob quas lex ultionis iam ante esset definita.

v. 16 « *Egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden* ». « Egressus est ab ea terra et loco, ubi Deus faciem suam ostendere solebat, i. e. praesentiam suam declarare edendo oracula, reddendo responsa et sub aspectabili forma humanae naturae cum primis illis hominibus familiariter loquendo » (*Per.*). בארץ נוד omnino cum *LXX* vertendum ut nomen proprium : *in terra Nod;* non vero cum *Chald. Symm. Theod. Vulg.* ut adiectivum, licet nomen proprium utique cum eo adiectivo connectatur. Illud patet cum ex verbo ויושב, quod, cum de se quietem dicat, non apte cum adiectivo quietem excludente copulatur; tum exinde, quod נוד inter בארץ et קדמת inseratur, ergo et ipsum ad loci descriptionem, non ad vitae conditionem spectet; adde, si de adiectivo ageretur, scripturum fuisse auctorem utrumque, uti v. 12.14, adiectivum נע ונד. Ex *Sam.* נד et *LXX* Ναίδ inferre fas est, נוד primitus fuisse scriptum non plene (*Dillm.*).

B. Cainitarum genealogia. Gen. 4,17-24.

Arg. — Adamo e paradiso eiecto a lapsu respirat genus humanum, certamen illud exorsum, quod contrito serpentis capite aliquando absolvetur : eiecta item e regione Eden Caini stirps novum auspicatur progressum, habent quippe vel poenae divinitus hac in terra inflictae aliquid admixtum benedictionis. At hic alter progressus terrestris totus et mundanus est. Gente dura in sterile solum relegata, vincit omnia labor improbus : figuntur tentoria, nascuntur musae, cuditur in ensem ferrum. Non haec mala quidem : habitavit in tentoriis arca, sunt sacrae symphoniae et sancta proelia. At Cainitarum genus insolens, lascivum, impium : novit quippe vel perversis ad suos fines uti Deus.

Placet h. l. tractationem inserere *de nominibus patriarcharum*, cum plures de illis gravissimae quaestiones apud recentiores discutiantur. Oportebit vero una tractare de patriarchis tam *Sethitis* quam *Cainitis*, cum eorum nomina constanter ab auctoribus confundantur.

Igitur *Cainitarum nomina* haec : Henoch, Irad, Maviael, Mathusael, Lamech. Quorum Henoch חנוך et Lamech למך in omnibus textibus sunt eadem. Etiam Irad עירד in comperto est : quod enim legunt *LXX* Γαιδάδ (contra *Aq.*, *Ios.*), utique ortum duxit ex ר in ד corrupto. At dubium est de Maviael et Mathusael. Quod alterum *LXX* exprimunt Μαθουσάλα, *Ios.* Μαθουσάλας, ut sit idem atque nomen Mathusala Sethitae, reliquis textibus Cainitam scribentibus מיתושאל et Sethitam מיתושלח. Pro Maviael tandem sequentes habentur lectiones. *Hebr. Vulg. Chald.* habent מחויאל (cf. lectiones LXX Μαουήλ et Μαουιήλ), unde unica litera transposita fit מחואיל (*Syr.*); illa forma, si non plene scribatur, erit מחיאל, ut clare patet ex *Ps. Ion.* primum scribente מחייאל et immediate post מחיאל, atque unica litera transposita corrumpitur in מיחאל (*Sam.*); ad formam מחיאל revocaverim duas lectiones LXX Μαιήλ et Μεήλ, pro quibus superflue a *Budde* supponitur lectio aliqua מחייאל. His igitur omnibus, quae ad unam formam מחויאל revocantur, opponitur lectio recepta *LXX* Μαλελεήλ i. e. מהללאל, idem nomen quod etiam apud Sethitas recurrit.

Sethitarum nomina ab omnibus eadem leguntur, sc. אנוש Enos, קינן Cainan. מהללאל Malaleel, ירד Jared, חנוך Henoch, מיתושלח Methusala, למך Lamech, נח Noe.

Nomina primitus, cuiuscunque demum linguae fuerint, suam singula habuisse *significationem* colligitur cum ex natura rei et more inter orientales constanter observato, tum exinde, quod nominum Cain, Seth, Noe ipsa scriptura significationem tradat. Et nominum quidem Sethitarum, ut plurimum, significatio sat probabiliter definiri potest, ut Enos idem sit quod *homo*, Malaleel *laudator Dei*, Iared *descensus*, Henoch *initiator* vel *doctor*, Methusala *vir teli*, Lamech *robustus;* ambiguum manet Cainan. Et nota, horum nominum aliqua etiam in posterioribus scripturis reperiri : Malaleel 2 Esdr. 11, 4; Iared 1 Par. 4, 18; Henoch Gen. 46, 9; Ex. 6, 14; Num. 26, 5; 1 Par. 5, 3. Cainitarum nomina quod attinet, Irad poteris interpretari *velox* vel *fortis* (*Budde* p. 126); Maviael autem et Mathusael vix interpretabere, peregrinum nescio quid haec nomina sapiunt (ib. p. 98). Caveas vero, ne ex nominum significatione facta aliqua historica derivare attentes, ut si dicas, ideo uni patriarchae nomen Iared seu descensus inditum esse, quod eius tempore angeli ad filias hominum descenderint, aut eundem esse Enos qui Adam, quod utraque vox hominem sonet (*Len.* : Origines I. 376. 179).

In genealogia Cainitarum cum Sethitarum comparata deprehenduntur *nomina utrimque eadem* esse duo, Henoch et Lamech; eadem sunt item alia duo, Malaleel et Methusala, si lectionem receptam LXX sequaris; tandem Irad et Iared, Cain et Cainan aliquam videntur affinitatem habere. Quare recentiores nonnulli censuere duas illas genealogias de facto non esse nisi unam, quae per eadem membra Israelitarum originem modo ex Cain, modo ex Seth repetat. Ita post *Buttmann* nuperrime *Budde* p. 90. Ad quae advertas :

1) Nomina Cain et Cainan gratis asseruntur esse eadem, licet ex eadem fortasse radice deriventur; Irad et Iared diversae sunt radicis.

2) Difficilior est de Malaleel et Methusala quaestio. Quae ad hanc commode formam revocatur, utrum facilius concedantur istorum Cainitarum nomina, cum primitus eadem atque Sethitarum fuissent, in diversa esse postmodum mutata, an ex diversis ad communem formam esse revocata. Illud praeferendum videtur. Sc. invaluerat antiquitus apud Iudaeos opinio, non ea quidem ex s. textu hausta, omnes illos decem patriarchas Sethitas exstitisse sanctos et bonos. Id colligas ex *Ios.* statuente, Sethi usque ad diluvium filios patris pietatem esse aemulatos. Igitur qui hanc profiterentur opinionem, non sine admiratione legebant quatuor omnino Sethitis patriarchis indita nomina, quae *antea* iam fuissent Cainitarum quorumdam propria adeoque ab illis viderentur esse transsumpta. Quodsi dein in quibusdam codicibus duo istorum nominum inadvertenter corrumperentur atque ita a Sethitarum nominibus discreparent, quid mirum, si horum iam codicum lectionem genuinam existimaverint scribae atque in alios inde codices transtulerint? Ergo si nomina primitus eadem fuisse utrimque supponas, facile quomodo postea in codicibus vix non omnibus fuerint mutata explicabis. Difficilius vero demonstrabis, quomodo, si nomina primitus supponas fuisse diversa, facta sint postmodum eadem. Igitur tamquam probabilius concedas, quatuor primitus nomina Henoch, Malaleel, Methusala, Lamech utrique genealogiae exstitisse communia.

3) Ex quo tamen minime sequitur duas illas genealogias nonnisi unam effficere. Etenim primum nomina se diverso excipiunt ordine : habes hic Henoch, Irad, Malaleel, Methusala, Lamech ; ibi Malaleel, Iared, Henoch, Methusala, Lamech. Dein, si nomina principum lustrans, qui medio aevo in Hispania imperaverint, plures offendas Alphonsos, Ferdinandos, Sanchos appellatos, quid inde tandem inferes? num eandem esse Arragoniam atque Castiliam, an potius diversa quidem regna, at principes foederibus atque conjugiis invicem frequenter devinctos? Idem de nostris genealogiis iudicium feras; noli in solis profanis historiis sapiens esse, in sacris vero desipere, sed ex similibus factis similes etiam derives conclusiones, posteriores sc. Sethitas Cainitis fuisse foedere iunctos, quod ex 6, 2 confirmabimus.

Iidem auctores, qui duas unicam efficere adstruunt genealogiam, coguntur affirmare Lamechum Cainitam eundem esse atque Lamechum Sethitam, Noe patrem, atque hinc recenseri *Cainitas ad diluvium usque*. Sed et hoc falsum. Cainitarum septem ab Adamo ad Lamechum generationes, Sethitarum ad Lamechum Sethitam novem. At septem illae Cainitarum generationes nequidem ad septimam ab Adamo Sethitarum generationem censendae sunt pertigisse. Nam Adam adultus creatus est brevique post genuit Cain primogenitum : ergo Adam et Cain unam constituunt generationem. Sed Cain censeri potest ex 5, 3 fere centum triginta fuisse annorum, quando Adam genuit Seth, quo tempore Caini filius Henoch poterat omnino iam genuisse Irad. Neve obiicias, credi haud posse Cain annos c. 130 natum iam habuisse nepotes, dum Seth nonnisi anno suae vitae 105° genuerit Enos : gratis quippe supposueris, Enos fuisse Sethi filium primogenitum ;

plures Seth ante Enos potuit procreare liberos et probabilius procreavit. Quibus efficitur sequens synchronismus :



v. 17 « *Cognovit autem Cain uxorem suam* », utique sororem Adami filiam (*Chrys.*), « *quae concepit et peperit Henoch; et aedificavit civitatem vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Henoch* ». Uti v. 1 verbis « Adam vero cognovit uxorem suam », ita eadem h. l. formula nova orditur pericope. Prior pericope narratura Caini et Abelis inimicitias et inde secutam Caini in aliam regionem profectionem, nihil aliud, quod egerit Cain, commemorat. Nova a v. 17 pericope explicatura est genealogiam Cainitarum additis, quae illi ad vitae usus utilia instituerunt. Quorum si quid a Cain ante fratris necem fuerit inventum, omnino e genio est narrationis hebr., ut illud h. l., i. e. post narratam necem suppleatur, et quidem verbo, quod a nobis aut perfecto aut plusquamperfecto exprimi possit. Id esse e genio linguae hebr. norunt hebraistae quique, atque ita evanescit exitialis illa cum v. 12 sqq. pugna, quae viris doctissimis *Wellh.*, *Budde*, *Dillm.* occasio fuit diversos pericoparum statuendi auctores. En, inquiunt, v. 12 condemnatur Cain ad vitam agendam vagam et instabilem, v. 17 nihil in regione Nod antiquius habet, quam ut fixam sibi exstructa civitate sedem comparet. Ubi suggesserat *Aug.*, nonnisi plurimis elapsis annis Cainum grandaevum civitatem aedificasse. Manet tamen difficultas, videri v. 12 non pro solo Cain, sed pro Cainitis universim statui vita nomadica, quae fixas haud patitur sedes. Veram solutionem suggessit *Cai.* in nota marginali : « an vero Cain eam ante fratris caedem seu

postea exstruxerit, incertum est ». Agricolarum vita exstruendis oppidis apta, non nomadum. Quid Cain centum illis fere et triginta vitae annis, quae ad necem usque fratris effluxere, egit? Adolevit, agris colendis sedulam operam navavit, substantiam auxit, uxorem duxit, liberos procreavit, illis certas circa se ipsum sedes attribuit exstructis domibus, quae numeris familiarium crescentibus in civitatem excrevere.

Ergone Cain civitatem suam Henoch reliquit, ubi in regionem Nod secessit? Omnino, erat haec pars non minima poenae eius : quomodo vitam ageret vagus et profugus, si domi permitteretur sedere? Urbem derelictam crediderim Sethitas occupasse aliasque ad eius instar exstruxisse. Ergone Cainitae in regione Nod urbibus caruere? Id fere crediderim. Erat enim eorum vitae genus vagum et instabile, eorumque postea nobilissima tribus v. 20 non fuit urbicolarum, sed « habitantium in tentoriis atque pastorum ». Optime igitur omnia cohaerent neque ulli locus est textus emendationi.

Cum ceteri fere *suum* urbibus a se fundatis nomen imposuerint, cur Cain *filii* nomen imposuit? Quia vivida eo aevo hominum mentibus insederat promissio seminis, huicque filio promissae de serpente victoriae partem praesagiebat fortasse non exiguam, ideo non suum sed sui *seminis* nomen imposuit. — Quaeres forte, ubinam Babylonii, antiquissimarum traditionum studiosi, urbem Henoch exstitisse reputaverint. Urbis nomen in scriptura idem atque patriarchae Sethitae Henoch; cuius locum in serie Berosiana occupat *Edoranchus* quidam (corrupte Εὐεδώροχος); reges autem illos diluvio priores repetit Berosus e duabus civitatibus Pantibiblis et *Laranchis*. Iam si attenderis, quam similes fuerint literae graecae Δ et Λ, facile concedes, nomen Edoranchus ortum esse corruptione ex *Laranchus* idemque apud Babylonios, uti in Genesi, exstitisse septimi patriarchae et urbis primum exstructae nomen. Urbs autem Laranchae, quae utique eadem est atque illa, quae in narratione cuneiformi patriarchae diluvii patria assignatur et a doctis viris hucusque Surippak pronuntiabatur, praeterea a pluribus eadem creditur esse, quae in textibus cuneiformibus Larsa, Gen. 14, 1 Elassar appellatur et cuius ruinae Senkereh audiunt. At ultimos tantum tres patriarchas Berosus Laranchaeos scribit, priores *Pantibiblios*. Quo nomine ad 14, 1 ostendemus ipsam probabilius intelligi Babylonem. Ergo Babylonii Sethitarum primam sedem constituebant Babylone, Cainitarum ante exsilium sedem in tractu regionis meridionali. Habes hic fere antiquissimis temporibus attributam distinctionem inter Sumir et Accad. Quodsi iidem etiam terram Nod ad orientem regionis Eden constituebant, tum alius non relinquitur tractus nisi is, qui inter ipsa Euphratis et Tigris ora, atque hoc flumen inter et Eulaeum Susianae patebat, tractus palustris et ipso regum Assyriorum aevo nomadum Chaldaeorum patria; dico alium non relinqui, cum tam prope abfuerit Nod ab Eden, ut Sethitae venustate mulierum Cai-

nitarum illici potuerint. Haec autem omnia non pronuntiamus ita fuisse, sed tantum a Babyloniis ita credita esse. Non sequitur, paradisum Babylone fuisse. Facile intelligitur, eos sacrorum omnium originem Babyloni attribuisse. Illud potius admiratione dignum, quod cum primas Sethitarum sedes suae sacrae civitati Babyloni attribuissent, non tamen potuerint, quin tres ultimos ante diluvium patriarchas inde reducerent Larsam et Laranchaeos scriberent. Videtur hac in re traditio genuina fortior exstitisse traditione fucata.

v. 18 « *Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael* » seu Malaleel (*LXX*), « *et Maviael genuit Mathusael* » seu Mathusala (*LXX*), « *et Mathusael genuit Lamech* ». Nomina discussimus supra. v. 19 « *Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada et nomen alteri Sella* ». Ratio utique primaria, cur uxores recenseantur, ea est, quod auctor mox enarraturus sit carmen Lamechi, quod earum meminit uxorum. Ratio non est, ut discamus, qua matre natus sit Iabel etc., nam aliorum patriarcharum matres neque recensentur. Primus *Tert.* Montanista factus (De Exhort. ad Cast. c. 5 et De Monogamia c. 4; *M.* 2.920. 934) invehebatur in Lamech, quod polygamiam invexerit : textus affirmat duas habuisse uxores, primum polygamiam exercuisse non affirmat. v. 20 « *Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum* ». Pro patre *Chald.* scribit *magister, Bonfr.* explicat « auctor et inventor artis »; at vox sensu proprio intelligenda est. Non dicitur Iabel pater *omnium* etc. : fuerat Abel pastor, et sine dubio alii post eum in regione Eden greges pascebant; sine dubio Cain greges, maxime armentorum, quae v. 2 Abelo non tribuuntur, secum duxit in terram Nod, quam v. 20 ostendit alendis gregibus fuisse aptam; nomades imprimis gregibus aluntur. Auctor loquitur de Cainitis, saltem de illis eorum tribubus, quae regioni Eden propinquiores oppido innotuerant Sethitis. Earum novit tres, quas « castas » apte dixeris; exercebant singulae quas a parentibus didicerant artes, pastorum, artificum, bellatorum.

ישב אהל ומקנה : verbum ישב cum accus. significat habitare *in* et etiam *apud*, cf. Ps. 21 (22), 4 : ergo *habitantium in tentoriis et apud greges*, constructio durior, quam explicant *LXX Chald. Syr.*, quin supponendi sint alium legisse textum (יקנה מקנה). מקנה latius patet quam v. 2 צאן, complectitur (*Kn.*) boves (26,14; 47,17; Ex. 34,19), camelos et asinos (Ex. 9,3 sq.; Iob 1,3). Cf. *E. Nestle :* Marginalien u. Materialien, Tübingen 1893.

v. 21 « *Et nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cithara et organo* », seu tibia, *Chald.* אבובא. Etiam h. l. sume *pater* sensu stricto, eiusmodi artes a patre transibant in filios. V. 22 « *Sella quoque genuit Tubalcain* », — *LXX* Θόβελ, post quam vocem abundat

καὶ ἦν ; hoc ortum videtur corruptione ex καίν, et primo καιν ita ex versu dilapso omitti oportuit etiam alterum καιν in fine versus — « *qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri* ». Haud dubium etiam Tubalcain factum esse patrem fabrorum : id vero non commemoratur, quod attentio non iam ad viri posteros, sed ad eius parentem Lamech convertatur.

לטש כל חרש נחשת וברזל secundum punctationem *Masor.* sensum habet absurdum : *malleator omnis fabri aeris et ferri.* Gratuito quippe pro חֹרֵשׁ *Ges.* adstruit significationem « instrumentum », neque eandem confirmat 3 Reg. 7,14. Neque vertere licet cum *Schumann* (ap. Budde p. 137 sq.) « faber omnium fabrorum », ita enim abundat כל (quod quidem ignorant *LXX*) et scribendum erat חרשי; neque cum *Tiele* (ib.) « ipse omnis generis res malleabat et cudebat aes et ferrum », i. e. postquam multa malleare tentaverat, tandem invenit artem cudendi ferri. חרש omittit *Syr.*, dum *Chald.* ante כל supplet אבי, utrumque arbitrarie. Pro חֹרֵשׁ cum *Vulg. Chald.* punctandum חֶרֶשׁ (cf. Is. 3,3); *malleator omnis operis aeris et ferri.* Etiam sic manet constructio nonnihil asyndetica; tamen nulla est ratio cum *Budde* pro קין לטש scribendi ויהי למך : Lamech non esse subiectum vel inde patet, quia membrum tam praecedens quam sequens de Tubalcain agit. Si aliquam crediderис requiri textus emendationem, scribas הלטש vel וילטש.

« *Soror vero Tubalcain Noema* ». Nomen etiam habetur 3 Reg. 14,21. 31 et 2 Par. 12,13. Cur omnium filiarum istorum virorum Cainitarum haec una recensetur? *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* eam fecere « magistram lamentationum (קינה) et cantionum » ; cum sc. frater Tubal affixum habeat קין, illi sorori attribuere קינה, ex quo lusu illa orta est fabula. *Budde* p. 142 sq. nomen hac ratione in textum irrepsisse censet : tres tribuebantur Lamecho filii duaeque uxores; duobus filiis uni genitrici assignatis, pro altera unicus praesto aderat filius; hinc, ut aequalitas quaedam servaretur, excogitata est filia quaedam atque eidem matri concessa. Lusus sunt viro serio indigni. Sapientius *Dillm.* pronuntiat haud esse dubitandum, quin Noema haec principem aliquem locum in historia Cainitarum obtinuerit, putatque eam se ad Tubalcain simili fere ratione habuisse, atque ad Vulcanum Venus. At prudenter *Len.* Origines I. 204 s. monet temperandum esse ab eiusmodi deorum comparationibus. Duo praesto sunt, quibus coniectura definiamus, quaenam in Cainitarum actis Noemae partes fuerint, mulieris nomen et locum, quo illud in narratione prostat. Est sc. sacer auctor in narrandis fatis gentis communi diluvii exitio perimendae. Cuius causam narraturus est 6,2 Sethitarum cum venustis Cainitarum filiabus connubia. Sethitarum seriem per decem generationes ad diluvium usque producit, Cainitarum ad septimam tantum generationem. Cur ita? Non ob aliam sane rationem, quam quod tum ea connubia aut

omnino celebrari aut certe communius celebrari coeperint. Iam hoc praecise loco in s. textu prostat Noemae nomen, quod *Venustam* sonat. Consonant quandoque nomina propria iis, quorum propria sunt, hominibus, maxime mulieribus, quae et frequenter formosae sint (cf. 6,2) et frequenter etiam nomina a corporis forma nanciscantur. Fuerit igitur ista Noema venusta, filia Lamechi armipotentis, fuerit e pulcherrimis earum, quae 6,2 recensentur, filiarum hominum. Quid, quaeso, hoc nomen hoc loco insertum vult? Fuit sc. Noema prima de stirpe principum domus Cain, quae alicui Sethitarum nupsit, non homini plebeio sane sed eidem principi, fortasse Iaredo, qui sextus est in serie Sethitarum. Dices : curnam igitur auctor non explicite statuit, Noemam nupsisse Iaredo? Respondeo, quod narrator fuerit e posteris ipsius Iaredi (Noe) neque censuerit atavi sibi infamiam esse propalandam, maxime cum is diluvio graves iam sceleris poenas tulisset. Ad nostram expositionem proxime accedit *Ephr.*, tacito tamen Noemae nomine. — Ceterum incisum, quod agit de Noema, parenthesis instar est et v. 23 intime nectitur iis, quae de Tubalcain malleatore dicebantur, continet quippe *Lamechi tripudium* ob arma ferrea a filio praebita.

v. 23 « *Dixitque Lamech uxoribus suis Adae et Sellae :*
Audite vocem meam uxores Lamech,
auscultate sermonem meum :
Quoniam occidi virum in vulnus meum
et adolescentulum in livorem meum ».

v. 24 « *Septuplum ultio dabitur de Cain :*
de Lamech vero septuagies septies ».

Hoc carmen esse *perantiquum* concedunt recentiores omnes : cf. *Ew.* I. 382, *Len.* qui illud tribuit « aevo praemosaico » ; *Reuss* p. 255, qui illud et reliquum cap. IV vocat « disiecta membra poetae remotissimae et haud definiendae antiquitatis » ; *Len.* l. c. I. 187, qui ait : « dernier vestige de l'existence de poésies populaires remontant à une extrême antiquité, qui devaient exister chez les Téra'hites antérieurement même à leur migration vers la Palestine. Ewald a eu pleinement raison de le qualifier comme le plus ancien morceau que renferme la Bible, et je le dirais même volontiers le plus ancien débris littéraire que nous ait légué aucun peuple sémitique ».

Carmen tribus constat distychis metricis. Quorum primum ad audiendum invitat. Alterum, si verbum pro perfecto historico accipias (*Vulg. LXX*), factum aliquod statuit interfecti cuiusdam a Lamecho viri seu adolescentis. Rabbinorum de hoc facto commenta recensent *Hier.* (Ep. 36, alias 125 ad Damas. ; *M.* 22.452 sqq. ; et vide *Rahmer*) et *Proc.*, neque vacat eadem repetere. Necesse etiam non est, cum *Bas.* (Ep.

260,5; *M.* 32.961 sqq.) et *Proc.* defendere *adolescentem* illum et *virum* duos esse homines a Lamech interemptos : *sufficit* cum *Theodoret.* statuere unum virum adolescentem. Solos memini *Chrys.*, *Theodoret.* et *Bas.* Lamechum laudantes ob sinceram peccati confessionem; cuius sententiae fortasse etiam erat *Ios.*, qui eum virum scribit τὰ θεῖα σαφῶς ἐπιστάμενος. Reliqui merito illum impietatis arguunt. לפצעי, לחברתי non est vertendum « vulnere a me inflicto » (*Bonfr.*), id enim non patitur constructio hebr.; oratio esset pleonastica, cum vulneribus occidi homines per se pateat, et absurda, cum vibicibus homines exanimari haud consueverint; sed cum *Vulg. LXX* vertendum *in vulnus, in vibicem meum*, i. e. mihi inflictum. « Quo vulnere virum confodi, eodem me cruentavi; et qua plaga decoloravi adolescentulum, illa ipsa atrum meo animo livorem induxi, notam sc. homicidii ac reatum » (*Lap.*). Ergo alium occidendo me ipsum laesi, illum percutiendo me ipsum vulneravi et quidem ita, ut poenam longe maiorem merear ea, quam Deus v. 15 ei comminatus fuerat, qui Cain occidisset. Tamen haec expositio difficultatem habet. Non cernitur, cur illius adolescentis vel, si id praeferas, viri et adolescentis nex poenam mereatur tanto maiorem ea, quam meruisset Caini nex a Deo speciatim prohibita. Praetera ingens illud damnum ab occisore sibi ipsi illatum inepte exprimeretur vocibus *vulnus* et magis etiam *vibex*, quod est leve omnino vulneris genus; scribendum potius erat vulneravi virum in necem meam : Accedit tandem, abrupte prorsus commemorari factum illud de cetero ignotum interfecti a Lamecho cuiusdam ignoti adolescentis. Unde merito exclamat *Per.* : « Obscurus et perplexus est hic locus »; similiterque alii loquuntur.

Hinc *Malv.* aliique vertunt *pro vulnere, pro vibice meo.* Et poteris sic exponere : Vir ille mihi inflixit vulnus, ego vicissim non merum vulnus, sed mortem illi inflixi. Est hoc sane crudelitatis poenamque meretur gravem : at cur tanto graviorem poena infligenda occisori Cain? Quam expositionem ita emendat *Calm.* : Occidi utique virum, sed iuste occidi, quod ille mihi prior vulnus inflexerit; ergo non mihi est timendum, ne quis mihi ob iustam illam necem mortem inferat; quodsi enim interfectorem Cain, qui iniuste fratrem trucidasset, manebat poena septupla, quam ingens poena manebit interfectorem mei, qui iusta defensione usus sim? At quorsum haec commemorantur? Rationem assignare poteris haud aliam, nisi voluisse auctorem recitato Lamechi carmine nos docere, non musicam solum, sed etiam poesin ante diluvium natam esse. Quod est scitu sane dignissimum : at cur istud carmen non illico post v. 19 inserebatur, sed post natorum Lamech elenchum?

Veram expositionem post *Aben Ezra* tradidere *Vat.*, *Mar. Malv.*, sc. *occidi* non esse perfectum historicum, sed scribi pro facto futuro certissime eventuro. Accipit Lamech de manu Tubalcain filii primum gladium, sentit se iam omni adversario fortiorem regulamque proclamat, qua in posterum iniurias sibi illatas sit repensurus : Pro quovis vulnere mihi illato interficiam virum, pro vibice i. e. leviori vulnere interficiam puerum; statuerat Deus, ut pro iniuria Caino illata septupla rependeretur ultio, at ego melius mihi providebo, ultionem repetam septuagies septies pro quavis iniuria mihi inflicta. « Ce chant respire un tel accent de férocité primitive, qu'on le placerait volontiers dans la bouche d'un sauvage de l'âge de pierre dansant auprès du cadavre de sa victime en brandissant son casse-tête de silex ou la mâchoire d'ours des cavernes, dont il a su se faire une arme terrible » (*Len.* l. c.). Blasphemiam habet ille cantus, cum Lamech praetendat efficacius a se ipso defendi se, quam a Deo sit defensus Cain. Patet cur cantus nonnisi post v. 22 inseratur, quo Tubalcain narratur primus arma ferrea cudisse; verba v. 24 eodem adamussim sensu scribuntur, quem eadem verba v. 15 induebant; patet ratio, cur cum *viro* copuletur *puer*, cum *vulnere vibex*, sc. statuitur quod dicimus « un tarif » caedium perpetrandarum. Apte hoc canticum Cainitarum acta claudit, qui e patre fratricida orti iam sola violentiae et insolentiae lege vivunt; neque censendi sunt, qui tam parvi fecerint aliorum vitam, ab eorum bonis aut uxoribus cohibuisse manus, quin potius omnia replevisse rapinis omnemque excussisse pudorem.

C. Sethitarum origo et nomen. Gen. 4,25 sq.

Cur Cainitarum genealogia ultra septimam generationem non producatur, non immediate patescit; uti neque, cur ad eius genealogiae calcem versus 25 sq. de Seth et Enos adscribantur, de quibus viris rursum agit Gen. 5,3 sqq. Res fit clara, ubi primum supposueris, antiquitus 4,17-26 et 6,1-8 unam continuam fuisse narrationem. Ita sc. totus narrationis apex cernitur in Sethitarum cum Cainitis 6,1 sq. coniugiis, quae universalis morum corruptionis et tandem diluvii exstitere causa. Ad quem apicem duplici veluti tramite assurgit praecedens narratio : primum Cainitarum genealogia producitur ad Noëmam usque, quae tanta fuerit eorum coniugiorum pars; dein 4,25 sq. ratio redditur appellationis filiorum Dei, qua 6,2.4 Sethitae designantur. Post quae immediate narrabantur filiorum Dei cum filiabus hominum coniugia. Huic narrationi post diluvium Noe inseruit cap. 5, Sethitarum genealogiam, quae eo usque paulatim in hominum ore creverat quamque

ipse absolvit eiusque clausulam 9,28 sq. post absolutam universam diluvii narrationem adiecit.

v. 25 « *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam et peperit filium vocavitque nomen eius Seth dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain* ». Ultimum incisum censet *Budde* p. 155 esse verba non Hevae sed auctoris : merito retorquet *Dillm.* abundare verba, si supponantur esse auctoris, occisum quippe esse Abel a Cain supra didicimus; non abundare, si supponantur esse matris tristem Abeli sortem usque habentis in mente.

In Generationibus coeli et terrae voci אדם constanter praefigitur articulus, ea accipitur proxime ut nomen genericum, quod utique a Deo datum fuerat protaparenti pro nomine proprio. Inde a 4,25 articulus omittitur, vox omnino ut nomen proprium adhibetur.

Plura in hunc versum causatur *Budde* l. c., v. g. non posse esse genuinum וידע עוד, quod ידע aut de primo solum concubitu, aut de resumpto post longam sterilitatem (1 Reg. 1,19) adhibeatur, non de repetito coniugum concubitu. Usus loquendi Hebraeorum non est arbitrarie effingendus, sed ex scriptura colligendus; iam hic textus invicte probat eum loquendi usum, quem negat *Budde*. Cf. Gen. 38,26 יָלֹא יָכַף עוד לדעתה. Adverte tandem illud עוד desiderari apud *LXX Syr.* : LXX post אשתי inserente והנה (cf. v. 1), et Syro ante eandem vocem חוה; tandem עוד vel עד facillime potuit in textum irrepere ob praecedens וידע. Ergo dimittenda futilis obiectio, quae dubia nititur lectione. — Rursum impugnat Budde expressionem זרע אחר; praetendit שית זרע esse ponere semen intra eandem naturam, ergo addito אחר exprimi semen alterius naturae seu speciei. Attamen ex 1 Reg. 1,11 illico cogitur concedere, posse addita voce eiusmodi expressionem ita modificari, ut differentiam sexus exprimat (זרע אנשים, « sexum virilem »); cur non igitur addito אחר possit exprimere differentiam personarum in eodem sexu eademque natura? — Tandem causatur *Budde*, שת vi etymi non significare *positus loco alterius*, sed *positio, germen*. Utique unica voce שת non poterat explicite id omne exprimi, quod tota Hevae sententia v. 25 habet; etiam קין v. 1 bene exprimit *possedi*, non vero *hominem* neque *per Deum*. Ideo praecise illis sententiis nomina explicantur, quia ex solis nudis nominibus haud possemus ea omnia certo intelligere, quae nomina imponentes in mente habebant.

v. 26 « *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos* » i. e. homo; « *iste coepit invocare nomen Domini* ».

הוחל primitus fuisse scriptum non plene החל, videtur e *Sam.* colligi. Porro legebant *Hebr. Sam. Chald. Syr. Aq.* אז החל quod pual punctantes verterunt *tum coeptum est*, *Chald.* vero erronee *tum profanatum est;* e contra *Vulg. LXX* זה החל, *ipse coepit;* nisi mavis discrimen revocare ad textum eundem non corruptum, sed liberius explicatum, ut ipsi illud Enos tamquam personae principaliori attribuerint, quod textus enuntiat impersonaliter. Construitur החל cum ל etiam 6,1.

At difficultatem maximam habet expressio קרא בשם יהוה. Tres praeci-

puae sunt sententiae. Frequentissime igitur קרא בשם induit sensum *invocandi nomen* : Gen. 12, 8 ; 13, 4 ; 21, 33 ; 26, 25 ; Ex. 34, 5 ; 3 Reg. 18, 24 sqq. ; 4 Reg. 5, 11 ; Ps. 78 (79), 6 ; 79 (80), 19 ; 104 (105), 1 ; Is. 41, 25 ; 64, 7 ; 65, 1 ; Ier. 10, 25 ; Ioel 2, 32 (3, 5) ; Soph. 3, 9 ; Zach. 13, 9. Hinc *Vulg.* h. l. *invocare*. Sat plana versio, sed difficilis explanatio. Nonne iam ante Seth invocaverant Deum homines? Omnino, inquiunt *Hugo*, *Bonfr.* aliique, sed non agitur hic de invocatione qualibet, sed de *solemni;* Seth cultum ordinavit, sacrificia, ritus instituit. Ex textibus citatis aliqui sane de invocatione agunt solemni, plerique secus ; solemnitas certe non ex sola expressione erui potest. — Quare *Cai.* aliique voci יהוה insistentes putavere illud nostro textu affirmari, primum omnium Seth Deum nomine *Iahve* invocasse : verum id haud videtur consonare cum Ex. 6, 3. — Aliis textibus קרא בשם induit significationem *vocare nomine*. Ex. 31, 2 : « Vocavi nomine Beseleel » ; 33, 19 : « Vocabo nomine Iahve coram te » ; Num. 32, 38 : « vocaverunt nominibus nomina urbium » ; Est. 2, 14 : « nisi ea vocaretur nomine » ; Ps. 48 (49), 12 : « vocaverunt nomine suo terras », i. e. sua nomina terris imposuere ; Is. 40, 26 : « stellas nomine vocat » ; 43, 1 : « vocavi te nomine tuo » ; 44, 5 : « ille vocabit nomine Iacob » ; 45, 3 sq. : « vocans te nomine tuo » ; 48, 1 : « qui vocamini nomine Israel ». Hinc *Ephr.* etc. censent Gen. 4, 26 referri, coepisse inde a Seth tribum electam vocari *populus iustus Iahve*. Ita noster versus aptissime praeparat narrationem 6, 2, ubi secus mentio filiorum Dei et filiarum hominum obscuritate laboraret. Quomodo vero pro nomine אלהים nomen יהוה in textum irrepserit in Introductione explicavimus.

GENERATIONES ADAM

GEN. 5,1-6,8

CAPUT I.

GENEALOGIA SETHITARUM. GEN. 5.

Haec Tholedoth duo complectitur documenta : *genealogiam Sethitarum* cap. 5, *morumque corruptionem* diluvium praecedentem 6,1-8.

In *genealogia Sethitarum* distinguere oportet ipsam nudam *genealogiam*, et *additamenta* quaedam *historica* eidem adiecta.

Genealogia certis quibusdam formulis absolvitur, constat fere *nominibus* et *annis*. E nominibus secundum lectiones probabiliores definitis (p. 185 sq.) apparet, patriarcharum Sethitarum posteriorum quatuor omnino nominibus appellatos esse, quae iam ante principum quorumdam Cainitarum fuissent propria : unde suspicari pronum est posteriorum horum Sethitarum cum Cainitis commercium, imo etiam connubia. Anni secundum textum Sam. emendati (p. 201) produnt trium patriarcharum Sethitarum ipso diluvii anno mortes : unde merito coniiciat quis, in poenam scelerum eosdem diluvio esse oppressos.

Additamenta historica in priore genealogiae parte deprehenduntur nulla, in posteriore duo. Quae cum eos viros respiciant, Henoch et Noe, qui soli (5,22. 24; 6,9) traduntur « ambulasse cum Deo », legitima est coniectura, reliquos patriarchas Sethitas posteriores, aut omnes aut aliquos, cum Deo non ambulasse.

Quare tota haec genealogia, licet primitus documentum fuerit tam a praecedente cap. 4, quam a sequente cap. 6 narratione distinctum ac separatum, tamen aptissime eo, quo nunc in Genesi legitur, loco inserta est, cum et a praecedente narratione ad Lamech usque et Noeman producta lumen accipiat, et sequenti 6,1-8 narrationi lumen ipsa affundat.

1. *Critica numerorum genealogiae.*

Antequam textum exponendum aggrediamur, dicendum nobis est de *patriarcharum annis et longaevitate*.

Numerorum, qui in hac genealogia leguntur, tres habemus recen-

siones : *Hebr.*, cui accedunt *Vulg. Chald. Syr.; Sam.; LXX.* Dum *Hebr.* et *Sam.* in numeris septem patriarcharum e decem penitus consentiunt, *LXX* in solo Noe cum illis concordat, in Iared insuper cum Hebr., in reliquis omnibus dissonat. Sunt et alia, quae hanc recensionem suadent minus esse fidam quam alias duas. Verum antequam cum his illam comparemus, eius genuinum textum restituamus oportet; aliter quippe *Ios.*, qui numeros LXX recitat, ea in versione quaedam legebat.

	LXX recepta.					LXX Iosephi.				
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	
	mundi	vitae		vitae	mundi	mundi	vitae		vitae	mundi
7 Henoch	1287	165	200	365	1487	1287	165	200	365	1487
8 Mathusala..	1454	167	802	969	2256	1474	187	782	969	2256
9 Lamech	1642	188	565	753	2207	1656	182	595	777	2251
10 Noe.....	2142	500	450	950	2592	2156	500	450	950	3106
Diluvium.....		600			2242		600			2256

Concordant numeri pro Henoch et Noe, sed interiecti discordant Mathusala et Lamech, in quibus Ios. cum Hebr. concordat. Est autem in textu LXX recepto ille evidens error, Mathusalam producere vitam usque ad 2256, ergo quatuordecim annos post diluvium 2242, dum apud Ios., uti in Hebr. Sam., vitam ad annum diluvii usque nec ultra producit. Dices, non inde sequi genuinos LXX numeros iam legi apud Ios.; deprehendisse eum scriptorem evidens mendum, quod inesset textui suo LXX respectu Mathusalae, atque ad illud mendum eliminandum transsumpsisse pro Mathusala et Lamech numeros ex Hebr. Attamen non sat probabiliter istud affirmabis. Quid enim? Habemus textum LXX certe mendosum; quem certissime praecessit textus aliquis genuinus mendique expers, et is quidem aut graecus aut certe hebraeus. Praeterea habes Josephi, qui solet numeros a LXX repetere, numeros eosque mendi expertes. Num ergo iure suppones, ex textu genuino primum fluxisse mendum LXX, inde hoc mendum a Ios. esse correctum? an non potius astrues, in Josephi numeris nos cernere eum ipsum genuinum textum, quem nostra LXX recepta depravatum exhibet? Igitur in eum, quem modo subiiciemus, numerorum apud Sam. Hebr. LXX conspectum pro Mathusala et Lamech referimus numeros non LXX receptae sed Josephi. — De Ios. tractantes unum addere placet. Cap. 3 n. 3 ait ad diluvium usque effluxisse annos 2656, i. e. praecise millennium plus quam scribit Hebr.; sed Cap. 3 n. 4 ex singulorum numerorum comparatione videbis, computasse Ios. solos 2256 annos ad diluvium. Prior numerus error est, quales apud Ios. non ita sunt rari.

Post emendatos ex Ios. numeros LXX subiicimus iam conspectum

	Samaritanus.			Hebraeus.			LXX Iosephi.		
	A Genuit anno	B Vixit, postquam genuit, annos	C Mortuus est anno	A Genuit anno	B Vixit, postquam genuit, annos	C Mortuus est anno	A Genuit anno	B Vixit, postquam genuit, annos	C Mortuus est anno
	mundi vitae		vitae mundi	mundi vitae		vitae mundi	mundi vitae		vitae mundi
1 Adam.....	**130** 130	800	930 **930**	**130** 130	800	930 **930**	**230** 230	700	930 **930**
2 Seth.....	**235** 105	807	912 **1042**	**235** 105	807	912 **1042**	**435** 205	707	912 **1142**
3 Enos.....	**325** 90	815	905 **1140**	**325** 90	815	905 **1140**	**625** 190	715	905 **1240**
4 Cainan.....	**395** 70	840	910 **1235**	**395** 70	840	910 **1235**	**795** 170	740	910 **1535**
5 Malaleel.....	**460** 65	830	895 **1290**	**460** 65	830	895 **1290**	**960** 165	730	895 **1690**
6 Iared.....	**522** 62	785	847 **1307**	**622** 162	800	962 **1422**	**1122** 162	800	962 **1922**
7 Henoch.....	**587** 65	300	365 **887**	**687** 65	300	365 **987**	**1287** 165	200	365 **1487**
8 Mathusala...	**654** 67	653	720 **1307**	**874** 187	782	969 **1656**	**1474** 187	782	969 **2256**
9 Lamech.....	**707** 53	600	653 **1307**	**1056** 182	595	777 **1651**	**1656** 182	595	777 **2251**
10 Noe.....	**1207** 500	450	950 **1657**	**1556** 500	450	950 **2006**	**2156** 500	450	950 **2706**
Diluvium.....	600		**1307**	600		**1656**	600		**2256**

omnium numerorum, quales a Sam. Hebr. et emendata LXX exhibentur. Quorum singuli trinis columnis A, B, C tradunt numeros primum annorum aetatis, quos habebat patriarcha dum filium generaret, secundo annorum, quos post natum filium vixit, tertio annorum totius vitae seu summam C ex additis A et B conflatam.

Quae si attente lustraveris, illico perspicies miram plane columnarum C concordiam, cum LXX eosdem cum Hebr. habeat numeros omnes, cum Sam. fere omnes. Ubi error irrepsisset in A vel B, quid erat obvium magis, quam ut is specie tenus corrigeretur mutata summa C ita, ut additis A et B aequaretur? Verum id factum cernimus nusquam. Religiose servabantur numeri C mutatis A vel B, quo celaretur hiatus. Videntur illae summae altius etiam quam reliqui numeri Hebraeorum mentibus inhaesisse et ab iis quodammodo habitae esse sacrae. Errant profecto, qui propterea, quod Gen. 5 in numeris dissentiunt versiones, pronuntiant de duratione aevi diluvio prioris nihil constare omnino, nulla eius aevi in scriptura describi tempora : manet illud certe inconcussum, longissimam plurium saeculorum vitam illos patriarchas traxisse.

Aliter res habet, si ad columnas A et B adverteris animum. Ibi constans et uniforme deprehendes hic inter LXX, illic inter Sam. Hebr. discrimen. Sc. summis C perseverantibus utrimque iisdem, numeri A apud LXX semper centenis maiores sunt iis, quos e regione profert Sam., fere semper iis, quos habet Hebr.; numeri autem B centenis sunt minores, quo summae C aequalitas praeservetur. Patriarchae secundum LXX provectiore aetate generant, pauciores autem annos post filios genitos superstites sunt. Quo illud efficitur, ut epocha diluvio anterior apud LXX 600 annis Hebraei, 949 annis Samaritani computum excedat : diluvium obtigit anno a mundo condito secundum LXX 2256, secundum Hebr. 1656, secundum Sam. 1307. Numerorum mutationes tam uniformes meris scribarum erroribus adscribi nequaquam possunt; deprehenditur in illis, quod iam observabat *Aug.* (De Civ. Dei XV. 13; *M.* 41. 452 sqq.), consilium et ars volentium textum sive depravare, sive depravatum restituere. Verum uter textus corruptus sit, uter genuinus, quaeritur. An dicemus, LXX eam epocham produxisse, an Sam. Hebr. illam contraxisse? Ex meris numeris definiri res neutiquam potest. Aut quomodo demonstrabis, debuisse Adam non 230 sed 130 annos esse natus, quando genuit Sethum? At res definiri potest ex eo, quem modo ostendebamus, effectu. Age, utrum tibi probabilius videtur, aut LXX epocham studiose produxisse, aut Sam. Hebr. eandem contraxisse? Nulla erat ratio, cur Sam. Hebr. epocham contraherent; non abhorrebant Hebraei numeros illos maio-

res, secus non tam religiose illos in columna C retinuissent. At ratio esse poterat epochae a LXX producendae : omnes circum nationes fabulosa tum antiquitate gloriabantur, Aegyptii, Babylonii, Graeci; immensas periodos regnis humanis praefigebant. Quibus comparati iciuniores videbantur Hebraeorum annales, qui saecula non plura quam tredecim vel sexdecim ante diluvium computarent. Dolendum sane, sed haud ita mirandum, eum qui Genesin graecae fidei reddiderit, aut scribarum aliquem post illum textui imprudentes adhibuisse manus easque effecisse mutationes, quae specie tenus vix attingerent narrationem, simul tamen sexcentos vel plures annos adderent epochae. At, cur non plures addiderit inquires.

Volebat emendator ille annorum vitae summas servare, fortasse quod notiores essent, quam ut impune perverti possent; satisque sibi videbatur fecisse, si generationis annos centenis additis augeret, veritus haud immerito, si plures addidisset, rem visum iri nimis incredibilem.

Reiectis iam LXX placitis quoad numeros A et B, inquirendum superest, sintne numeri Hebr. Vulg. Chald. Syr, et LXX correctae praeferendi iis, quos Sam. habet, annon. Quae disputatio arctioribus circumscribitur limitibus. Iidem quippe sunt numeri apud Hebr. et Sam. quoad quinque primos patriarchas, quoad Henoch et Noe; discordant quoad Iared, Mathusala, Lamech. Ex meris numeris nequit res definiri : aut quomodo ex solis numeris demonstrabis, fuisse Iared non 162 sed 62 annos natum, quando genuit Henoch, et nato filio non 800 sed 785 annos superstitem fuisse? At suum habet diversitas numerorum effectum eumque sedulo pensandum. Dum enim secundum Hebr. unus Mathusala ipso diluvii anno 1626 vel 2256, ergo sane per diluvium vita cedit, secundum Sam. patriarchis omnino tribus, Iared, Mathusala, Lamech, idem annus 1307 fatalis est. Idne fortuito factum esse dices? Ergo illuc tandem redit tota quaestio : supponendusne est Sam. eo fine mutasse numeros, ut praeter Mathusalam etiam Iaredum et Lamechum diluvii aquis obrueret, an potius Hebraeus ideo eosdem alterasse, ut Iaredum et Lamechum ignominiosae nimis morti subduceret? Si genuinos supponas Hebraei numeros, nullam poteris assignare rationem, cur ita Sam. in duos patriarchas saevierit, quorum uterque sanctum filium genuit, quinimo alter 5,29 prophetiam ediderit. Verum si Sam. numeros genuinos supponat, evidens profecto est ratio mutati ab Hebraeo textus (cf. *Budde* p. 93 sqq.).

Licet enim scriptura nequaquam affirmet omnes decem patriarchas fuisse pios, at mature apud Hebraeos invaluit eius rei opinio : credebantur, uti omnes Cainitae mali, ita Sethitae omnes fuisse boni. Qui

ita opinabantur, admirabantur sane illos s. textus numeros, qui tres insignis pietatis viros ipso diluvii anno exstinctos exhibebant; animis minus aequis illos numeros contemplabantur, proni erant ad illos vel levi oblato praetextu tamquam spurios repudiandos. Iam finge, in uno paucisve apographis unum alterumve numerum casu fuisse depravatum : quid obvium magis, quam ut hi numeri depravati ut genuini a pluribus reciperentur atque ex illis posteriorum quinque patriarcharum anni recuderentur ita, ut duo saltem ex illis tribus aliquamdiu ante diluvium supremum diem placide obire permitterentur? Censemus igitur genuinos numeros apud Sam. reperiri descriptos.

Vestigium mihi videor apud *Ios.* deprehendere, quam admirationem eius aequalibus Iudaeis illud fecerit, s. textum vel solum Mathusalam exhibereanno diluvii interiisse. Monet ille, patriarcharum magna cum diligentia non natales solum, sed etiam *obitus* in libro sacro describi. Postea tamen de singulis disserens obitus annos non recenset, sed inepto euphemismo usus et ethnicorum fabulas imitatus, quae primorum hominum non vitas celebrant sed *regna*, singulos patriarchas post certum annorum numerum non mortuos esse, sed filiis ait principatum detulisse. Tandem concludit : ἐξεταζέτω δὲ μηδεὶς τὰς τελευτὰς τῶν ἀνδρῶν· τοῖς γὰρ αὐτῶν παισὶ καὶ τοῖς ἐκείνων ἀπογόνοις συμπαρεξέτεινον τὸν βίον. ἀλλὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν μόνον δράτω. Iam vero cur nos Ios. dehortatur, ne in patriarcharum mortes inquiramus, cum ipse modo concesserit easdem in scriptura accurate reperiri adnotatas? Ratio est, quia ex temporibus mortium, qualia tum in s. textu legerentur, nascebantur disquisitiones salebrosae piisque Iudaeis invisae de uno alterove patriarcha ipsis diluvii aquis absorpto. Ex quo simul Iosephi effato illud colligo, legisse tum Iudaeos numeros, non quos nunc pro Iared, Mathusala, Lamech habet LXX, sed quos habet Hebr., vel etiam Sam.

Porro cum iis, quae modo de numeris disputavimus, lubet conferre, quae supra de *nominibus* docebamus. Lamech Cainita fere aequalis fuit Malaleel Sethitae, illius filia Noema Iaredi, post Iaredum patriarchae Sethitae tres nomina habent eadem, quae ante patriarchis quibusdam Cainitis indita fuerant. Sethitae tres, Iared, Mathusala, Lamech, si obitus annum 1307 attendas, diluvio interiere. Inter quos medius vitam agebat Henoch ille sanctus, quo vivente omnia teste Iud. 14 sq. occupaverat impietas. Compone jam disjecta narrationis membra. Quarta probabilius generatione videntur Cainitae a Sethitis in gratiam esse recepti. Cainan filio nomen Cainitae Malaleel imposuit. Malaleel in hoc patris quidem exemplum imitatus non est, cum gratuito praetendant aliqui idem quod Irad nomen esse Iared. Tamen arctioribus sub Iared vinculis duae familiae sunt inter se copulatae, quando is patriarcha Noemam, Lamechi Cainitae filiam, uxorem duxit. Talia non popularium solum sed ipsorum principum infanda connubia exstitisse suadent expressiones 6,3. 5.11. 12 : universalis quippe cor-

ruptio supponit vel ipsos principes communi labe fuisse infectos. Post Iared tribus patriarchis indita totidem Cainitarum nomina; et illorum quidem duo una cum Iaredo diluvio periere. Cerne jam impia connubia totam Sethitarum gentem 6,2 foedantia, Cainitas in antiquam urbem Henoch reduces divinamque irritantes maledictionem; Iubalitarum audi concentus, puellarum choros; Iabelitarum pastorum in foris cum Sethitis agricolis contuere commercia, Cainitarum et Sethitarum in communes hostes, et ipsos ex Adamo prognatos, foederata arma. Erant tum inter vivos Adam communis adversarum factionum parens, Seth sanguinis Abel haeres, et Enos, filiorum Dei degenerorum antecessor. Natus est ea tempestate Henoch, a patre nomen nactus profanum, quod tamen ipse postea vita pie acta consecravit. 43 annis Adami, 155 Sethi, 180 Enos is fuit aequalis, 180 annis Noe iuventuti adstitit magister et monitor, ceteris invisus praeco divina praenuntiavit iudicia : « Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra Deum peccatores impii » (Iud. 14 sq.). Contuere antiquum hunc Eliam, prophetam urbi sibi cognomini exosum; Ieremiam principum odia mulierumque invidias in se unum concitantem, ambulantem cum Deo solum in medio generationis perversae. « Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo » (Hebr. 11,5). Nullus tum (a. 887) patriarcharum e vivis cesserat, omnes conspexere translatum. Dein Adam, Seth et Enos e vivis cessere; etiam Cainan et Malaleel, Henochi forte aut Noe monitis ad meliorem frugem revocati; septemdecim ante diluvium annis unus supererat Noe, tenue germen iustitiae, dum omnia circum impietas obtineret. — Vides, quomodo inter se collata reviviscant ossa ista et in iuncturas redeant, numeri inquam et nuda nomina. Placuit recentioribus quibusdam, ab eo scriptore profectum esse 4,16-24, qui suo tempore exstantes noverit Iabelitas et Iubalitas, atque hinc intulere eas tribus vel post diluvium superstites fuisse : absurdam veri dogmatis illationem! Sine dubio ea narratio, uti Cap. 5, ab eo primum, qui res praesens contuitus esset, profecta est. Sethita hanc narrationem primus concinnavit, parentum probra simul pie reticens et facunde propalans, numeris loquens et nominibus; Sethita, inquam, qui praesens conspexisset Iabelitas et Iubalitas, et Noemae venustatem, et Lamechi insolentiam, et suae gentis probrosum interitum. Non alius tam eloquenter siluit propheta.

Patriarcharum longaevitatem in dubium vocare nefas, cum omnes

textus in tradendis vitarum summis conspirent. Affirmat profecto scriptura insignem plane patriarcharum diluvio priorum longaevitatem. Neque ea longaevitas concipienda est ut praemium pietatis, cum etiam impii illi tres, qui diluvio interiere, aut certe Mathusala fuerint longaevi. Adverte porro, non nudum longaevitatis factum affirmare scripturam, sed factum universalius *vitae hominum gradatim decrescentis ab Adam ad Moysen*. S. patriarcharum ab Adam ad Moysen vita continetur annis 1000 ad 700, a Noe ad Sarug annis 600 ad 200, a Sarug ad Moysen annis 180 ad 110. Ubi illud scripturae assertis fidem facit, secundam epocham non ad Abraham, sed tantummodo ad Sarug produci, quod sane non fecisset, quicunque e praeconcepto aliquo systemate numeros artificiose recudisset. Porro illa de vita humana ab Adam ad Moysen decrescente thesis nequaquam infirmatur quibusvis computis statisticis, nostri aevi homines ad annos 200 aut 700 nunquam pertingere. Quibus computis illud utique efficitur genus humanum ea nunc fere esse longaevitate, quam inde a Moyse eidem tribuit scriptura : « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni; et amplius eorum labor et dolor » Ps. 89 (90), 10; cf. Eccli. 18,8 : « Numerus dierum hominum ut multum centum anni ». Cum igitur scriptura illam patriarcharum longaevitatem affirmet, contra quam statistica et etiam physiologia haud possunt efficere quidquam, interpreti prudenti hoc unum superest praestandum, facti tam solido stabiliti testimonio explanationem tentare.

Recordare jam, primos homines in eam longaevitatem delapsos esse ex altera nobiliore conditione vitae immortalis in paradiso ope imprimis fructus arboris vitae comparandae. Longaevitatis igitur illius se duae offerunt explicationes, quarum una petitur ex hominum qualis tunc erat natura, altera ex remedio aliquo a Deo praeter naturam liberaliter illis concesso. Quod remedium aliud fingi non potest nisi ligni vitae fructus eritque supponendus Adam, antequam paradiso expelleretur, eum fructum gustasse eumque ex eo vitae vigorem hausisse, qui vel in posteris per plura saecula perseveraverit. At non cogimur ad eiusmodi remedium recurrere; sufficiet adstruere, ad immortalitatem in paradiso efficiendam praeter arboris fructum concessum fuisse protoparentibus insignem prorsus corporis vigorem, huncque paradiso expulsis perseverasse atque nonnisi paulatim in sequentibus generationibus defecisse, donec tandem aliquamdiu post diluvium ad eam vigoris mensuram redacti fuerint homines, qui illis competit natura. Estque haec illa « bonitas constitutionis et temperationis humani corporis », quam *Per.* aliique in hac quaestione appellant.

Primaevus ille vigor non sola longaevitate se prodebat, sed corporum etiam proceritate, uti in gigantibus. — Cf. *W. I. Thomas :* Human longevity, its facts and its fictions, London 1879 (2. Edition).

Indicabimus breviter potissima systemata, quae ad eliminandam patriarcharum longaevitatem excogitata fuere. Meminit *Aug.* quorumdam, qui *annos* effinxere a veris annis diversos, v. g. 36 dierum. Simile quid statuere saeculo quinto *Anianus* et *Panodorus*, monachi aegyptii et chronographi; item recentiores aliqui : systema eximiae absurditatis. — Recentiores alii *nomina* patriarcharum non singulos exprimere viros putavere, sed integras gentes vel periodos : at vis infertur textui. Fuitne Adam periodus aliqua? aut Abel gens, in cuius locum alia gens Seth successerit? num, quae aliis scripturae locis de Henoch et Noe leguntur, periodum sapiunt aut gentem? Ostendimus porro, intime affines invicem esse genealogias Sethitarum e Cainitarum : quid igitur de Cainitis? Num Lamech est gens aliqua, qui duas duxit uxores? num Noema, soror Iabel, Iubal et Tubalcain? — Alii tandem *numeros* censuere esse cyclicos, personas ipsas mythicas. Princeps argumentum sunt anni 365 Henoch numero aequantes, ut isti auctores volunt, dies unius anni : argumentum, etsi admittatur, perquam infirmum. Sed animadvertit *Len.* Origines I. 248, Hebraeorum annum numerasse dies 354, Chaldaeorum 360, solum Aegyptiorum annum 365 : ast, traditioni sacrae Chaldaeorum traditionibus tam affini adhibitum esse annum Aegyptiacum, quis credat? Varios auctores cyclos imaginantur, prout numeris aut Hebr. aut Sam. aut LXX adhaerent : hi ad Sothicas Aegyptiorum periodos confugiunt, illi ad Babyloniorum Sossos. Plura de his variorumque auctorum nomina vide apud *O. Zoeckler :* Die Lehre vom Urstand des Menschen, Gütersloh 1879, p. 244 sqq. et *Len.* I. 214 sqq.

2. *Genealogiae Commentarius.*

Cap. V. v. 1 « *Hic est liber generationis Adam* ». De hac inscriptione, uti de sententia illam proxime excipiente, cf. quae diximus ad 2,4 et p. 21. Vox אדם in hac inscriptione utique intelligitur ut nomen proprium, sicut in similibus inscriptionibus nomina Noe, Thare et alia. Ergo minus feliciter *LXX* ἀνθρώπων ; non tamen omnino falso. Etenim vox de se anceps v. 3 sqq. utique sumitur ut nomen proprium ; v. 1^{b} et v. 2 et 1,27, ad quem locum hi versus alludunt, indubie adhibetur pro nomine generico ; tandem ipsum nomen Adam quodammodo participat significationem genericam, cum a Deo impositum duobus (v. 2) unius postmodum evaserit proprium. — Sequentem sententiam merito per athnach *Masor.* et per interpunctionem *Vulg. LXX* ab inscriptione distinguunt : cf. 2,4. « *In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum* ». v. 2 « *Masculum et feminam creavit eos et benedixit illis* ». Uti 1,27 sq. a numero sing. transitur ad pluralem. Benedictio illa 1,28 impertiebatur foecunditatem. Iam additur aliquid, quod in Cosmogonia subintelligebatur quidem, at non explicite statue-

batur : « *et vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati sunt* ». Haec clausula ביום הבראם eadem est atque clausula inscriptionis 2,3 בהבראם

v. 3 « *Vixit autem Adam centum triginta annis et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen eius Seth* ». Monuit jam *Aug.* nihil esse, cur adstruamus recenseri *primogenitos*. Cf. *Rup.* Plane incredibile est homines eos, quos Deus iussisset crescere et multiplicari, centenis annis et amplius ab opere generationis abstinuisse aut Adamum, postquam duorum filiorum (et saltem unius filiae) pater exstiterat, centum triginta annis alium filium genuisse nullum. Recensentur non primogeniti, sed maiores primum Abrahae, atque inde ipsius servatoris. v. 4 « *Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias* », non necessario *post* Sethum omnes, sed *praeter* illum. v. 5 « *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta* ». Plures Adamo utique numerat annos Noe : sed advertit *Cai.*, eo tamen sensu omnibus grandaeviorem obiisse Adamum, quatenus perfectae aetatis, in qua creatus sit, anni non numerentur. « *Et mortuus est* ». « Clausula haec additur, ut manifeste appareat Deum veracem fuisse, qui dixerat : Si comederitis, morte moriemini; daemonem autem mendacem, qui promiserat : Nequaquam moriemini » (*Per.*).

v. 6 « *Vixit quoque Seth centum quinque annis et genuit Enos* ». v. 7 « *Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias* ». v. 8 « *Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum et mortuus est* ». v. 9 « *Vixit vero Enos nonaginta annis et genuit Cainan* ». v. 10 « *Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias* ». v. 11 « *Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni et mortuus est* ». v. 12 « *Vixit quoque Cainan septuaginta annis et genuit Malaleel* ». v. 13 « *Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias* ». v. 14 « *Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni et mortuus est* ». v. 15 « *Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis et genuit Iared* ». v. 16 « *Et vixit Malaleel, postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias* ». v. 17 « *Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni et mortuus est* ». v. 18 « *Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis et genuit Henoch* ». v. 19 « *Et vixit Iared, postquam genuit Henoch, octingentis annis et genuit filios et filias* ». v. 20 « *Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni et mortuus est* ». v. 21 « *Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis et genuit Mathusalam* ». v. 22 « *Et ambulavit Henoch cum Deo et vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis et genuit filios*

et filias ». v. 23 « *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni* ».

v. 22 apud solam *Vulg.* et *LXX Lagardii* legitur, quod contextus omnino requirit, *et vixit :* potuit ויחי sat facile ante אחרי excidere. In lectione communiore suboritur utique dubium, ambulaveritne Henoch cum Deo etiam ante genitum filium. *Ambulasse cum Deo* Noe quoque 6,9 dicitur, et iubetur Abraham 17,1 cum Deo ambulare (cf. Mich. 6,8; Mal. 2,6); exprimit istud eximiam sanctitatem, qua plurimum superaverit Henoch reliquos patriarchas; imo considerato toto huius capitis et sequentis contextu ea expressione innuitur eos, de quibus proxime sermo est, patriarchas cum Deo non ambulasse, Henochum vero cum Deo ambulasse, Deo placuisse (*LXX Syr.*) ea imprimis ratione, qua tum Deo placendum erat, sc. zelo contra Cainitarum connubia directo. Rursum, quod Henoch ea scribatur fuisse sanctitate, ob quam Deus illum tulerit, in suspicionem adducimur, etiam dum inter vivos degeret, fuisse Deo specialiter omnino coniunctum, quod diserte enuntiat Iud. 14 dicens eum « prophetasse ». Ita, quod clarius alii textus (cf. Hebr. 11,5; Eccli 44,16) dicunt, h. l. subauditur, velo quodammodo contectum, uti aliorum patriarcharum errores.

v. 24 « *Ambulavitque cum Deo et non apparuit* » — *Hebr. et non ipse*, quod *LXX* reddunt καὶ οὐχ εὑρίσκετο; quae locutio cum locum obtineat eius, quod secus adscribitur *et mortuus est*, evidenter significat non esse mortuum (*Malv.*). Ea porro, quod etiam de iis adhibeatur, quae naturali prorsus modo disparent vel cessant (3 Reg. 20,40; Ps. 102,16; Is. 17,14), explicanda erat : « *quia tulit eum Deus* ». Eadem expressio 4 Reg. 2,3. 9. 10 de Elia adhibetur. Quo tulerit, non exprimitur monentque *Theodoret.*, *Chrys.*, ut a coniecturis abstineamus. *Vulg.* quidem Eccli. 44,16 addit « in paradisum », sed paradisi nomine ibi posse venire ait *Per.* quemvis locum deliciosum. Haec de translato ob pietatem Henoch narratio confirmatur traditione Babyloniorum, quae quidem factum tribuit patriarchae diluvii; idque tanto minus mirandum, quod Noe etiam referatur in Genesi « ambulasse cum Deo ». Igitur *Berosus* ait diluvii patriarcham « propter pietatem ivisse et inter deos habitasse, eiusdemque honoris participem factam esse uxorem, filiam navisque gubernatorem », et textus cuneiformis dicit illum et uxorem « translatos esse procul ad ora fluminum », cf. Gen. 2,10.

Quae *Budde* p. 170 sqq. affert, ut narrationem de translato Henoch spuriam esse demonstret, nulla esse deprehendes, si adverteris s. auctores, uti et alios mortales, non semper scribere stilo absolute concinno, quandoque indulgere pleonasmis vel repetitionibus. Sine dubio auctor alterutrum *ambulavit cum Deo* supprimere potuit :

at non fecit. Henochi pietatem narraturus consuetae de patriarcharum vitis formulae v. 21-23 inseruit v. 22 voces *et ambulavit Henoch cum Deo;* dein extrema formula loco verborum *et mortuus est* translationem narraturus, ut eius translationis causa distinctius perspiceretur, illas voces repetiit. « v. 24 est animadversio praecedenti narrationi adnexa nullamque parit difficultatem » (*Dillm.*).

v. 25 « *Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis et genuit Lamech* ». v. 26 « *Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis et genuit filios et filias* ». v. 27 « *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni et mortuus est* ». v. 28 « *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis et genuit filium* », v. 29 « *vocavitque nomen eius Noe dicens : Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus* ». נח explicatur quidem (ינחמנו) per radicem נחם *consolari,* cum eiusmodi explicationes non debeant esse stricte etymologicae; sed revera derivatur a radice נוח *requiescere;* nisi mavis defendere *LXX* διαναπαύσει fluxisse ex lectione aliqua ינחנו, quae sit genuina. Derivationi a נוח non obstat (*Dillm.*), nomen semper scribi נח, non plene : in Genesi olim quaedam modo plene modo non plene scribi consuevisse, ostendit inter alia Sam. ad 4,16 Hebraeo comparatus; quod autem nomen Noe in Genesi legeretur non plene scriptum, causa fuit cur etiam posteriores auctores illud non plene scripserint. Ceterum cf. *Syr.* נוח et *LXX* Νῶε. — Porro nominis explicationem quod attinet, idem est *ab operibus nostris* et *a laboribus manuum nostrarum.* Hoc alterum vero addito *manuum nostrarum* ad agriculturam utique refertur (*Cai.*, *Per.*). Qui sensus rursum confirmatur sequentibus (*qui proveniunt*) *de terra, cui maledixit Dominus* (*LXX Syr.* pro מן errore obvio ומן). His quippe indubie revocamur ad Dei sententiam 3,17 : « maledicta terra propter te : in labore comedes ex ea ». Ex qua ad Dei sententiam ratione elucet nimis vulgarem esse eam, quae apud *Cai.* in margine legitur, nominis explicationem : « Quod autem hic Noe in parentum subsidium natus dicatur, simplicissime accipio : infirmiores quippe erant filii opera indigentes ». Humilior quoque est *Rabbinorum* explicatio, eam requiem praestitisse Noe tum, quando, ut ipsis placet, vomerem ad facilius arandam terram excogitavit vinumque invenit, quod hilaritatem fovet et requiem. Secundum quos Lamech v. 27 factum hoc futurum praenuntiasset : at non solent prophetae praenuntiare facta mere naturalia et civilia. Reapse Lamechum prophetasse inde ab Ephr. communiter censent interpretes. Eius verba prophetice exprimunt spem, per Noe sive immediate sive mediate removendam fore maledictionem a Deo 3,17 pronuntiatam; ad semen mulieris promissum prospiciunt, uti illa alia verba 4,1. At, inquies, si eum sensum Lamech intendebat, nonne

censendus est pius fuisse, quem tamen cum Sam. diluvio absorptum scribebamus? Opportuna hic occurrit *Chrys.* explanatio, qui censet Lamech impium ea ratione prophetasse, atque Io. 11,51 Caipham. Considera, quae tum fuerit rerum conditio. Maledictio 4,11 sq. a Deo Caino indicta videbatur iam omni carere effectu, admissis ad coniugia eius posteris et fere in antiquas sedes receptis: deridebatur propheta Dei Henoch, cf. 2 Petr. 3,6 et 4; aliae quoque Dei maledictiones et minae derisui facile habebantur. Iam finge, Lamech blasphemum nomine filio imposito illud voluisse exprimere, brevi ipsam etiam maledictionem 3.17 sqq. contra Adam pronuntiatam humanis artibus fore eludendam, fortasse ipsum fructum vitae e paradiso adhuc exstante nefaria fraude obtinendum. Finge nomine exprimi spem, liberandum brevi fore hominem a laboribus et aerumnis pro peccato inflictis, imo ab ipsa morte. Si rem ita concipias, nonne fatebere, Lamechum Sethitam improbitate Lamechum Cainitam (4,23 sq.) longe superare atque meritas impietatis poenas diluvio tulisse?

v. 30 « *Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis et genuit filios et filias* ». v. 31 « *Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni et mortuus est. Noe vero, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iaphet* »: non uno eodemque anno, cum 9.14 Cham dicatur natu minimus. Putavit *Iac. Edess.*, Noe primum tot annis vitam caelibem duxisse, ne, si quos liberos procreasset, communi illi nequitia macularentur; tandem Dei iussu uxorem duxisse.

CAPUT II.

DILUVII INFLIGENDI CAUSAE. GEN. 6,1-8.

Arg. — Fragmentum hoc in Introd. declarabamus, primitus fuisse capiti 4 individua narratione contextum. Recenset illud *duo divina decreta:* prius 6,1-3 occasione nefandorum coniugiorum editum et centum viginti annorum moram indicens; alterum depravatis funditus hominibus imminens diluvium praenuntians. v. 8 patriarcham Noe demonstrat, *seminis* electi unicam spem et salutem.

Cap. VI v. 1 « *Cumque coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent* », v. 2 « *videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant* », i. e. uxores, quascunque elegerant. האדם v. 1 evidenter significat *homines* universim, non solos Cainitas, licet contextus utique efficiat primarie in-

telligi Cainitas. Ergo etiam בנות האדם v. 2. eodem sensu intelligendae sunt suntque eaedem atque בנות v. 1. Sed contextus v. 2 expressionem de se universalem limitat, cum reliquis hominibus opponat aliquam classem *filios Dei* hincque sensus evadat hic : videntes filii Dei filias *ceterorum* hominum. Habes expressionem omnino analogam Ier. 32,20 בישראל ובאדם, in Israel et in ceteris hominibus. Iam in ea expressione loco ישראל scribe terminum omnino synonymum בני ישראל, et habebis expressionem בני ישראל ואדם, quae omnino parallela est eius, quam ex nostro v. 1. 2 colligis, בני אלהים ואדם, filii Dei ceterique homines. Ergo *filii Dei* nomen sit gentilicium oportet, quale *filii Israel*. Quae autem alia gens eo nomine intelligi poterit, nisi *Sethitae?* Quorum modo cap. 4 explicabatur genealogia et 6,8 continuabitur historia.

Antiqua de hac re controversia. Vocem אלהים plurali vertunt *Targumim* scribentes *filii magnatum; Symm.* υἱοὶ τῶν δυναστευόντων; *Aq.* υἱοὶ τῶν θεῶν. Consentiunt *Rabbini* aliqui locum intelligentes de connubiis magnatum cum plebeiis. Illae utique versiones non intelligebant angelos. — Reliqui omnes אלהים vertunt singulari, ergo *filii Dei*. At quinam sunt isti filii Dei? *Angelos* censuere *Ios., Philo;* dein apocryphi quidam, *Lib. Henoch, Lib. Iulibaeorum, Ps. Clemens Rom.* (Hom. VIII. 12 sqq.; *M.* 2.232 sqq.), *Testamentum* 12 *Patr.* (I. 5; *M.* 2.1044); *Rabbini* pauci. Etiam aliqui codices *LXX* pro υἱοὶ τοῦ θεοῦ legunt ἄγγελοι τοῦ θεοῦ : sed perperam omnino *Len.* Origines I. 295 hanc lectionem pronuntiat genuinam, cum pauci nec ita magnae notae codices eam habeant. Opinionis de angelis apud Iudaeos originem demonstravit *L. Reinke* (Beiträge V. 106) ex *Ps. Ion.*, qui quidem בני אלהים interpretatur magnates, sed v. 4 נפילים a נפל intellexit cadentes, i. e. angelos de coelo lapsos; tamen secundum ipsum, uti secundum reliquos omnes, alii prorsus sunt Nephilim, alii filii Dei. Potuit vero illa explicatio etymologica aliqua esse ratio, cur tandem haec de filiis Dei narratio cum angelis connecteretur. E scriptoribus christianis *Orig.* sapienter dubitat (c. Celsum V. n. 55; *M.* 11.1268). Angelos defendunt *Clem. Alex.* (Strom. III. 7; *M.* 8. 1161), *Iustin.* (Apol. II. n. 5; *M.* 6.452), *Athenag.* (Legatio c. 24; *M.* 6.915), *Iren.* (Adv. haer. IV. 16. 2; *M.* 7.1016), *Method.* (de Resurr.; *M.* 18. 293), fortasse etiam *Tatian.* (Or. c. Graecos c. 12; *M.* 6.830); dubitat *Euseb.* (Praep. ev. V. 4; *M.* 21. 324). E latinis *Tert.* (de Idol. c. 9; *M.* 1.671), *Minut. Felix* (Octav. c. 26; *M.* 3.321), *Cypr.* (de Habitu Virg. n. 14; *M.* 4.453), *Commodian.* (Instructio III, Cultus daem. III; *M.* 5.203), *Ambr.* (De Noe et arca c. 4; *M.* 14.366), *Sulpic. Sever.* (Hist. S. I. 2; *M.* 20.96), *Hugo.* Profecto si advertas, horum auctorum alios placitis Philonis aequo nimis fuisse imbutos, alios librum Henoch canonicum habuisse, alios de natura angelorum iniquius sensisse, alios agere apologetas, gentilium diis notam inurere diabolicae originis, pudicitiam commendare etc.; si tandem advertas, laudatorum scriptorum vix unum strenuum existimari textus literalis interpretem : fateberis, hanc de angelis opinionem perquam infirmum habere traditionis fundamentum. Reapse tam aflinis ea est complurium aliarum, quas Iudaei et apocryphi effutiunt neque sensatus quisquam recipit, fabularum, ut merito stupescas, auctores nostri temporis plerosque *protestantes* et maxime *rationalistas* in illam conspirare. Plura vide apud *Reinke* l. c., p. 93 sqq.; *P. Scholz :* Die Ehen der Söhne Gottes etc., Regensburg 1865; *Len.* l. c., p. 291 sqq.; ubi etiam alia scriptorum supra laudatorum testimonia reperies. Interpretes catholici reliqui vix non omnes filios Dei interpretantur non an-

gelos sed *Sethitas*. Sufficiat nominasse *Ephr.*, *Chrys.*, *Theodoret.*, *Aug.*, *Proc.*, *Rup.* etc. « Omittamus igitur », ait *Aug.*, « earum scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas ».

Convellenda nobis supersunt praecipua sententiae, quae filios Dei angelos interpretatur, argumenta.

1) בני האלהים aiunt etiam aliis scripturae locis angelos designare. Ita Iob 1, 6; 2, 1; 38, 7. Praeterea Ps. 28 (29), 1 et 88 (89), 7 בני אלים, et Dan. 3, 25 בר אלהין. Ubi recte advertit *Scholz*, haec ad usum loquendi stabiliendum haud sufficere. Quid enim efficiunt tam pauci textus, quorum nullus in Pentateucho, omnes in libris poeticis leguntur? At, inquiunt adversarii, nullibi secus homines dicuntur בני אלהים. Cui obiectioni respondent auctores, dici iustos vel Israelitas a Deo genitos, filiorum nomine a Deo appellari, potuisse igitur etiam Sethitas ob *pietatem* vocari filios Dei. Sed fateor, ita orationem evadere perquam obscuram, cum de pietate Sethitarum nondum fuerit sermo, imo quibusdam eorum ii secundum Sam. mortis anni adscribantur, qui potius impietatis suggerant inflictam poenam. Nomen *filii Dei* potius crediderim fuisse Sethitarum nomen ob quandam *originis* rationem *proprium*, eiusdemque rationis atque alterum illud nomen *filii Israel*. Eiusmodi nominis proprii בני אלהים vestigium aliquod probabile cernere est in titulo hebr. librorum Mach. nobis ab Or. asservato Σαρβήθ Σαρβανὲ ἔλ (cf. *Cornely* : Introd. II. 1 p. 454), cuius extrema pars utique Israelitas exhibet nomine בני אל : quodsi vero hi nuncupari potuere בני אל, cur non Sethitae nomen habuerint בני אלהים? — Verum sunt et alia graviora argumenta. In textu s. ita 5, 3 exhibetur Seth genitus ad imaginem et similitudinem Adam, uti 1, 26 et 5, 1 exhibetur Adam creatus ad imaginem et similitudinem Dei. Dicimus ita exhiberi ; non ignoramus, aliam esse Dei in homine, aliam patris in filio imaginem ; at verba sunt eadem, reapse Deus 5, 1 exhibetur tamquam genealogiae Sethitarum principium et caput. Quod idem exprimit Luc. 3, 38 generationem Christi per Adam repetens ex Deo : « qui fuit Adam, qui fuit Dei ». Atqui id omnino erat sufficiens, quo inducerentur Sethitae, ut sibi nomen assumerent non filiorum Seth tantum, sed filiorum Dei. Tandem, secundum explicationem a nobis datam, 4, 26 explicite affirmatur nomen בני אלהים posteris Seth esse inditum.

2) האדם v. 1 sq., aiunt adversarii, homines universim significat, omnes homines : ergo בני אלהים homines non sunt. Diximus supra priorem terminum utique universalem accedente altero limitari, ut iam significet *ceteros* homines. Appellavimus Ier. 32, 20. Possumus cum *Reinke* appellare alios textus, ubi terminus generalis adscripto particulari limitatur. Ita Iud. 20, 1 sq. agitur de « omnibus filiis » et « cunctis tribubus Israel » : sed

contextus docet eximi Beniaminitas, quin liceat inferre Beniaminitas Israelitas non fuisse.

3) *Budde* p. 4 : si filii Dei sint Sethitae, inquit, ergo scribendum erat fuisse filias hominum pulchri*ores* filiabus Dei. Id negandum. Non asseruntur fuisse pulchriores sed pulchrae; non affirmantur Sethitae omnes duxisse filias Cain. Erant hae pulchrae et illae; filiorum Seth aliqui ducebant pulchras Sethitas et alii pulchras Cainitas, pulcherrima cuique ea, quam ipse ducebat, videbatur. Ceterum eadem obiectio ipsi Budde solvenda est. Si enim, quod ipse vult, erant angeli mares, erant sane etiam angeli feminae, eratque (secundum Budde) scribendum, fuisse filias hominum pulchriores istis filiabus Dei.

4) Obiicit *Len.* p. 303, si volebat auctor Sethitas exprimere, debuisse clarius loqui. Retorquetur obiectio : nonne clarius omnino oportebat loqui auctorem, si angelos in mente habebat? Nulla angelorum mentio praecesserat, tentator in paradiso non angelus sed serpens appellabatur. Quis iam suspicaretur, filiorum Dei nomine angelos intelligi? Neque tandem desunt, si *contextum* examines, ea quae angelos omnino excludant, Sethitas demonstrent.

Profecto *contextus* angelos excludit. Angelos veneri indulgere in universa scriptura est inauditum; imo sexu illos carere affirmat Christus Matth. 22,30. Qualescunque fuisse supponantur, at certe specie, imo genere ab hominibus differebant : at quae specie differunt creaturae, si infandum in modum commisceantur, non mutua pulchritudine (v. 2) pelliciuntur, sed bruta venere aguntur. Vel si tum reapse mulierum forma angelos illexit, qui fit, ut inde a diluvio iam nihil audiamus de angelis mulierum venustate deceptis? Merito monet *Keil*, לקח אשה secus constanter praedicari non de abominandis commerciis, sed de veris permanentibusque connubiis, qualia non poterant esse inter angelos et mulieres; estque ille expressionis usus tam evidens, ut illum *Del.* et *Dillm.* adversarii concedant. Eundem expressioni h. l. sensum competere et per se est evidens, et aliqua etiam ratione confirmari potest e verbis Christi Matth. 24,38 (cf. Luc. 17,27) : « Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam etc. ». Monet porro *Chrys.*, non angelorum referri peccatum, effici etiam inde, quod hominum tantummodo, non angelorum narretur secuta punitio; ubi conferas 3,14 sq. poenam serpenti indictam. — Aliunde contextus suggerit agi de Sethitis. Eorum genealogiam auctor produxerat usque ad Noe, sub quo magna aliqua morum corruptio diluvio ulciscenda non alios solum homines sed etiam Sethitas, excepta Noe familia, omnes invaserat. At in ea corruptione efficienda insignes necesse est fuisse Cainitarum partes. Quorsum secus cap. 4 eorum tra-

ditur genealogia? quorsum traditur non ad diluvium, sed ad septimam tantummodo generationem usque? Quorsum nomina recensentur Iabel, Iubal, Tubalcain, maxime vero omnium Noemae? quid eam mulierem famosam effecit? nonne forma muliebresque artes? Aenigma manet istud Noemae nomen insolubile, nisi illud cum 6,2 de filiabus hominum dictis componas. Fuit igitur Noema una ex illis filiabus hominum, ceteris uti videtur procacior; nupsit uni filiorum Dei. At qui isti filii Dei? num angeli? at quid tum Noemae cum ruina Sethitarum commune? Recensendum fuerat non Noemae nomen, sed earum e filiabus Sethitarum nomina, quae Sethitis infandi commercii auctores exstitere. Ubi primum autem filios Dei interpreteris Sethitas, facile omnia componuntur. Nomine appellatur Noema sine dubio, quod principi cuidam Sethitarum fuerit nuptui tradita. Producitur Cainitarum genealogia ad illud usque punctum, quoad Cainitae Sethitis iniquis coniugiis misceri coepere. Aequo alveo fluit narratio. Tandem secundum, explicationem a nobis traditam, 4,26 tempore Enos nata scribitur filiorum Dei appellatio. Textui vero ei tenebras offudit traditionis ille emendator, qui nomini אלהים substituit nomen יהוה.

v. 3 « *Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum* ». Intelligitur *homo* idem atque v. 1, ergo homines universim, tam qui v. 2 filii Dei, quam qui filii hominum audiunt. Idem est spiritum non permanere, et dies hominis limitari ad centum viginti annos. Ergo *spiritus meus* est spiritus a me ad imaginem meam factus (*Rup.*), anima humana quae Iob. 27,3 appellatur רוח אלוה, quaeque 2,7 processerat spiratione ex ore Dei. Haec est praecise ille « spiritus Dei », illud « spiraculum omnipotentis », quod Iob 33,4 et Ps. 103 (104), 29 hominem vivificat (*Lamy*), cum illud sit anthropomorphismi proprium, ut *distinctiones* divinum inter et humanum minus clare exprimat. Vocem *in aeternum* bene *Rup.* comparat cum 3,22 : « Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum ». Reapse sententia ib. lata inculcatur magisque restringitur : ergo *in aeternum* non exprimit, quod vult *Per.*, aeternitatem stricte dictam. Etiam in paradiso non fuisset hominis vita stricte aeterna, sed ob vigorem eximium vitalem repetitumque fructus vitae esum ad longissimum fuisset tempus producenda. Post Adae peccatum homo illo fructu privatus non iam poterat aeque diu vitam producere, tamen perseverante nativo vigore priores quinque patriarchae produxerant vitam quodammodo לעלם, i. e. ad nongentos circiter annos. Idem haud dubium facturi fuerant patriarchae praeter Henochum reliqui, nisi

intercessisset diluvium. Atdiluvio secundum Sam. exstincti sunt patriarchae tres diu ante, quam annum attigissent nongentesimum : Iared natus annos 847, Mathusala 720, Lamech 653. In his certe non perseveravit spiritus vitae לעלם; idemque de eorum aequalibus diluvio oppressis erit dicendum. Videmur nobis in hoc novam deprehendere confirmationem numerorum, quales Sam. scribit, dum secundum Hebr. LXX Iared et Mathusala annos vivunt 962 et 969, i. e. longissimas omnium patriarcharum vitas, etiam Adae et Noe. — Additur autem ratio, cur abbrevianda sit hominis vita, sc. *quia caro est,* quia eius opera carnalia sunt (*Chrys.*).

Duo ἅπαξ λεγόμενα versus habet. ידון reddunt versiones *permanebit*, praeter *Symm.*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*, qui illud a דין repetunt significatione *iudicandi;* cf. item *S. Hier.* Ad radicem דון etiam revocatur 2 Reg. 21, 20 (keri) מדון *extensio*, qui sensus e permanendi significatione sat facile derivatur. Temere supponet quis, versiones principales omnes casu in permanendi significationem conspirasse, aut omnes pariter aliquid a ידון diversum legisse : tutius erit admittere, versionum auctores novisse, quae nos latet, radicis דון significationem. Neque lubet h. l. disputare, sintne דון et דין unica radix, cuius significatio sit *morari, dominari, iudicare.* — בשגם versiones uno ore reddunt *quia*, quorum consensus non est spernendus. Explicabant *Rabbini* vocem esse contractam ex באשר גם; באשר reapse Gen. 39, 9.23 legitur significatione *quia*; ש pro אשר nequit dici a recentionibus tantum Hebraeis fuisse usurpatum, cum in libro Iudicum identidem legatur; tamen in Pentateucho habetur nunquam, ut reapse improbabilis videatur illa explanatio rabbinica. Dein in hac explanatione גם trahendum esset ad sequentia, ergo : *quia etiam ipse, quia vel ipse caro est.* At quocum h. l. comparetur homo, non perspicitur. Neque vertere licet *quia profecto caro est ipse,* tum enim mutandus erat ordo verborum גם בשר הוא. — Alii בשגם derivant a שגג, eo praeprimis nisi argumento, coniunctionem גם ornandam fuisse signo non kamez sed patach. Leviuscula haec ratio : facile poterant Masor. exprimere longam vocalem pro brevi. Vertunt igitur illi variis modis, prout varie iungunt. *Ges.* suggerit : in errore eorum (angelorum?) ipse est caro. At quomodo errore angelorum factus est homo caro? *Keil* : in suo errore homines sunt caro. At dura est enallage numeri באדם, בשגם, יכיוו. Alii : non permanebit spiritus meus in homine propter errorem eorum; caro est. Sed monet *Budde* p. 25, minus commode invicem excipere tres expressiones adverbiales באדם, לעלם, בשגם; fuisse scribendum רוחי לא ידון בשגם etc. Contra has similesque versiones illud est, שגג in Pentateucho (Lev. 5, 18; 4, 2. 27; Num. 15,27) semper scribi de *peccato indeliberato*, quale nostro textu intelligi nullo pacto potest; item Iob. 6, 24; 19, 4; Prov. 19, 27; Ps. 118 (119), 10. 67; et licet Ps. 118, 21. 118 vox usurpatur sensu nonnihil latiore, tamen h. l. ineptissime adhiberetur, quod proprie peccatum indeliberatum exprimat. — De vocis בשגם interpretatione vix non desperans incidi in *J. B. Zenner* S. I. (Zeitschrift für Kath. Theologie, Innsbruck 1893, p. 173) corrigentem בשרם : caro eorum ipsa est caro; tota quanta est caro, nihil quam caro; — emendatio tam obvia, apta et facilis, ut mireris eandem tot sagacissimos viros latuisse. Eadem versionibus etiam satis est consona.

Extrema v. 3 pars duplici ratione explicatur. *Ios.*, *Philo* (de Gigant.),

Lact. (Div. instit. II. 13; *M.* 6,325), *Proc.* etc. censuere eum esse sensum, annos vitae hominum post diluvium iam limitari ad 120, quod tamen videtur pugnare cum Gen. 11, ubi e patriarchis postdiluvianis ad Abraham usque quatuor numerant annos plus 400, quatuor plus 200, unus vel fortasse duo plus 140. Quae pugna potuit esse ratio, cur moderni et maxime rationalistae conferto agmine ei se iunxerint sententiae : quo plures quippe in s. textu deprehendunt discordias, eo plura sibi fas esse putant discernere varia documenta. E contra *Ephr.*, *Chrys.*, *Hier.*, *Aug.* et catholici communiter, item *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* tenent, verbis textus hominibus, qui erant ante diluvium, concedi 120 annos, quo male actorum poenitentes impendentem averterent ruinam. « Non igitur humana vita ut multi errant, in centum viginti annos contracta est, sed generationi illi centum viginti anni ad poenitentiam dati sunt » (*Hier.*). Ergo haec prima poenae annuntiatio facta est anno mundi 1187, aetatis Noe 480. Hunc autem esse genuinum verborum sensum, docet contextus. Agitur de iis hominibus et quidem in *vitis* eorum puniendis, qui v. 1 sq. narrabantur deliquisse : ii minime puniebantur, si innocentis Noe posterorum vitae decurtarentur; puniebantur vero, si ad nongentos, uti primi patriarchae, annos pertingere ipsi prohiberentur.

Obiicit *Len.* I. 375 sq., haud posse admitti nonnisi 120 ante diluvium annis coepisse coniugia filiorum Dei cum filiabus hominum. Sed hoc neque sequitur ex dictis. v. 3 docet, Deum ob illa coniugia et post illa comminatum esse interitum iteriectis 120 annis secuturum : at non comminatus est, ubi primum ea coniugia fieri coeperunt, sed diu post, 47 annis post pii Enos obitum, 300 annis post translatum Henoch. Primum fuere primorum patriarcharum piorum admonitiones adhuc superstitum, secuta est praedicatio Henoch et annis bene multis praedicatio Noe : ubi tot media effectu caruere, ubi solus tandem Noe iustus superfuit, tum indicti 120 poenitentiae anni, tum brevi post iussus Noe eos tres filios generare, qui tamquam nova creatura cum ipso forent salvandi.

Postquam auctor v. 1-3 unam causam infligendi interitus, infanda connubia recensuit, v. 4 sq. alteram indicat *heroum* ex iis connubiis prognatorum licentiam, hincque v. 7 divinam interitus sententiam magis explicite repetit. Nihil vetat statuere, divina decreta v. 3 et 7 diversis temporibus esse pronuntiata. v. 4 « *Gigantes autem* » — copulam legunt *Vulg. LXX Sam. Syr.* — « *erant super terram in diebus illis* ». Bene *Len.* I. 347 sententiam comparat similibus 12,6 ; 13,7 : « Chananaeus tum erat in terra » etc., quibus regionis incolae describuntur. הַנְּפִלִים articulum habet, i. e. noti illi gigantes, quos, uti aliarum gentium mythi, ita Hebraeorum traditiones commemorabant. Eos autem explicite gigantibus Graecorum *Ios.* comparat. Sed perperam

idem, *Ephr.*, *Ambr.* aliique horum gigantum nomine initio versus putant venire illos solos, qui e commerciis filiorum Dei cum filiabus hominum nati sint. Verius *Aug.* censet affirmari, fuisse tum universim homines proceriores, tam filios hominum quam imprimis filios Dei. Id exigit *Hebr.* continuans versum voce וגם, idemque clare exprimit *LXX*. Neque dissonat istud a traditionibus gentium, quae cum deorum osores gigantes describunt, ipsos utique deos suggerunt illis neque mole neque robore fuisse inferiores. 4 Esdr. 5,52 sqq. statuitur axioma, humanum genus decursu saeculorum statura sensim decrescere; neque incredibile est, qui per tot saecula vitam produxerint, patriarchas etiam corporis mole et robore eis, qui nunc sunt, praestitisse.

נפלים vertere *Gigantes Vulg. LXX Theod.; Chald.* גבריא uti altera versus parte, itemque *Syr.; Symm.* βίαιοι. Etymologiam nominis quod spectat, iam *Aq.*, *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.* illud derivabant a נפל *cadere*, consentitque *Hier.* Est tamen haec derivatio minime certa. Derivationes ex lingua assyra tentavere *Len.* I. 343 sqq., *Schrader* KAT II. 293 : adhuc sub iudice lis est. — At significatio vocis indubie constat primum ex lingua chald. et fontibus rabbinicis (cf. *Len.* l. c.), dein ex Num. 13, 34 : « Ibi vidimus monstra quaedam (את הנפילים) filiorum Enac de genere giganteo (בן הנפלים), quibus comparati quasi locustae videbamur ». Ubi sapienter monet *Len.* נפלים esse nomen non gentilicium, sed commune designans gigantes, ideoque gratuito auctores aliquos effingere gigantes Num. 13 fuisse posteros gigantum Gen. 6. Homines ante diluvium fuisse gigantes, etiam alias tradit scriptura : Iudith 16, 8; Sap. 14, 6; cf. 3 Mach. 2, 4.

« *Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum illaeque genuerunt, isti sunt potentes a saeculo, viri famosi* ». Aliter cum praecedentibus iungit *Hebr.* וגם אחרי כן אשר, cf. *LXX Syr.*, estque vertendum : *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*, a mundo condito ad diluvium; *et etiam postmodum, quando ingressi sunt etc.*, quando gigantes filii Seth commixti sunt maledictae stirpi Cain, non ideo degeneres robore et statura prognati sunt filii, sed alii gigantes, qui, quod robore ad violentiam et rapinam abuterentur, magnum sibi nomen in mundo compararunt : *isti sunt heroes antiqui, viri famosi.* « Ce sont là ces hommes qu'on appelle les héros de l'antiquité, et sur lesquels on fait tant de récits » (*Len.* I. 334). Isti ethnicorum heroes contemnendi exhibentur, quod nullis fuerint partibus suis aequalibus meliores et ex nefandis coniugiis orti.

אחרי כן Gen. 15, 14 etc. legitur sensu *postea*, אשר certe 3 Reg. 8, 9 sensum induit *quando* : ergo licet voces אחרי כן אשר secus simul non legantur, non est tamen sufficiens ratio textus emendandi. Ut illae tres voces sensum induant *posteaquam* (*Ges.*), nullo confirmatur exemplo et discordat ab accentu Masor. — הבוה *Cai.* refert ad *gigantes* initio versus; sed referendum est cum versionibus ad subiectum latens in

praecedenti *genuerunt*, ad prolem sc. illarum mulierum. — Hanc prolem et ipsam fuisse giganteam, recte asserit *Cai.* implicite textu affirmari, explicite idipsum pronuntiatur Baruch, 3, 26 sqq., tamen vox גבור de se non dicit *gigantem*, sed *heroem*. Ita dicitur גבור David 2 Reg. 17, 10; Alexander Dan. 11, 3; leo Prov. 30, 30, qui nequaquam erat animal maxime procerum Hebraeis notum. Speciatim גבור חיל dicuntur viri aliqui ceteris fortiores (Iud. 6, 12; 11, 1; 3 Reg. 11, 28), lecti milites (1 Par. 7, 5. 11. 40; 2 Par. 13, 3; 17, 16; 2 Esdr. 11, 14), magnates (4 Reg. 15, 20), imo viri divitiis magis quam fortitudine insignes (Ruth 2, 1). Dicuntur autem h. l. *heroes, qui a saeculo*, seu heroes antiqui et quasi heroes κατ' ἐξοχήν, quo ab heroibus posterioribus omnibus distinguantur, qui tam clarum nomen non sunt assecuti. Baruch 3, 26 sqq. : « Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus neque viam disciplinae invenerunt; propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam ».

v. 5 « *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore* », v. 6 « *poenituit eum, quod hominem fecisset in terra* ». « Annis ad poenitentiam concessis isti multiplicavere peccata » (*Ephr.*). Describitur perversitas longe maior ea, quae v. 2 condemnabatur. Ibi sola reprehendebantur vetita coniugia, ob quae homo dicebatur caro. Hic malitia primum dicitur fuisse *multa* extensive. Dein eiusdem intensitas demonstratur : non in exterioribus ea haerebat, sed pertingebat ad *imaginationes consiliorum cordis*, easque *cunctas* et *omni tempore*, quae erant *omnino malae*. Hinc reapse crediderim hoc alterum v. 6 sqq. divinum reprobationis decretum re et tempore fuisse diversum a priore illo v. 1-3, prodiisse intra illos 120 annos, fortasse 100 circiter ante diluvium annos, quando etiam geniti sunt v. 10 tres filii Noe. « *Et tactus dolore cordis* [*intrinsecus*] », v. 7 « *Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli : poenitet enim me fecisse eos* ». *Hebr. : ab homine ad iumenta, ad reptilia et ad volucres coeli.* — v. 8 « *Noe vero invenit gratiam coram Domino* ». Feliciter *Vulg.* v. 6 addit *intrinsecus;* agitur sc. v. 7 de interno Dei decreto, quod v. 13 sqq. Noe communicatur; ergo v. 13 sqq. non est mera v. 7 repetitio.

Solus iahvista, inquiunt, 6, 5 et 8, 21 utitur substantivo יצר. Respondeas, elohistam, quisquis ille tandem fuerit, utique novisse radicem usitatissimam יצר, itemque substantivum ex ea derivatum; duo textus non efficere nisi unicum testimonium, cum idem utrobique Dei sensus exprimatur; audacius iahvistae stilum ex unico testimonio definiri; expressionem, si cuius auctoris sit propria, Dei potius utroque textu loquentis, quam iahvistae propriam esse dicendam.

GENERATIONES NOE

GEN. 6,9-9,29

CAPUT I.

DILUVII UNIVERSALITAS.

Quaestione *critica* in Introductione expedita, eas, quas de diluvio recentiores agitant quaestiones, ad unam omnes de diluvii *universalitate* disputationem revocamus. Ubi advertas, aliquam veri nominis universalitatem textu exprimi, negari a viro sensato haud posse : quid enim aliud sensu nativo expressiones « universa terra », « omnis caro » et aliae similes edicunt, nisi veram aliquam universalitatem? Sed distinguitur universalitas *absoluta* et *relativa*. Universalitate *absoluta* intelligenda erit terra tota quanta, nullis exceptis tractibus aut montium cacuminibus, diluvio esse submersa ; homines ad unum omnes, exceptis qui se in arcam recepissent exstincti. *Relative* universale dicendum erit diluvium, si terra intra certos limites spectata supponatur esse submersa tota, v. g. quatenus narratori sacro tum erat nota; si homines supponantur exstincti universi, quorum sc. fata s. auctor describenda susceperit aut habuerit comperta. Hinc percipies concipi etiam posse tertiam aliquam universalitatem, quam non inepte *mixtam* appellaveris : ut sc. homines affirmentur diluvio obruti esse absolute universi, quotquot exsistebant, terra autem esse submersa tantum relative universa, quatenus sc. ab hominibus tum incolebatur. Hinc tria examinanda veniunt systemata :

systema universalitatis absolutae, quod est ceteris antiquius;
systema universalitatis mixtae, quod est praecedente recentius;
systema universalitatis relativae, quod est recentissimum.

Evidens est, *posse* textus Gen. 6-9 exponi sensu universali absoluto : quaestio est, *debeantne* ita exponi, an *possint* etiam sensu universali relativo accipi. Et erunt disputationis duae partes, ut primum quaeramus de *terra* et *animalibus*, secundo de *hominibus*.

A. De universalitate diluvii quoad terram.

Antiquitus iam sibi visi sunt viri docti reperisse in stratis, quibus

terrae superficies constat, indubia diluvii in sacris paginis relati argumenta. Ita *Aug.* (De Civ. Dei XV. 9; *M.* 41. 448) : « Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum, in Uticensi litore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum gigantis alicuius fuisse crediderim ». Anno 1732 *A. Scheuchzer* typis edidit ossa quaedam Oeningae in strato miocaeno reperta, quae ipse inscribebat « homo diluvii testis », postea vero Cuvier demonstravit esse non hominis sed salamandri cuiusdam, cui inde nomen inditum « andrias Scheuchzeri ».

Demonstravere autem et alia viri docti, quae magis essent ad rem, conchas sc. marinas vel in ipsis montium verticibus frequentes (cf. *Tert.* De Pall. 2; *M.* 2. 1033), ut tandem inde ab exeunte saeculo decimo octavo rerum naturalium peritissimi quique et imprimis *Cuvier* certissimum in his conspici arbitrati sint argumentum submersi aliquando universi subita inundatione orbis. Ideoque ea strata *diluvii* (geologici) nomine insignivere. Mansit nomen, argumento dudum exploso. Sc. inde a *G. Buckland* 1836 constat apud omnes, diluvium illud geologicum neque simul ubique, neque violento aquarum impetu, neque unico quem Genesis habet anno esse efformatum, sed lente ut plurimum et leniter diversisque temporibus. Illud scientia rerum naturalium sat probabiliter demonstratum habet, homine iam in terris exsistente magnam aliquam obtinuisse orbis concussionem, quae vastos Europae tractus glacie opplevit, regiones pridem florentes aquis mersit, alias ex imo mari sublatas extraxit, Asiae orientalis litora et insulas, itemque Americam, terrae motibus prorumpentibusque e montium lateribus flammis concussit, discidit atque mutavit. Quam concussionem auctores quidam cum diluvio biblico comparavere, ut quo tempore regiones illae omnes commoverentur, eadem regio, in qua patriarchae residerent, submergeretur. Totam autem simul terram post creatum hominem aquis esse submersam, nullis geologicis argumentis confirmatum habemus : imo affirmant geologi, testimonio stratorum illud stabiliri, diluvium absolute universale nequaquam obtigisse.

Eiusmodi diluvium, inquiunt, teste s. textu debuit cito et violenter a terra recedere; debuit ergo convellere et subluere strata illa, quae ante in montium lateribus disposita erant; debuit eadem inter se commixta in alveis fluminum vallibusque montanis rursum deponere, planities vero continua humo operire. At nihil horum observatur. Strata in montium lateribus disposita antiquissimisque nata temporibus intacta ibidem conspiciuntur omnia; humus vallibus aliis superinducitur, alias deficit. Cf. La Science Catholique II. p. 67 sq., 1887.

Quibus permotus *I. B. Iaugey* (ib. p. 66 sqq. 107 sqq. 170 sqq. 307 sqq.) eo processit, ut affirmaret frustra in stratis diluvii vestigia requiri, quod probabilius miracula nulla in rerum natura vestigia relinquant; nullum certe diluvii, transitus Maris Rubri, solis a Iosue sistere iussi hucusque repertum esse vestigium. Cui opinioni unus accessit *Lamy* (ib. 313 sqq.), merito eandem reprobavere aut ignoravere reliqui.

Opinio solido fundamento omnino caret. Demus, nullum adhuc cuiusquam biblici miraculi repertum esse vestigium : num inferre fas est, nullum exsistere aut unquam repertum iri? Obstat utique Sap. 10. 7 affirmans portenti Sodomis facti perseverasse vestigium aliquod et « testimonium nequitiae ». Urgent illi auctores, vestigia haec non esse illorum eventuum, ut erant miracula, ex illis vestigiis non patere eventus Dei immediato interventu esse effectos. At idem omnino dicendum quoad diluvium, cuius non ea quaeruntur vestigia, quae illud miraculo factum demonstrent, sed quae ostendant totam terram reapse aquis fuisse mersam. Tandem neque illud praeter omne dubium constat, quod in hac disquisitione adversarii constanter supponunt, diluvium fuisse miraculum. Fuit certe supernaturalis futuri diluvii per Noe facta praedictio : at ipsum diluvium potuit fieri ex legibus naturae. Celebratur in scriptura tamquam insigne divinitus inflictum flagellum : sed eiusmodi flagellum non oportebat necessario esse miraculum. Quid ergo, si homines omnes audita futuri diluvii comminatione poenitentiam egissent? Potuit Deus omnes servare constructis, quot sufficerent, arcis; potuit educere in regionem dissitam, ad quam inundatio reapse non pertingeret; potuit miraculo cohibere diluvium naturaliter eventurum. Non est igitur plane certum, diluvium fuisse miraculum. Sententia autem Iaugey et Lamy merito in : Zeitschrift für Katholische Theologie, XII. 749, Innsbruck 1888, vocatur « novum desperatis rebus effugium ».

Neque solum contra ipsum diluvii factum difficultates movent rerum naturalium periti, sed contra eiusdem facti circumstantias. Cf. opus de hac re recenter editum a *M. l'Abbé Thomas :* Les temps primitifs et les origines religieuses, II. 231 sqq., Paris, 1890.

1) *Aquarum moles*, quae quindecim cubitis altissimos excederet montes, debuit fere esse 9.000 m. alta : superficies universae terrae est fere 510.000.000 kilom. quadr. : ergo illa moles esse debuit fere 4.600.000.000 kilom. cub., neglecta utique soli inaequalitate. Cuius molis duplex in s. textu origo assignatur : cataractae coeli apertae i. e. pluvia — sed pluvia decies copiosior violentissimis, quos novimus, imbribus quadraginta diebus aequor haud altius 800 m. cogere potuit; — et fontes abyssi rupti i. e. oceanus in continentes irrumpens. Qui cum mediae sit altitudinis 5.000 m., etiam addita vehementissima pluvia, nunquam potuit toti orbi superinducere stratum aquarum 9.000 m. altum. Dices fortasse id neque fuisse necessarium, cum aquis fuerint mergendae solae continentes, quae quartam fere orbis partem obtinent; potuit elevatis et fortasse nudatis marium profundis

simulque demissis continentibus tota aquarum vis ex illis in has devolvi. Ubi supposuere aliqui terrae axin violenter tum esse inclinatam, ut alio penitus angulo a plano eclipticae divergeret, mariumque aquae ingenti impetu in continentes protruderentur. At, num tantae concussionis non debuere in stratis plurima relinqui vestigia? Dein, si profunda maris fuere elevata et montes submarini nudati, iam non sensu stricte literali accipiuntur verba Gen. 7, 19 : « opertique sunt omnes montes excelsi *sub universo coelo* ». Verum, si expressionem « sub universo coelo » liceat latiori sensu interpretari, non apparet ratio, cur expressiones « omnis terra », « omnis caro », « omnis substantia » necessario sint accipiendae sensu strictissimo. Tandem in hypothesi axis terrae inclinatae non potuere aquae diluvii perseverare centum quinquaginta diebus, sed, uti ingenti impetu in continentes irruperant, ita eodem mox impetu debuerunt recedere.

2) *Piscium* alii in solis aquis salsis, alii in dulcibus tantum vitam agere possunt : quomodo ergo diluvium universale locum habere potuit, quin aut illi aut hi exterminarentur?

3) *Animalium* species fere decem millia in arcam erant colligendae; quem numerum alii etiam augent. Mitto quaestionem dudum agitari coeptam, fueritne satis in arca spatii tot animalibus recipiendis. Quod docte inter alios demonstrabat fieri potuisse *I. E. Silberschlag* : Geogenie oder Erklärung der mosaischen Erderschaffung, II. 3. Berlin 1780, cellis cuique speciei intra arcam accurate definitis. In quibus nec certo obiici nec certo responderi quidquam potest, omniaque arbitrio magis quam ratione aguntur. Verum, cum eae species certis quaeque dissitisque neque impune confundendis sedibus adstringantur, quomodo tandem Noe earum individua in unum collegit? Num ipse filiique totam late terram peragrarunt? Quibus vero artibus tot feras in unum coegerunt, volucres ceperunt? Neque collegisse satis erat : comportanda erat tam a gelido aquilone quam ab urente austro omnis generis annona, innumera etiam animalia, quibus carnivora per annum vescerentur; horrendus praeterea Noe familiam in arca manebat labor tot diversorum animalium alendorum, stercorum removendorum. Erat maior etiam aliqua et plane insuperabilis difficultas : quomodo sub diverso coelo nata animalia potuere integro anno vitam trahere sub uno, non dicam coelo, sed tecto? Haec quippe naturae virtutem omnino excedunt.

Quarum difficultatum una fingi potest solutio, rem totam *miraculis* esse actam : creatam aquam aut portento nescio quo coactam, adducta divinitus aut per angelos animalia; miraculo eadem in arca, uti pisces in aquis, praeservata; infusam patriarchae scientiam vasti eius vivarii sapienter administrandi. Verum miracula tum tantum fas est affirmare, quando aut clare in textu asseruntur, aut res sine miraculis explicari nullatenus potest. Iure merito igitur h. l. disquisiere auctores, *positne* s. textus alia ratione et sine miraculis exponi. Tota vero ea quaes-

tio unice est de textus *sensu literali*, qui in textu historico semper est primarius neque unquam negligendus. Sed alius est sensus literalis proprius, alius translatus, alius hyperbolicus; in assertionibus speciatim universalibus modo latior est, modo restrictior, pro personae asserentis fine et circumstantiis et pro totius sermonis contextu. Quaestio tandem est tota quanta *exegetica*. In qua duo interpreti catholico sunt pensanda : primum, an liberiorem explicationem admittat textus; secundum an eandem ferat ea, quam revereri tenetur interpres, catholica traditio.

1. *Inundatio ad partem orbis restringi potest salvo textu sacro.*

1) Probatur e *vocibus* ארץ et אדמה, quibus duplex aequo iure significatio competit *terrae* et *regionis* : substitue hanc alteram et facillime fluet narratio eritque de inundatione relative tantum universali.

Ea significatione suscepta, expressiones universales omnes per eandem *limitantur*. « Universa caro », « omnis substantia » intelliguntur caro et substantia omnis, quae intra regionem inundatam reperiebantur. « Omnes montes excelsi sub universo coelo » intelliguntur eiusdem regionis montes, qui suberant universo eiusdem regionis coelo. — Dixerit aliquis, ante cap. 6 ארץ et אדמה universam terram designare : ergo item in narratione diluvii. Non cogit ratio, et praeterea eaedem voces cap. 4 sq. optime exponuntur de particulari regione, itemque cap. 10 sq. In sola Cosmogonia voces necessario latius sumendae sunt, sed inde non cogimur per totam bibliam, imo neque per totam Genesin, voces latius accipere. Cosmogonia minus individue sequenti narrationi connectitur, quam eius narrationis partes inter se.

2) *Expressiones universales* in scriptura saepe accipiuntur sensu relative tantum universali, nihilque prohibet, quominus etiam h. l. ita accipiantur.

Gen. 41, 54. 57 dicitur « tota terra » fame laborasse et in Aegyptum pro pane ascendisse : intelligitur terra non absolute tota, sed quatenus Aegyptiis innotuerat, regiones Aegypti finitimae. — Deut. 2, 25 « Hodie », inquit Deus, « incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni coelo » : est eadem expressio atque Gen. 7, 19. Sed eam intelligendam esse sensu relative universali patet cum per se, tum e Deut. 11, 25 : « terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis ». — 3 Reg. 10, 23 sq. dicitur Salomon magnificatus esse super omnes reges terrae, desiderasse universam terram vultum Salomonis, et Matth. 12, 42 dicitur regina Sabae venisse a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. — Act. 2, 5 dicuntur Hierosolymis fuisse « viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est ». — Plura vide apud *H. Reusch* : Bibel u. Natur, 4. Aufl., Bonn 1876, p. 294 sq.; *A. Motais* : Déluge p. 47 sqq. Eum scripturae loquendi modum iam norat *Ps. Aug.* (De Mirab. S. Scr. II. 15; *M.* 35. 2179), ubi de fame loquens tempore Eliae suborta 3 Reg. 17 : « Haec plaga », inquit, « u

multi magistri putant, tantum terram Israel castigaverat. Sed moris est scripturarum, ut illam provinciam, de qua dicunt, omnem terram indifferenter nominent ». Eodem loquendi modo utebantur aliae nationes antiquae, cf. *Vigouroux*, (Bible II. 47) : « La terre entière est un des noms les plus ordinaires de l'Égypte ». — Rationem aliquam expressionum universalium de diluvio restringendarum cernit *Brucker* (L'universalité du déluge p. 28) in ramo olivae virente Gen. 8, 11 : nam inundatione absolute universali debebant plantae omnes destrui. Alteram cernit *Motais* (Déluge p. 95 sq.) Gen. 8, 9, ubi, postquam v. 5 iam apparuerant cacumina montium, tamen dicitur columba esse reversa, quia « aquae erant super universam terram » : ergo eiusmodi expressiones universales etiam in reliqua narratione non sunt premendae.

3) Probatur idem ex *narrationis indole*. Biblicae de diluvio narrationis cum traditionibus populorum, imprimis Babyloniorum, concordia demonstrat, vel ante gentium in campo Sennaar dispersionem exstitisse communem de diluvio traditionem, non ab aliis quam ab eiusdem *testibus immediatis* derivatam. Idipsum confirmat narrationis sacrae indoles vivida et ad minima quaeque descendens. Quando vero testis immediatus loquitur de iis, quae in tota terra, in cunctis montibus, sub universo coelo, in omni carne et substantia facta sunt, censetur de his rebus loqui, quatenus ipsi notae sunt. Qui in arca servati sunt, eventum posteris narravere qualem oculis ipsi conspexerant : totam quam ipsi norant terram inundatam, altissimos quos ipsi compertos habebant montes submersos, universam quam ipsi scirent carnem exstinctam. Si quis ante repertam Americam, inquit *I. B. Pianciani S. I.* (Civiltà Cattolica Ser. V. vol. IV p. 32, 1862), aliqua affirmasset de omnibus animalibus, aut ante inventum telescopium de omnibus stellis, oppido perspiceremus eius verba non referri ad ea animalia, quae solam Americam incolunt, neque ad eas stellas, quae oculis cerni nequeunt. Verba intelligenda sunt ex mente auctoris; eaedem vero voces sensum induunt modo arctiorem modo latiorem, prout loquens res exprimendas novit imperfectius aut penitius. Idem in ore narratoris Noachidae sonat expressio « omnis terra », atque apud Romanos « orbis terrarum », apud Graecos οἰκουμένη, terrae ambitum cuique notum. Cf. *Vigouroux* : Manuel I. 460. sqq.; *S. F. Smith* : The Month 1888, I. 347 sq.

4) Confirmatur idem *ex fine* inflicti diluvii, ut sc. delerentur homines peccatores Gen. 6,5 sqq. 13 : ergo, ni textus aliunde cogat, sufficit diluvium ad eas orbis partes restringere, quas illi tum incolebant. Sed textum ipsum non debere necessario exponi de diluvio absolute universali, supra demonstratum habes.

Ex *fine* petuntur etiam aliquae contra diluvii restrictionem obiectiones. Finis servatorum animalium describitur 6, 19 sq. « ut vivant », 7, 3 « ut salvetur semen super faciem universae terrae » : ergo finis exstructae arcae videtur esse specierum conser-

vatio. At, si diluvium restringatur, species nulla adhibita ope extra arcam conservabantur, in iis sc. regionibus, ad quas diluvium non pertingebat. Respondeas, verba illa non necessario intelligenda esse de conservandis speciebus, sed de conservandis individuis. Providebat Deus, ut Noe arca egressus continuo secum haberet omnia illa animalia, quae illi usui essent futura (etiam ad sacrificia 8, 20), neque cogeretur exspectare, donec species aliunde immigrarent. Si ferae etiam in arcam convenerant, quod textus quidem non ita clare habet, id sane factum est ad peccatores vividius percellendos. Cf. quae scripsimus : Stimmen aus Maria-Laach 1879 p. 168 sqq: — Urgebis, si terra non sit tota submersa, superfluam videri arcae aedificationem, cum tam Noe quam animalia potuerint salvari alio migrantes. Respondeas, Deum non tam in eo fuisse ut medium seligeret facillimum, quippe cui nihil omnino sit difficile, sed efficacissimum ad convertendos Noe aequales. Hi vero efficacius sollicitabantur Noe apud illos perseverante, Dei minas inculcante, arcam exstruente, quam si is primum praedicasset tantum, postea cum suis alio commigrasset.

2. *Inundationi ad orbis partem restringendae non adversatur veri nominis traditio.*

Negare supervacaneum est, antiquitus in Ecclesia, quando rationes limitandi diluvii perspicerentur nullae, leges naturae imperfecte admodum noscerentur, argumenta universalitatis absolutae in summis ubique montibus demonstrarentur conchae, communem exstitisse opinionem, quae diluvium omnino universale fuisse proclamaret. Invaluitque ea opinio tanto facilius, quod pauci tantummodo auctores quaestionem de diluvio, paucissimi quaestionem de eiusdem universalitate ex professo tractaverint.

Egregie hanc de traditione disputationem digessit *Motais* p. 97 sqq. Terrae formam et ambitum ignorabant fere antiqui. Species animalium numerat *Lyr.* centum quinquaginta tantum, quae in arcam fuerint recipiendae. *Tost.* coniicit ideo fortasse non omnes in omnibus regionibus species reperiri, quod eo non fuerint ab angelis adductae. *Bonfr.* affirmat nullum reperiri montem, « qui super quatuor millia passuum a terra erigatur ». Adde geologiae et palaeontologiae itemque earum, quibus coeli, aquae, continentes, animantium naturae reguntur, legum omnimodam fere ignorantiam, animas ad miraculis enodandas difficultates usque pronos. Attende voces, quibus versiones latina et graeca utuntur, non sicut voces hebraeas *pariter* et terram et regionem sonare, sed terram *potius* : quid mirum, si auctores illi, textu e versionibus potissimum perpenso neque re funditus propter difficultatum ignorantiam discussa, de diluvii universalitate minus vere senserint? Qui eorum consensus tanto minus prudentem melioraque iam edoctum interpretem movere debet, quod illa tandem quaestio ad res fidei et morum aut ad doctrinae christianae aedificationem e mente Concilii Tridentini minime pertineat, auctoresque antiquiores omnis generis et inter se pugnantes coniecturas et fabulas admisceant, quibus patescat non e legitimae traditionis fonte eos sua placita hausisse.

Fuere tamen vel antiquitus, qui quaedam a diluvio loca eximerent, i. e. eius universalitatem negarent, idque facerent omnino impune et absque vituperio, quod sc. deficiente veri nominis traditione opinionibus ea in re esset locus. Eximebatur autem

a non paucis *paradisus*, sive is in altissimo monte collocaretur, sive non; eximebatur locus, quicunque is demum fuisset, in quo secundum sequiorem LXX lectionem *Mathusala* supervixit diluvio. Cf. *Aug.* De gratia Christi et de peccato originali II. 27; *M.* 44. 397 sq. Meminit item *Aug.* (De Civ. Dei XV. 27; *M.* 41. 474) quorumdam, qui *Olympum* eximerent; quibus, cum rationem praeter fabulosam montis altitudinem proferrent nullam, merito S. D. non est assensus. Alii « nonnulli » diluvium restringebant ad ea loca, « quae tunc homines incolebant ». Quorum opinionem nonnisi dubitanter reiiciebat *Ps. Iustin.* (Quaest. ad orthod. 9. 34; *M.* 6. 1281) : « Verum esse non videtur », inquiens, « non in omni loco diluvium exstitisse, nisi forte demissiora fuerint loca, in quibus diluvium exstitit, ceteris terrae locis ». Eandem illam opinionem tuebatur *Theod. Mopsv.* (ap. Io. Philoponum citatum ab O. Zöckle I. 291). Sententiam de Olympo et aliis quibusdam altissimis montibus eximendis resuscitavit *Cai.*, verba Gen. 7, 19 « sub universo coelo » de iis solis montibus interpretatus, qui essent sub coelo aereo, in quo generantur nubes. Quae sententia inde ab eius tempore a reliquis interpretibus tolerabatur. *Tost.* censet, textu Gen. 7, 19 nos non cogi defendere omnes omnino montes esse submersos, quod vox *omnis* in scriptura non sit ita premenda, quod certe excipiendus sit mons paradisi, in quo salvatus sit Henoch ». « An aquae diluvii », inquit, « ascenderunt Olympum, non est certum; sed potius est tenendum, quod ascenderint. Neque est in hoc dubitatio facienda, nam eodem modo dubitaremus de aliis montibus altissimis Thessaliae e Macedoniae, quibus non sunt aliqui montes in toto orbe aequales, ut ait Solinus in Polyhist... De montibus tamen aliis nulla dubitatio esse debet, quin ascenderit aqua super illos, quia non subest causa dubitandi ». Similiter *M. Mersenne* O. Minim. (Quaestiones celeberrimae in Genesin, Paris. 1623) : « omnis terra », inquit, « potest intelligi de illa solum, quam tunc homines cognoscebant; sicut in scriptura saepissime omnis terra pro ea, in qua quis habitat, vel quae uno intuitu videri potest, intelligitur ». Postea etiam ipse, quominus diluvium limitet, cohibetur illa de « montibus excelsis sub universo coelo » expressione; cuius tamen eadem omnino est ratio, atque alterius expressionis « omnis terra », imo formula « sub universo coelo » aliis textibus hyperbolice usurpatur. Sed istud auctores illi non attendebant.

Longis nonnisi intervallis ii, quos recensuimus, testes se excipiebant neque ulla de diluvii universalitate tum exsistebat controversia. Quae primum nata est saeculo decimo septimo, postquam I. La Peyrère, prolato 1655 in medium Praeadamitarum systemate, diluvium ad solam Palaestinam limitaverat. Contra quem scribens *I. Vossius* protestans diluvio defendebat omnes omnino homines esse absorptos, terram concedebat non necessario totam, sed eam tantum, quae tum incoleretur, partem esse submersam. In quem talia concedentem acriter invecti sunt protestantes alii, ceteris acrius *G. Horn.*

Hanc controversiam optime digessit *E. Mangenot :* L'universalité restreinte du déluge à la fin du XVIIe siècle; La science catholique 15 février et 15 mars 1890. Igitur 1659 scripsit *Vossius :* De vera aetate mundi, Hagae Comitis. Diluvium limitat propter miracula, quae secus requirantur, imprimis multiplicandae aquae. Contra quem eiusdem tituli librum edidit Leydae *Horn.* De quo viro ita iudicabat, qui in re diluvii

cum ipso fere sentiebat, *S. Bochart* (Op. III, p. 1058, Leydae 1707) : « Est enim homo indoctus simul et arrogans, ac proinde ad labendum turpiter ac passim promus et obnoxius, quod satis demonstrant ipsius scripta. Pauca quidem legi, sed quid possit eius ingenium, inde me satis habere compertum arbitror ». *Vossius* respondit libro : Castigationes ad obiecta Georgii Hornii. Omnia animalia affirmabat non potuisse sine miraculo sub uno coelo et in una arca vivere, expressiones in scriptura universales quandoque strictius accipi. Secutus est *Horn :* Defensio dissertationis de vera aetate mundi contra castigationes Isaaci Vossii. Dein *Vossius :* Auctarium castigationum adscriptum de aetate mundi. Cui respondit *Horn :* Auctarium defensionis pro vera mundi aetate. In his potissimum de chronologia LXX agebatur, paucis de diluvio interiectis. Si advertas haec omnia scripta uno 1659 anno in lucem prodiisse, fatebere non segniter auctores rem egisse. Vossio consensit A. Colvius literis datis, ad quas respondit *Vossius* 1659 opusculo : Ad Andream Colvium epistola, qua refelluntur argumenta, quae diversi scripto de aetate mundi opposuere. Sententiam suam tamquam probabiliorem defendit, difficultates et miracula adversae sententiae demonstrat. Tandem Colvius 1667 edidit opus posthumum, 1633 concinnatum soceri *A. Vander Mil :* De origine animalium et migratione populorum. E legibus physicis universalitatem diluvii impugnat, Americam et Oceaniam ab illo eximit. Item 1667 itemque Gebennae prodiit auctoris anonymi (*G. G. Kirchmayer*) liber : De diluvii universalitate dissertatio prolusoria. Universalitas restringitur. Ceterum hi duo auctores fere negligebantur, dum pluribus innotescebant Vossius et Hornius. Quibus viris primaria controversia de diluvio nequaquam fuerat, sed de chronologia, de qua Vossius edidit 1661 : De Septuaginta interpretibus et eorum translatione; et anno nescio quo : Chronologia sacra ad mentem veterum Hebraeorum. Censebat autem chronologiam LXX, postposita textus Hebraei (ideoque item Vulgatae) chronologia, omnino esse praeferendam. Qua cum disputatione, uti facile perspicitur, quaestio de diluvii ambitu vix connectitur : cum enim Vossius homines universos diluvio absorptos defenderet, chronologia immutata perstat, sive tota terra sive eius tantum pars submersa dicatur.

Plus viginti anni ab editis Vossii et Hornii libellis effluxerant, cum ii ad *Indicis Congregationem* delati sunt. Iamque trium Consultorum auditis votis proscripserat Congregatio nullo tamen edito decreto, opusculum « De Septuaginta interpretibus », cum advectus Romam doctissimus *I. B. Mabillon* creatus est eiusdem Congregationis Consultor et votum de libellis proferre rogatus. Praestitit id ipse 29. Ian. 1686 pronuntiavitque, non esse cur Vossii de diluvio opinioni ullam Congregatio inureret notam.

Votum habes : Œuvres posthumes, Paris 1724, II. 59 sqq. Damnato iam, ait Mabillon, attamen nullo lato decreto, opusculo « De Septuaginta interpretibus », quaeritur ferendumne sit decretum contra Vossium, an contra Hornium aliosque adversarios, an contra utrosque. Vossii doctrinam, ait, ad haec capita revocari : 1) versionem LXX praeferendam esse nostro textui hebraeo, 2) ideo illorum etiam chronologiam praeferendam esse, 3) diluvium solam, quae incolebatur, terrae partem obtinuisse. Nil de duobus prioribus capitibus, quae libere tum inter catholicos docerentur, statuendum videri; de solo agendum diluvio. De quo nihil sentire Vossium,

quod contra fidem aut mores impingat; illud unum in animo habere, ut impiorum contra scripturam obiectiones efficacius diluceret; tolerasse Patres etiam diversas eiusdem textus interpretationes; posse narrationis biblicae expressiones generales strictiori sensu accipi; catholicorum nullum Vossii sententiam impugnasse, inter acatholicos fervere litem, quam spectare potius deceret ecclesiam catholicam, non vero in arenam descendere neque opem ferre Hornio, qui contumeliis ecclesiam impetivisset. Si tamen S. Congregationi videretur decretum esse ferendum, praestare ut simul cum Vossii etiam Hornii opuscula proscriberentur, ne hic ecclesiae romanae conviciator videretur Congregationis decreto victor renuntiari.

Mabillonii votum, qui aderant, effusis laudibus probaverunt; 2 Iulii decretum sanxere, quo simul et decem Vossii et duo Hornii opuscula in Indicem referebantur.

Hornii merito mirabere non primum opus « Dissertationem » esse proscriptum, sed « Defensionem dissertationis » et « Auctarium defensionis », cum tamen easdem omnia quaestiones pertractent. Crediderim primum opus ideo solummodo non esse damnatum, quod non fuerit a quoquam ad Congregationem delatum. Vossii primum damnatum est, quod iam ante sine decreto damnatum fuerat, opus « De Septuaginta interpretibus », et alterum eidem affine de « Chronologia sacra », in quibus nihil de diluvio erat; dein opuscula quinque, in quibus etiam de diluvio agebatur, sc. « Dissertatio etc. », « Castigationes », « Auctarium », « Ad A. Colvinum epistola » et « Responsio ad obiecta Christiani Schotani »; tandem alia tria a diluvii controversia prorsus aliena, « De lucis natura et proprietate » 1662, « De Sibyllinis aliisque etc. oraculis » 1680, « Epistolae genuinae S. Ignatii » 1646. Cf. *H. Reusch* : Der Index der verbotenen Bücher, II. 115 sq., Bonn 1885.

De hoc decreto dissentiunt auctores, fueritne illo proscripta opinio de diluvio restringendo, necne. Etsi quis defendat proscriptam tum fuisse, nullum inde detrimentum ea nunc patitur, cum iam ab ecclesia omnino toleretur sitque, uti ostendetur, apud interpretes omnino communior. Dicendum ergo erit, aut opinionem illam a Congregatione non esse damnatam, aut esse damnatam non tam opinionem ipsam, quam modum ecclesiae iniuriosum, quo a Vossio defendebatur, aut perperam esse opinionem damnatam, quod in decretis Congregationis Indicis quandoque fieri apud omnes constat.

E. Mangenot tenet opinionem esse proscriptam. Etenim, inquit, e tribus, quae in Vossii opusculis tractabantur, capitibus illud de textus et chronologiae *LXX* praestantia a quibusdam tum temporis catholicis libere docebatur et ipse Mabillon, de solo diluvio tractans, ostendit se putare illius doctrinae defensionem requiri nullam. Sed ratio minime convincit. Mabillon de solo diluvio locutus est, quia de hac imprimis quaestione suam rogatus fuerat sententiam. De praestantia quippe LXX statutum fuerat ante, quando opusculum « De Septuaginta interpretibus » fuerat, utique sine decreto, damnatum. Neque ideo non potuit damnari illa de LXX opinio, quod aliquamdiu iam a catholicis quibusdam impune doceretur; cum eiusmodi etiam doctrinae quan-

doque proscribantur et ratio dilatae proscriptionis ea esse potuit, quod nullus ante liber eam opinionem defendens ad Congregationem fuerit delatus. Merito autem damnatam crediderim eam opinionem, quae non solum parem LXX cum aliis textibus concederet auctoritatem, sed illam universim, et speciatim *totam* eius chronologiam Hebraeo et Vulgatae anteferret.

Alii igitur censent illo Congregationis decreto opinionem de diluvio limitando dici haud posse esse damnatam. Ita, praeter alios apud Mangenot p. 236 sq. citatos, *D. Ruinart* (Vita Mabillonii; initio operis Vetera Analecta, p. 15); *R. Massuet* (I. Mabillonii vitae synopsis; in Annales O. S. B., V. p. XVIII); *de Boze* (Éloge de Mabillon; in Mémoires de l'Académie des inscriptions I. 360); *R. P. Tassin* (Histoire littéraire de la Congrégation de S. Maur p. 267 sq.); *V. Thuillier* (Œuvres posthumes de Mabillon I. p. VIII sq.); *I. B. Glaire* (Les livres saints vengés, 2e éd. Paris 1874, I. 279); *H. Reusch* (Bibel u. Natur p. 297); *A. Bosizio S. I.* (Die Geologie u. die Sündfluth, Mainz 1877, p. 104 sq.); *F. Vigouroux* (Manuel I. 461). Hac explicatione conciliantur, quaecunque de Mabillonio hac in re tradita sunt, sc. et Congregationem eius Vossii defensioni applausisse et eius accessisse sententiae. Quomodo enim credetur eam ipsam proscripsisse opinionem, cuius modo excusationem plaudens audisset? Sententiae vero Mabillonii catenus accessit, quatenus Vossium non sine Hornio damnavit.

Inde a Vossio et Mabillonio sententia de diluvio ad partem orbis restringendo apud catholicos primum non docebatur. Quo sc. tempore vel apud rerum naturalium peritissimos invalescebat opinio, ubique in stratis conspici monumenta inundationis cuiusdam simultaneae, non erat ulla interpretibus ratio Vossii sententiae propugnandae. Verum ubi illa opinio geologica repudiata est, quod factum est apud exegetas nonnihil serius quam apud naturalistas, illico coepere sententiam a Mabillonio tam eloquenter defensam suam facere novisque argumentis communire, ut eadem hodie merito asseratur interpretum esse *communis*.

Primus fere eam propugnavit *Marcel de Serres*, professor facultatis scientiarum Montis Pessulani, cuius liber « De la cosmogonie de Moïse comparée aux faits géologiques » iam 1841 germanice reddebatur. Sequebantur *F. L. M. Maupied* (Dieu, l'homme et le monde III. p. 803 sqq.), *L. I. M. de Bonald* (Moïse et les géologues IV. p. 99), *A. Sorignet* (La cosmogonie de la Bible devant les sciences perfectionnées etc., Paris 1854, p. 59), *Godefroy* (Cosmogonie de la révélation, Paris 1847, p. 293), *C. Schöbel* (De l'universalité du déluge, Paris 1858). Neque intra Galliae fines ea sententia continebatur. 1812 apud Italos eam defendebat *I. B. Pianciani S. J.* (Civiltà Cattolica, Ser. V vol. IV. p. 58 sqq. 290 sqq.), apud Germanos *H. Reusch* (Bibe u. Natur, Bonn), 1863 *G. Zschokke* (Historia sacra A. T., Vindobonae, p. 20), 1865 *J. M. Veith* (Die Anfänge der Menschenwelt, Wien, p. 369. 377), 1866 *F. Hettinger* (Apologie des Christenthums, Freiburg 1866, II. 1 p. 303); e Belgis accedebat 1868 *A. Bellynck S. I.* (Études religieuses II. 578). 1870 *E. Lambert* (Le déluge mosaïque, l'histoire et la géologie, Paris) iustae molis volumine eam sententiam defendit.

Verum superfluum est omnia auctorum recensere nomina, qui inde

ab anno 1870 eidem sententiae accessere, cum numerus eorum sit legio. Sufficiat cum *A. Motais* (Le déluge biblique p. 225) notasse, hodie eam sententiam non in doctis tantum voluminibus, sed vel in illis doceri *compendiis*, quae ad usum omnium eduntur. Cf. inter alia *I. B. Glaire* (Dictionnaire universel des sciences ecclésiastiques, Paris 1868, art. Déluge), *F. H. Schouppe S. I.* (Cursus Scr. S., Bruxelles 1870, l. 178), *Salmon* (La Sainte Bible, ancien et nouveau Testament. Récit et Commentaire. Paris 1878), *F. Vigouroux* (Manuel I. 460 sqq.; liber primum editus est 1879), *Fr. Lorinser* (Das Buch der Natur, Regensburg 1877, II. 249), *H. Rault* (Cours élémentaire d'Écriture Sainte, 4e éd., Paris 1882, I. 172 sq.), *H. I. Crelier* (La Sainte Bible; la Genèse, Paris 1889). — Discutitur iam altera opinio, fuerintne omnes homines diluvio absorpti, quae tota quanta nititur suppositione non totam terram aquis esse submersam. Quam qui impugnant opinionem, non eam suppositionem in dubium vocare audent, sed illud demonstrare unice nituntur, dato etiam non totam terram esse submersam, non tamen probari non omnes homines esse exstinctos. Qua ipsa argumentandi ratione patescit, sententiam, quae tenet non totum orbem diluvio esse submersum, communi iam interpretum consensu censeri vere et solide probabilem. Unius verba adscribimus, qui plus ceteris contra illam opinionem, non omnes homines diluvio interiisse, conscripsit, *I. Brucker S. I.* (L'universalité du déluge, in : Revue des Questions scientifiques 1886 II, p. 126). Ex eius verbis disce, quomodo reliqui item, qui ex eius parte stant, auctores diluvium limitare quoad ambitum permittant. « Cum plerisque », inquit, « nostrae aetatis interpretibus et apologetis concedimus nos textibus biblicis non adigi, ut totum orbem diluvio submersum aut animantia universa destructa affirmemus; sed illud credendum proponi diluvium pertigisse ad eas omnes regiones, quae tum ab hominibus incolebantur, ut omnes destruerentur homines et quotquot penes ipsos essent animalia ». Illi ipsi auctores nostrates rari nantes in gurgite vasto, qui diluvium defendunt absolute universale, ultro admittunt sententiam diluvium restringentem et a pluribus interpretibus catholicis defendi et impune defendi posse.

Ita *T. I. Lamy* (Introductio in S. Scr., Mechl. 1873, 2a ed., II. 48) dicit eam sententiam utilem esse ad obiectiones solvendas. *A. Bosizio S. I.* p. 105 concedit, « ecclesiam non prohibere, quominus interpres catholicus de diluvii ambitu, quod libuerit, defendat; expressiones « super omnes montes » atque similes alias non esse ita praecisas, ut certa universalitatis diluvii demonstratio ex illis erui queat ». Unus *U. Ubaldi* (Introd. in S. Scr. I. 1 p. 748), eorum quae in orbe fiunt ignarus : « tot et tam gravia », inquit, « argumenta pro diluvii universalitate militant, ut ea ab orthodoxis unanimi fere consensu defendatur ». Non sc. perspexit vir doctissimus, alium iam

esse orthodoxorum consensum nunc, quam anteactis saeculis fuerat, neque omnium vota posse in unam ollam coniici. Tum siquidem, ignoratis aut vix perspectis difficultatibus physicis textuque, ut plurimum, secundum Vulg. LXX accepto, uno ore universale diluvium profitebantur orthodoxi; nunc vero, illis difficultatibus rite perpensis textuque hebraeo comparato, uno item ore, qui nunc sunt, orthodoxi eam textus interpretationem, quae diluvium quoad locum nonnisi relative universale fuisse explicat, declarant esse legitimam. Iudicio vero Ubaldi aliorum duorum bonae notae auctorum iudicia opponimus. « Vix ullum iam superest dubium », inquit *P. Schanz* (Apologie des Christenthums. Freiburg i. B. 1887. I. 347). « quin diluvium non totam terram oppleverit. Quam antiquatam opinionem ille solus defendet, qui interpretationis serviliter literalis unice studiosus praeter eam admittat nihil ». Et *Vigouroux* p. 460 sq. « Haec opinio », inquit, « universim admittitur a recentioribus iis, qui scripturae cum scientiis naturalibus concordiam demonstrare studuerunt »; p. 464 : « Omnes praeoccupat obiectiones, quae hac in re contra narrationem sacram moveri consueverant ».

Dictorum summa haec est, sententiam, quae tenet textum Geneseos exponi *posse* de inundatione relative tantum universali, hoc iam tempore esse *sententiam simpliciter communem*. At si textus ita exponi potest, quin ulla veri nominis traditio negligatur, tum adest gravis eius interpretationis amplectendae ratio. Etenim consentientibus universis ea interpretatio vastam praecidit segetem objectionum, quae intricatae simul sunt et partim ridiculae, et antiquiores interpretes in omnis generis hypotheses pellexere, minus efficaces et quandoque absurdas. Hinc factum est, ut sententia, quae tenet textum de inundatione relative tantum universali intelligi non solum posse sed etiam *debere*, apud interpretes nunc evaserit non quidem sententia simpliciter communis, at certe *sententia communior*.

Ex dictis satis patet, quid sit sentiendum de *systemate universalitatis absolutae*.

B. De universalitate diluvii quoad homines.

Haec jam quaestio agitatur inter patronos systematum universalitatis mixtae et relativae. Constat apud omnes, posse diluvium quoad locum et animalia salvo textu limitari; potestne idem limitari quoad homines? Negant defensores universalitatis mixtae, affirmant patroni universalitatis relativae. Uti primum universalitas absoluta in dubium vocari coepta est propter geologiae obiectiones, ita aliarum scientiarum obiectiones ansam dedere vocandae in dubium universalitatis mixtae. Primum principales recensemus obiectiones.

1) *Obiectio historica.* Si plurium gentium a Noe indubie derivatarum origines rimeris, offendes in earum primis sedibus alios populos antiquiores penitusque diversos :

sic in India tribus Dravidicae Arios praecessere, Medos in Media et finitimis provinciis populi quos Protomedicos aliqui appellant, Cuschitas et Semitas in Chaldaea Accadii, Chananaeos in Palaestina variae tribus, quas infra textus discutientes recensebimus. Harum gentium plures antiquitus arte cudendi metalla excellebant (cf. Gen. 4, 22).

2) *Obiectio ethnologica.* Vel in antiquissimis Aegyptiorum monumentis depicti conspiciuntur Nigritae adamussim tales, quales etiamnum perseverant : ergo ea familia (*gall.* race) iam tum a familia caucasia omnino erat diversa. Atqui huic diversitati efficiendae sufficere haud videtur tempus, quod a diluvio ad antiquissima Aegyptiorum monumenta elapsum est. Idem dic de reliquis familiis gentium. Difficultas vero plurimum minuitur, si familiis illis distinguendis totum a creato mundo tempus assignetur.

3) *Obiectio linguistica.* Supponitur, factum Gen. 11, 1-9 non populos omnes, sed aliquas tantum gentes respicere. Porro linguae censentur e monosyllabis in agglutinativas, ex agglutinativis in flectentes naturali et lenta evolutione transiisse. Iamvero linguae gentium omnes, quae indubie a Noe derivantur, sunt flectentes; sola aegyptiaca est quadamtenus agglutinativa, sed flectionem et ipsa inchoatam habet. Reliquarum gentium sunt agglutinativae, monosyllabae repertae non sunt. Videtur igitur rursum tempus a diluvio insufficiens evolutioni linguarum.

4) *Obiectio traditionum.* Reperiuntur apud plurimas gentes traditiones perantiquae de diluvio : at in universa Nigritarum familia certe desiderantur. Unde *G. Brunengo S. I.* (L'impero di Babilonia e di Ninive I. 145, Prato 1885; antea in Civiltà Cattolica) : « Factum », inquit, « est notatu dignissimum ob graves, quae inde deduci possunt, consequentias, nullum hucusque traditionis de diluvio vestigium repertum esse apud Nigritas tam Africae quam Oceaniae ». Atqui graves illae consequentiae aliae fingi nequeunt, nisi quas alii plures et imprimis F. Lenormant ib. citatus deduxere, sc. ideo Nigritas diluvii traditione destitui, quod a diluvio fuerint exempti. — Liceat tandem paucas aliquas adscribere traditiones, quae aliquos, praeter eos qui in arca erant, a diluvio eximebant. *Hier.* (Lib. de situ et nominibus locorum hebr.; *M.* 23. 861) : « Nicolaus quoque Damascenus in 96° libro refert : Est in Armenia super Myniadem mons nomine Beris; ad quem multos in diluvio confugisse autumant, ibique esse salvatos; alios vero in arcae alveo supernatantes ad eius verticem pervenisse ». *I. B. Weiss* (Lehrbuch der Weltgeschichte, 2. Aufl., Wien 1876, I. 82 sq.) sequentia refert e narratione Arabis cuiusdam, quae recenter publici iuris facta est. Imperator sc. Sinarum Taitsong, qui regnabat fere 626-648 p. C., ostendens Arabi Ibn-Wahab statuas, quas apud se habebat, prophetarum et miratus illum singulos dignoscere, « quo signo eos dignosceret, interrogavit. Ille vero respondit : se dignoscere, quibus distinguerentur, insignibus; conspicuum inter illos esse Noe in arca cum suis salvatum, quando Deus aquis imperabat totaque cum incolis terra mergebatur. Ad quae verba ridens imperator : Vera coniectura Noe dignovisti; inundatam quidem universam terram nos non admittimus; pars tantum inundata est, nostra regio et India salvae permanserunt. Ibn-Wahab autem et illud referebat, veritum se esse imperatorem refutare rationesque, quas in promptu habuisset, proferre, quod imperator eas haud fuisset admissurus ». — Cf. *Thomas* l. c. II. 251 sqq., Paris 1889.

Has obiectiones indicatas tantummodo apologetis discutiendas relinquimus. Minime censemus eas esse probatas; dubia sunt, non axiomata. Nos vero s. textum interpretaturi lectorem monemus, plures

hic considerandas venire quaestiones esseque tractandas singulas seorsim et independenter. Valet quippe etiam hic illud philosophorum axioma : bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Sane, ut universalitas relativa toleretur, debebit ea ostendi neque scripturae adversari neque traditioni. At, ut reprobetur, non est necesse ut utrique fidei fonti repugnet, sufficit ut ab alterutro dissonet. Ergo, etiamsi constiterit textui Geneseos satisfacere universalitatem relativam, i. e. Noe narratorem de hominibus solum illis, quos ipse norat, locutum esse, non ideo sequitur eandem illam sufficere aliis V. et N. T. textibus, qui de diluvio agunt. Si universalitas relativa demonstretur nulli textui sacro certe adversari, non inde etiam illud habes, a traditione non reprobari. Sed singula seorsim examinanda sunt et definienda.

Ceterum sequentibus non illud intendimus, ut quaestionem, de qua acris inter auctores est controversia, nostro privato judicio dirimamus, vel recentiorum sententiae prae altera lectorum animos conciliemus, aut eam vere probabilem asseramus : sed, quo loco disputatio sit, recensitis utriusque partis et patronis et argumentis, demonstrare adnitimur.

1. *Systema universalitatis relativae comparatur cum textu Genesis.*

Qui universalitatem relativam tuentur Geneseos interpretes, iisdem omnino nituntur argumentis, quibus non totam terram diluvio submersam affirmari demonstrabant.

1) Uti, assumpta pro *vocibus* ארץ et אדמה non terrae sed regionis significatione, expressiones universales « omnia animantia », « omnis substantia », « omnes montes » contextu limitantur, ut iam non omnia totius orbis, sed solius eius regionis animalia, substantiam, montes designent : ita aiunt eodem contextu eadem ratione limitari expressiones « omnis caro », « universi homines », ut iam non omnes homines, sed solos eiusdem regionis incolas designent. Illam autem significationem vocibus ארץ et אדמה tribui *posse*, et lexica docere et communi nostrates consensu fateri. Neque maiorem 6, 17 difficultatem facere expressionem « omnis caro, in qua spiritus vitae est subter coelum », quam alteram 7, 19 « omnes montes excelsi sub universo coelo ».

Contra quae monet *Brucker* l. c. p. 126 sqq., expressiones « omnis terra », « omnia

animalia » *limitari* contextu; totam sc. terram, quod puniatur ob hominum peccata, intelligendam esse terram habitatam, animalia describi, « quae sint in terra, i. e. in terra habitata, quoad homines vero textum excludere limitationem, cum האדם semper significet aut primum hominem aut totum genus humanum, et etiam Gen. 6,5-8 habeatur explicita allusio ad creationem totius generis humani 1, 26 sq.

Contra haec advertunt alii significationem *regionis* vocibus ארץ et אדמה (et hinc expressioni « omnis terra ») competere non *limitatione* ulla, sed *nativa vi*. Eam sc. significationem iis vocibus aeque propric, aeque immediate competere atque alteram *terrae* significationem. Imo dici posse magis nativam, cum iis vocibus homines primitus utique expresserint terram, quatenus eorum oculis subiiciebatur, i. e. regionem, a qua strictiore significatione voces *extensione* ad alteram latiorem transierint, ut iam non solam terrae partem notam designarent, sed terram totam quantam, notam et ignotam. Brucker strictioris admittendae significationis unicam rationem assignat punitionem hominum, vim argumenti pro restringendo diluvio primarie repetit ex eiusdem *fine*, quod sc. suffecerit terram ab hominibus habitatam mergi, quia homines essent puniendi : de quo dicetur infra. Allusionem, quae Gen. 6, 5-8 habeatur ad 1, 26 sq., non hominis solum sed animalium item creationem respicere advertit *Robert* (Revue des questions scientifiques 1887 I. 142); ergo non magis omnes homines, quam omnia animalia diluvio oppressos demonstrari.

2) Si secundum eam, quae nunc sententia communis est, fas sit *expressiones universales* « omnes montes », « omnis substantia », « cuncta animantia » sensu sumere relative tantum universali, haud perspici urgent universalitatis relativae defensores, quo in eadem narratione iure expressiones « omnis caro », « universi homines » sumantur sensu absolute universali. Quae iam contra Vossium urgebat *I. Le Pelletier :* Dissertation sur l'arche, Rouen 1700. Quin potius debere eas item expressiones de omnibus et solis eius regionis hominibus exponi, nisi aliud suadeat narrationis contextus aut diluvii finis.

3) Idem probant ex *narrationis indole :* esse eam sc. ab ipsis diluvii testibus immediatis derivatam. Quando vero testis immediatus referat ea, quae omnibus hominibus, universae carni facta sint, censeri cum de his loqui, quatenus ipsi innotuerint; nullam autem esse rationem supponendi, illos testes immediatos omnium, qui tum vixissent, hominum fata didicisse.

Contra quam conclusionem defendere aliqui, homines ante diluvium exstitisse *non ita multos*, ut facile omnium notitiam habere potuerit Noe. Quod infert *Pianciani* p. 34 exinde, quod 6, 1 scribantur homines « *coepisse* multiplicari », post quae verba mox sequatur prima diluvii annuntiatio. At scribuntur homines « coepisse multiplicari *in terra* », i. e. in regione Eden, ut ad summum inferre fas sit homines eius regionis paucos exstitisse numero. Praeterea, quod paucis interiectis lineis narrentur et homines coepisse multiplicari et Deus annuntiasse diluvium, non sequitur brevi tantum interiecto tempore eadem esse facta. Infanda connubia sat diu ante diluvium initium sumpsisse, colligas etiam ex facto Henoch translati. Cf. quae dicebamus ad 6, 1-3. Cum genus humanum accepta post diluvium divina benedictione 9, 1 : « Crescite

et multiplicamini et replete terram », decima generatione in tot iam effloruerit nationes (Gen. 10), haud credideris eandem ante diluvium 1, 28 benedictionem tam paucos produxisse.

Suggerat quis, omnes tandem ante diluvium homines in duas illas filiorum Dei et filiorum hominum nationes fuisse divisos, harum autem nationum quantumvis numerosarum potuisse Noe sortem compertam habere. At illud prius gratuito asseritur. Singulorum patriarcharum, praeter filios suis nominibus recensitos, alii commemorantur « filii et filiae », quos omnes illis duabus gentibus esse accensitos et in pristinis sedibus perseverasse, nulla est ratio affirmandi. Aut cur Sethitis vel Cainitis accenseamus illos Adami filios 5, 4, qui neque Setho neque Caino orti sunt?

4) Idipsum effici, universalitatis relativae defensores monent, *contextu cum praecedente et sequente narratione* : neque ea, quae 4, 16-6, 4, neque ea, quae 10, 1-11, 9 referantur, totius generis humani acta describere : ergo neque interiectam diluvii narrationem censendam esse tradi ad modum historiae universi generis humani.

Gen. 4, 16-6, 4 traditur historia non omnium posterorum Adam, cum diserte asserantur etiam alii fuisse filii et filiae, sed solorum Sethitarum et Cainitarum, neque horum necessario universorum, cum singulorum patriarcharum « filios et filias » plures sibi novas quaesisse sedes haud sit veri absimile, sed eorum utique, qui circa primas sedes fixi perseveravere. Habet descriptio colorem omnino *localem* : omnia peraguntur in regionibus Eden et Nod, ubi habes civitatem Henoch, Iabel, Jubal, Tubalcain, Noemam et gigantes. Uti postmodum gens electa Iudaeorum exiguum tantum terrae tractum obtinebat, ita ante diluvium stirps electa, quae a connubiis alienigenarum interdicebatur, vix potest fingi integrum aut certe dimidium orbem occupasse. Elenchus vero cap. 10, omnibus consentientibus, non totius orbis sed tantum familiae Caucasiae gentes describit; 11, 1-9 ne de his quidem universis agit.

5) Ex dictis tandem colligi aiunt, nihil contra sententiam diluvium limitantem effici ex *fine diluvii* prout in Genesi exprimatur : qui fuerit punitio hominum ob universae carnis corruptionem; verum si voci ארץ significationem attribuas omnino propriam et legitimam « regio », similiter caro, animantia, homines intelligenda esse eius solius regionis carnem, animantia, homines; corruptionem eadem regione circumscribi, neque fas esse supponere, omne genus humanum fuisse exstirpandum in poenam unius regionis incolarum corruptionis.

Hinc perspici affirmant *textu Genesis* non effici omnes homines diluvio esse absorptos; narrationem quippe sapienter exponi tamquam a testibus immediatis primitus profectam, qui de hominibus aeque atque de terra, montibus, animalibus locuti sint universalitate non absoluta sed relativa, quatenus sc. haec omnia ipsis innotuerint; esseque nobis tanto maiorem rationem narrationis ita interpretandae, si cum sententia iamiam communiore expressiones, quae sunt de universa

terra, de omnibus montibus et de universa carne, sensu interpretemur non absolute, sed relative universali.

Verum, quamvis Geneseos textum ita interpretetur quis, non ideo definita est quaestio, liceatne interpreti catholico concedere non omnes homines diluvio esse absorptos. Qua de quaestione praeter Genesin audiantur oportet textus paralleli et traditio. Potuit quippe fieri, ut de ambitu diluvii plus noverint auctores aliqui inspirati posteriores aut traditio, quam testes immediati oculis contueri potuerint. Haec fuse rimari interpretis Geneseos non est; eadem tamen viro Geneseos studioso penitus ignoranda non sunt. Nos ea summis labiis delibabimus, textus demonstrabimus; auctorum nomina, argumenta, obiectiones, responsiones indicabimus; uberiorem tamen disputationem interpreti epistolarum S. Petri, ad quem ea maxime spectat, permittemus.

2. *Systema universalitatis diluvii relativae comparatur cum aliis scripturae textibus.*

Eorum textuum duplex distinguenda est classis : alii enim afferuntur, qui universalitatem relativam excludant, omnes omnino homines interemptos affirment; alii, qui universalitatem relativam adstruant, aliquos extra arcam servatos demonstrent.

a. Textus, qui affirmare censentur omnium hominum diluvio effectum interitum.

1) Sap. 10, 4 : « Propter quem » (Cain vel Cainitas), « cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans ».

2) Sap. 14, 6 : « Sed et ab initio, cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum » — τοῦ κόσμου i. e. Noe vel generatim illi octo, qui in arca servati sunt (*Menoch., Tir.*) — « ad ratem confugiens remisit saeculo semen nativitatis, quae manu tua erat gubernata »; ἀπέλιπεν αἰῶνι σπέρμα γενέσεως.

3) Eccli. 44, 17 sq. : « Noe inventus est perfectus, iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquum terrae, cum factum est diluvium ». ἐγενήθη κατάλειμμα τῇ γῇ, ipse factus est residuum terrae.

Ad quae alii respondent : a) omnes hi textus consueverant proferri ut argumenta universalitatis diluvii absolutae, quam iisdem demonstrari iam uno ore negent interpretes; b) eventus alicuius historici indoles non est definienda e textibus poeticis diu post eventum editis, sed e narratione prosaica brevi post eventum nata; c) Sap. et Eccli. non sunt censendi novas de diluvio accepisse revelationes; sed quae in Genesi

legebant, liberius et poetice enuntiabant : vocibus « terra », « orbis » id exprimunt, quod ib. dictione « omnis terra » designatur. « Semen nativitatis » transmisit Noe, suae sc. stirpis sethitae, quae erat stirps electa, productura messiam.

4) Matth. 24, 37 sqq. : « Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis ».

Respondent : a) illud « omnes » intelligi oportere, uti similes in Genesi expressiones; b) tertium comparationis non esse in illo « tulit omnes », cum potius quoad illud explicite statuatur discrimen : « unus assumetur, et unus relinquetur »; sed reperiri in eo, quod uterque eventus *inopinatus* hominibus superveniat. Cf. *Motais* p. 70 sqq.

5) 2 Petr. 3, 5 sqq. : « Latet enim eos hoc volentes, quod coeli erant prius et terra, de aqua et per aquam consistens Dei verbo; per quae ille tunc mundus aqua inundatus periit. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii et perditionis impiorum hominum ». « Mundus » v. 6, inquiunt, idem est atque v. 5. 7 « coelum et terra ». v. 5. 7 de eventibus agunt universalibus, creatione et iudicio : ergo etiam interiectus v. 6 eventus universalis fuerit oportet, i. e. diluvium.

Respondent tamen alii : a) rationem allatam nimis probare, sc. diluvii universalitatem non mixtam solum, sed absolutam tam quoad locum quam quoad homines; ergo trium illorum eventuum universalitatem intelligendam esse pro subiecta materia, absolutam in creatione et iudicio, non absolutam quoad diluvium; non vero probari mixtam. b) Aiunt v. 5.7 sibi omnino respondere : *uti* coeli et terra pridem ex *aqua* prodiere verbo Dei, *ita* coeli et terra aliquando *igne* consumentur verbo Dei; inter quos duos versus inseratur v. 6; de diluvio igitur h. l. agere apostolum non ex professo, sed incidenter et parenthetice, neque eius verba esse premenda. c) Speciatim, licet indubie sibi respondeant ὁ τότε κόσμος et οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, tamen si haec ratio nimis prematur, effici diluvii universalitatem absolutam; aliquam etiam differentiam in eo deprehendi, quod creatio et iudicium coelum et terram afficiant totam, etiam stellas, dum diluvium ad has utique non pertigerit; ergo non nimium premenda esse apostoli verba, dum oratoris sacri et prophetae, non vero historiographi munere fungatur.

6) 2 Petr. 2,4-9 : « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit..., et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens; et civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens eversione damnavit... : novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos ».

Respondent fere eadem, atque aliis locis ratione : S. Petrum mundum alium non novisse praeter eum, de quo per scripturam edocebatur, non alium « mundum originalem » seu « impiorum » praeter eum, cuius fata Genesis enarrat, terram sc. quatenus Noe erat nota; in hoc mundo exstitisse Noe « iustitiae praeconem », hunc suo exemplo « damnasse » (Hebr. 11, 7), et quidem incredulitatis damnasse (1 Petr. 3, 20), quod sc. arcam construi conspexerint neque tamen divinis comminationibus fidem praestiterint.

7) 1 Petr. 3,20 sq. : « Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae, salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi ».

Aliquando iis, qui diluvium limitabant, etiam illud de « octo animabus » obiiciebatur, octo tantummodo homines teste S. Petro diluvium evasisse. Respondebant vero illi, ultro se concedere, « in arca » non plus quam octo esse salvatos. Nunc tota disputatio iam est circa verba ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Versio Vulg. est nonnihil obscurior : e graeco patet, pronomen ὃ referri ad nomen neutrum immediate praecedens ὕδατος. Ei pronomini iungitur adiectivum ἀντίτυπον, appositionis instar accedit βάπτισμα : « quae aqua etiam vos in antitypo salvat, tamquam baptismus », « welches auch euch im Gegenbilde nun rettet als Taufe » (*L. J. Hundhausen :* Die beiden Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus, I. 360, Mainz 1873). Cf. *Calm., Est.* Interpretes aliqui (*Gagnaeus*, *Mar.*) praeferunt lectionem erroneam ᾧ pro ὃ, qua pronomen item ad aquam refertur; eodem recidit ***Tir.***, « quod » hebraismum interpretatus pro « cui ». Versio Vulg. correcta quidem est, sed minus clara : ut enim pronomen non substantivi regentis genus, sed sequentis appositionis imitetur, non est a genio linguae latinae alienum. Minime tamen mirandum, interpretes aliquos, qui Vulgatam potius sequerentur, pronomen simpliciter retulisse ad « baptisma », quod vel in graeco fieri potest, sed durius, et a *Theophylact.* (*M.* 125. 1233) factum est. Ita *L. Fromond* (ap. Migne : Cursus Scr. S., tom. XXV). Sed pronomen referendum esse ad aquam, etiam evidens fit ex adscripto δι' ὕδατος : ait enim paucos illos salvatos esse « per aquam », i. e. non solum trans aquas seu de aquis, sed ope aquarum; aquae diluvii ad illorum salutem contulerunt, quatenus arcam sublimem elevaverunt. Comparantur igitur fideles octo illis animabus seu, quod idem est, ecclesia arcae; aqua baptismi aquis diluvii; praeprimis salvatio salvationi. Utrum apostolus illud etiam efferre velit (*Fromond*), uti in arca, ita in ecclesia « paucos » tantummodo salvari, non liquet. Certe id erui nequit ex una voce ἀντίτυπον, cum antitypus typo non debeat quoad singula quaeque respondere; imo vel in ipsis aquis, quae explicite comparantur inter se, est maxima differentia, cum baptismi aqua non sit nisi salutis medium, nullatenus vero perditionis, diluvii aqua fuerit potissimum punitionis medium, et tantum pro paucis medium quodammodo salutis. Neque illud explicite affirmat apostolus, uti extra arcam servati sint nulli, ita nullos salvatum iri sine baptismo aquae : utrum vero id implicite textui insit atque legitime ex illo eruatur, dissentiunt auctores.

E quo textu hoc modo argumentatur *Brucker* p. 149 : « Sicut bap-

tismus est medium necessarium iustificationis pro omnibus hominibus, ita salvatio, quae fuit baptismi typus, debuit esse unicum salutis medium generi humano tempore diluvii concessum ». Cui respondet *Corluy* (La Science catholique I. 251, 1888) et *Motais* (Revue des questions scientifiques 1887 I. 170 sq.) de universalitate apostolum non agere in textu; aquas conferri inter se non ut *perdentes,* sed ut *salvantes;* salvatos autem esse per aquas diluvii reapse solos illos octo, qui in arca fuere. Dices fortasse, quod apostolus asserat *paucos* e diluvio esse salvatos, innui *reliquos omnes* esse absorptos. Id facile iidem concedent, si assertio ad homines restringatur, qui *intra diluvii ambitum* exstiterint; aliis quippe aquae neque salutem praestare poterant neque ruinam. Atque ita reducimur ad universalitatem relativam. Cf. *Motais* ap. Robert : Revue des questions scientifiques p. 173.

Imo etsi quis concesserit *verbis* S. Petrum revera enuntiare universalitatem absolutam, non ideo suam everti sententiam recentiores concedunt. Tum enim aiunt, reduci disputationem ad quaestionem, quorsum typus *verbis in scriptura expressus* et typus in rerum natura exsistens congruere debeant inter se. Ubi monet *Corluy* l. c. p. 66, typum quandoque praefigurare antitypum, non tam secundum modum quo typus exstet in rerum natura, quam secundum modum quo in scriptura typus exhibeatur et exprimatur; ita *Melchisedech*, quod in Genesi parentum, natalis dieique supremi mentione careat, exhiberi a S. Paulo Hebr. 7, 3 « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens, sacerdos in perpetuum », sicque fieri typum Christi sacerdotium sempiternum non iure haereditatis humanae obtinentis. Si igitur Spiritus Sanctus, silente Genesi de Melchisedech parentibus, virum exhibuit tamquam parentibus carentem typumque sempiterni Christi sacerdotii, cur non possit idem, reticente diluvii limites Genesi, diluvium exhibere ut illimitatum typumque universalis per baptismum salutis? Cui argumento reponit *Brucker* ib. p. 184, hoc typorum genus esse infrequens, dignosci quoad Melchisedech cum ex natura rei tum ex Patrum interpretatione; nihil autem esse neque in scriptura neque apud Patres, quo doceamur diluvium non fuisse universale, imo uno Patres ore eius universalitatem profiteri. Qua responsione suae obiectioni satisfactum esse testatur *Corluy* ib. 251. E contra *A. Breitung S. I.* (Zeitschrift für Kath. Theologie XI. 659 sq. 673, Innsbruck 1887) typorum proprietatem hisce accuratius explicat: « Aeterna sapientia, quae typos tamquam realia sua verba in V. T. scripturis recondidit, exhibitura in typo absolutiorem antitypi imaginem, potuit hanc ita in s. scripturis delineare, ut, quibus in rerum natura typus ab antitypo divergeret, ea praetermitteret atque ita augeretur typi similitudo ex modo, quo res aut persona, quae typus erat, ab auctore inspirato describeretur ». Idque explicat adducto Melchisedech exemplo. Cf. item *S. F. Smith S. I.* : The Month 1888 I. 341.

Ceterum, cum in hac disputatione primarie unanimis consensus Patrum invocetur, ad illud caput remittimus lectorem. Primum tamen alia classis textuum breviter est expedienda.

b. Textus, qui probare censentur non omnes extra arcam homines diluvio esse absorptos.

Eos discussere imprimis *Motais* p. 301 sqq. et *Robert* (La non-universalité p. 83 sqq.; Encore p. 24 sqq.); contra quos scripsere *Brucker* (L'universalité etc.; in Revue des questions scientifiques 1886 II. p. 468 sqq.; Encore p. 17 sqq.), *Rambouillet* (Cain redivivus; in Revue des sciences ecclésiastiques, Mai etc. 1886).

1) *Cinaei* הקיני vel הקני Gen. 15, 19; Num. 24, 21 sq.; Iud. 4, 11; 17, 5; 24, 1 1 Reg. 30, 29; 27, 10; 1 Par. 2, 55. Gentilicium hoc reapse derivari a nomine קין, ostendit Iud. 4, 11 : « Haber autem Cainita recesserat a Cain ». Cf. Num. 24, 22. Hic Cain potuit esse vir, a quo ea gens originem duxit : non tamen ex sola nominis communione sequitur is Cain idem fuisse, atque Abelis frater, et Cinaeos esse Cainitas a diluvio servatos. Ceterum locus in hac disquisitione classicus est Num. 24, 17. 21 sq. : « Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel, et percutiet duces (?) Moab vastabitque omnes filios *Seth*.... Vidit quoque Cainitam et assumpta parabola ait : Robustum quidem est habitaculum tuum et in petra posuisti nidum tuum, sed tamen exstirpabitur *Cain* ». Nomina Seth et Cain in eodem hoc contextu admirationem faciunt; si tamen Seth sit nomen proprium, non vero, ut quidam volunt, appellativum. Si aliunde demonstratum esset, non omnes homines diluvio esse absorptos, tum Num. 24, 21 sq. eam demonstrationem pulcherrime confirmaret. At textus per se solus ad efficiendam probationem non est satis. Multo minus identitas nominis Cinaeorum cum nomine Cain illos ab hoc originem duxisse demonstrat, cum possint duae nationes duove homines esse homonymi, quibus tamen praeter nomen nihil sit commune.

2) Novit Pentateuchus (cf. Gen. 36, 20; Deut. 2; etc.) varias gentes a Semitis et Chananaeis diversas, australem terrae sanctae plagam incolentes, proceritate corporum insignes : Rephaim, Enacim, Emim, Zomzommim, Zuzim, Horraeos, Amalecitas, Sodomitas etc. Quae nomina in Generationibus filiorum Noe frustra requires : ergo non videntur Noe esse prognatae illae gentes. Respondeas, si aliunde constaret aliquas gentes diluvium evasisse, legitima videretur generalis conclusio, unam alteramve gentium, quarum originem scriptura tacet, a Noe non derivari; licet vel tum specialis conclusio, v. g. Rephaim Noe non esse prognatos, videretur audacior. Quis tandem demonstrabit, omnes omnino Noachidas Gen. 10 recenseri, aut nullas minores tribus a gentibus ibidem recensitis postmodum esse separatas? quamdiu vero non aliunde constat aliquas gentes diluvium evasisse, nihil ex illis gentium nominibus concludi potest.

3. *Systema universalitatis relativae cum traditione comparatur.*

Dicebamus, sententiam de tota terra diluvio submersa antiquitus apud auctores exstitisse communem : id multo magis affirmandum est de altera sententia, nullos extra arcam homines esse salvatos. Duae enim illae sententiae necessario connectuntur inter se ita, ut altera nonnisi priore concessa cogitari queat, et paucorum eorum auctorum, qui

aliquas terrae partes exciperent, pauciores etiam eo processerint, ut aliquos homines salvatos esse permitterent.

Commemoranda h. l. venit quaestio de *Mathusala*, qui secundum chronologiam LXX quatuordecim annis supervixit diluvio. Quam quaestionem *Hier.* (ad Gen. 5, 25) vocat « famosam et omnium ecclesiarum disputatione ventilatam », *Aug.* (de Civ. Dei XV. 13) « famosissimam », idemque ait (de gratia Christi et de peccato originali II. 25; *M.* 44. 398) quaestionem, « ubi potuerit Mathusala vivere, qui in arca non fuit », esse de numero earum, quae « ignorari salva christiana fide » queant. — Aliquos extra arcam diluvium evasisse explicite docebat *Hier. ab Oleastro O. P.* (Commentaria in Pent., Lugd. 1588, ad Num. 24, 21), cuius haec sunt verba : « Est quidam ex nostris, qui dicit tunc temporis Moabitas et Ammonitas et Amalecitas sese vocare semen sanctum et a Seth per sanctos patres oriundos, ceteros vero vocari Cainitas, a Caino videlicet ortos, inter quos erant isti Cinaei; neque displicet annotatio ». — Idipsum docebat 1655 *I. La Peyrère* tamquam necessarium erroneae Praeadamitarum hypotheseos fundamentum.

Sententiam aliquos extra arcam servatos esse homines edito 1858 Parisiis libello « De l'universalité du déluge » ex professo propugnavit *C. Schöbel*. Contra quem *F. Moigno* (Les splendeurs de la foi, III. p. 2, Paris 1877), postquam p. 1118 sqq. contra Lambert defendisset, clare edicere textum sacrum, totam terram esse diluvio submersam, p. 1132 sqq. protestatur « esse de fide aut fidei proximum, duplicem esse generis humani unitatem, adamicam et noachicam; neque sine temeritate aliqua affirmari, aliquas populorum familias diluvium evasisse: quae opinio sit minime necessaria, imo plane inutilis ».

Cum 1866 d'Omalius d'Halloy, vir rerum naturalium peritissimus, (Discours prononcé à la classe des sciences de l'Académie de Belgique, Bruxelles) eandem illam sententiam tuitus esset, ratus librum Genesis inde a cap. 4 non totius humani generis sed gentis electae fata describere, appellatus ab eo *A. Bellynck S. I.*[1] (Études religieuses etc., 1868 II p. 578) declarabat, « se eam quidem sententiam, quod minime tum temporis videretur necessaria, haud profiteri; nullam tamen in eos ferre censuram, qui sentirent, eam aliquando hypothesin evasuram doctrinam communem ». — Similiter contra I. Tyndall, qui 1874 in urbe Belfast Hiberniae oratione habita pluribus religionem impetiverat, scribens 1876 *I. Delsaulx S. I.* (Revue cath. de Louvain XLI. 295) concedebat, « omnium hominum a Noe non esse aeque certam, atque eorumdem ab Adamo originem ». Idque scriptum 1877 seorsim

1. Appellamus hac in disputatione eos tantum auctores catholicos, qui quaestionem tractavere tamquam s. scripturae interpretes : sunt praeterea historiarum scriptores, archaeologi, chronologi, rerum naturalium periti, quorum nomen est legio.

prelo edidit : « Les derniers écrits philosophiques de M. Tyndall, Paris ».

Mox etiam inter Germanos quaestio agitari coepta est. 1877 *A. Scholz* (Die Keilschrift-Urkunden u. die Genesis, in : Wörl's kath. Studien III. 1.71) defendebat concedi posse, non omnes extra arcam homines periisse. 1877 *C. Güttler* (Naturforschung u. Bibel, Freiburg i. B., p. 274 sq.) et 1878 *A. Rohling* (Liter. Rundschau p. 119) fatebantur, e concessa thesi, diluvium non totam terram opplevisse, logice sequi alteram thesin, non omnes homines dici oportere diluvio esse exstinctos. 1879 *F. de Hummelauer S. I.* (Stimmen aus Maria-Laach, p. 395 sqq.) eius opinionis argumenta et difficultates exponebat; cf. de eodem *C. Robert :* Revue des questions scientifiques 1887 I. 190. Apud Italos eidem opinioni favebat *G. Brunengo I. I.*, cuius verba v. s., p. 236.

Sed revertamur ad Gallos. 1880 *P. de Foville* (Revue des questions scientifiques 1880 II. 253) protestabatur, posse sententiam de hominibus extra arcam servatis defendi salvis S. Petri effatis et baptismi ratione typica. *I. d'Estienne* (La Controverse 1880-1881, I. 440) : « novam sententiam », inquit, « neque repudiantes neque amplectentes proponimus »; tamen, postquam 1881 I. 415 sqq., II. 148 sqq. 474 sqq. eam fusius explicavit, fatetur p. 504 eadem argumenta, quibus non tota terra diluvio submersa esse demonstratur, aequo iure illud efficere non omnes homines periisse. *H. Rault* (Cours élémentaire d'Écriture Sainte, 4e éd., Paris 1882, I. 172 sq.) : « Imo », ait, « illud concedimus, s. textum non obstantibus expressionibus specie tenus universalibus non excludere absolute illam interpretationem. Tamen, ut ipsi accedamus hypothesi tam novae et audaci, rationes nonnisi gravissimae nos poterunt movere ».

Eo usque res pacate acta fuerat et decore. Id solum fere novae sententiae patroni spectarant, ut sententia non ab ipso limine inaudita proscriberetur, ut sua illi, licet tenuis fortasse, concederetur probabilitas; id veteris dogmatis fautores praestiterant, parce quandoque nec sine fastidio. At vehementius exarsere animi, ubi 1883 *I. B. Iaugey*, ephemeridis « La Controverse » moderator, ratus se lectoribus rem gratam esse facturum, si utriusque partis audiendae facultatem faceret, rogavit hinc *T. I. Lamy*, illinc *A. Motais*, ut, quid de universalitate diluvii sentirent, paucis exponerent. Annuere ambo, et hic quidem VI. 82 sqq. novam sententiam defendi posse tuebatur, ille p. 296 sqq. affirmabat totam latissime terram aquis diluvii fuisse submersam. Quem severius in novam sententiam animadvertisse ratus *C. de Harlez* Lovaniensis, ib. p. 426 sqq. quid de eadem sententia ipse iudicaret, scriptis mandavit. *Iaugey* vero p. 428-430 placide conclusit

disputationem, pronuntians « novam interpretationem defendi posse salva ecclesiae doctrina ».

« Primo, certum est, scripturam nullatenus magis favere opinioni, quae solam tribum Sethitarum diluvio absorptam esse tenet; altera opinio sine dubio tutior est. Fateri tamen cogor, textus non penitus repugnare thesi de diluvio restringendo neque rationibus contra allatis rem dirimi. — Secundo, sententia nova excogitata fuit a viris christiane sentientibus, novarum rerum nequaquam temere studiosis : ne igitur simus ad eam respuendam proniores. Qui vero dicat, ecclesiam solum ex indulgentia ab ea sententia confodienda abstinuisse illamque vel silentio reprobare suo, is illud praecise pro certo affirmat, quod in quaestione versatur. — Traditionis hac in re ego primus unanimitatem demonstravi; sed res agitur penitus eiusdem generis, atque miraculum a Iosue patratum aut quaestio de antiquitate mundi; habetur sc. traditio aliqua constans et unanimis, sed novis repertis veritatibus emendanda. Illam equidem opinionem non profiteor, sed eius propono argumenta, quod theologi meo iudicio hae sint partes, non privata auctoritate et opinionum quarumdam favore proscribere sententiam apologeticae et animarum saluti utilissimam futuram ». Ita *de Harlez*.

Experturi mox erant lectores ephemeridis « La Controverse », facilius evocari spectra, quam in sua dormitum sepulcra relegari. 1884, VII. 247 sqq. scripsit *Motais* « A propos de l'universalité du déluge », durioribus etiam in *Lamy*, « antiquatum illum alterius scholae interpretem », invectus verbis. Non tulit istud veteranus exegeta, sed, eadem inscriptione usus (1884, Nouvelle série I. p. 162 sqq.), sententiam Motais appellavit « falsam opinionem, verae exegesi adversantem, alienam a sensu et doctrina constanter in ecclesia receptis ». *Jaugey* vero VII. 247 iudicium tulit : « Hoc systema (Motais), temperata aliquando per discussionem ea novitatis et temeritatis specie, qua nunc repelluntur plures theologi catholici, fortasse utilissimam apologeticae opem est laturum ».

G. de Dubor (Muséon 1884) idem systema commendavit, cuius scriptum ansam dedit controversiae etiam in Angliam transferendae. Ubi quibusdam, maxime laicis, novam sententiam inique ferentibus, *G. Clifford Episcopus Cliftoniensis* et *L. C. Casartelli* eam admitti posse defendere. Illos vero inter alia monebat episcopus (Tablet 1884 I. 461), sensum obvium s. textus non posse semper e sola Vulg. vel versione Duacensi definiri. Cf. ib. 289. 338. 379, 419. 460. 499. 538. 579. 617. 657. 698. 780. — Eandem sententiam probavere *Mgr d'Hulst* (Annales de la philosophie chrétienne, Nov. 1885, p. 119) et *de Matignon S. I.* (Les familles bibliques I. 133 sq.).

1885 *Motais* iustae molis volumen edidit : « Le déluge biblique devant la foi, l'Écriture et la science ». Librum examinabat Canonicus Rhedonensis *Houet*, qui commendat auctoris erga ecclesiae decreta reverentiam, solidam qua exegetae libertatem vindicat thesimque stabilit argumentandi rationem, theseos in defendenda religione utili-

tatem. Quo nisus iudicio easque laudes suas faciens *Archiepiscopus Rhedonensis* librum imprimi permisit. Hic liber brevi factus est in signum, cui contradiceretur.

In introductione agitur de *libertate* interpreti in hoc genere quaestionum concedenda, ne soli semper adversarii religionem impugnantes videantur ea primi suggessisse, quae verum in his progressum efficiunt. Dein exponuntur tria systemata universalitatis absolutae, mixtae et relativae seu, ut ipse dicit, non-universalitatis. Quod nomen minus aptum videtur, cum, quod supra monuimus, aliquam universalitatem utique textus exigat et vel ipse Motais tueatur. Porro systema universalitatis relativae proponitur argumentatione primum *negativa*, quod neque scriptura, neque traditione, neque antiquitus recepta interpretatione universalitas relativa legitime proscribatur; dein *positiva*. Ubi ostenditur, vel a S. Augustini tempore sensisse non paucos, plura quae diluvium attingant penitiorem aliquam requirere solutionem; sententiam diluvium restringentem quoad locum tantum, ab humillimis profectam initiis, iam doceri communiter; esse tamen logice incompletam, quoad extensa ad homines restrictione absolvatur. Recensentur difficultates a viris scientiarum gnaris prolatae, quae nova sententia facile atque ab ipso limine praecludantur. Evolvitur tandem argumentum e Pentateuchi contextu petitum.

Librum Motais probabat *Th. de Regnon S. I.* (Bibliographie catholique 1885, II. 100 sqq.). *I. d'Estienne* autem (Revue des questions scientifiques 1885, II. 468 sqq.) dubiis valedicens sententiam palam professus est; neque tamen impune. Nam *Iaugey*, causam iam ratus minus tutam et prioris indulgentiae immemor, eum in sua ephemeride 1885, V. 504 sqq. reum proclamat « erroris quoad *infallibilitatem ecclesiae* » admissi. Quem de ambitu, obiecto etc. infallibilitatis edocuere *P. Carbonnelle S. I.* (Revue des questions scientifiques, 1886, I. 168 sqq.) et *P. Béesau* (Les foudres de la Controverse et le déluge biblique, Paris 1886). Respondit *Iaugey* 1886, VI. 168 sqq. 324 sqq., postea conticuit, donec 1888 eam, quam supra ab omnibus uno excepto Lamy reprobari monuimus, sententiam protulit de miraculis nullum in rerum natura vestigium relinquentibus. Ipso anno 1886 moritur Motais.

Argumentum Iaugey hoc est. Ad obiectum fidei spectat, quidquid a Deo revelatum scriptura et traditione continetur; ecclesia autem infallibilis est in omnibus, quae ad illud obiectum pertinent, etiam quando docet magisterio ordinario et universali. Iamvero octodecim saeculis Patres omnes, theologi, episcopi, sacerdotes fide divina crediderunt, omnes homines diluvio periisse eumque sensum esse narrationis Geneseos. Imo S. Sedes omnibus commendavit *Catechismum Conc. Trid.*, qui p. I c. 10 n. 20 haec habet : « In his autem (figuris) illustrem significationem habet arca Noe, quae ob eam rem tantum divino iussu constructa est, ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin ecclesiam ipsam significet, quam Deus sic constituit, ut quicunque per baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis aeternae periculo tuti esse pos-

sent, qui vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur ». Adde p. II c. 2 n. 8 : « Diluvium enim, quo mundus purgatus est, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, huius aquae figuram et similitudinem gessisse, Apostolorum princeps in priore epistola ostendit ». Ceterum illud de Catechismo Conc. Trid. argumentum iam suggesserat anonymus quidam, in « La Controverse » 1885, IV. 684 sq.

Adversarii vero e Iaugey quaerebant, essetne etiam infallibilis Catechismus ille p. I c. 2 n. 21 pronuntians : « At vero terram etiam super stabilitatem suam fundatam Deus verbo suo iussit *in media mundi parte* consistere ». Dein in memoriam revocabant factum *Galilei*. Ubi Domini Iaugey contra universalitatem relativam verba describens *Béesau* p. 11 sqq. (cf. *Carbonnelle*), in adiecta columna eadem verba transfert ad quaestionem de motu relativo solis et terrae.

Iaugey de diluvio.

« Ita certum, ut neque negetur neque negari possit, est illud, catholicos omnes usque in praesens credidisse, docere scripturam totius generis humani praeter Noe et suos ruinam aquis diluvii effectam.

Patres omnes, omnes theologi, episcopi et sacerdotes universi, qui de hac re locuti sunt vel scripsere, indubitanter id factum credidere a scriptoribus inspiratis et speciatim a Moyse referri. Credidere tamquam rem fide divina credendam, neque ullatenus dubitabant, eum esse sensum textus canonici. Poteritne igitur concedi octodecim saeculis totam ecclesiam catholicam errasse, factum aliquod reputantem a Deo esse revelatum, quod revelatum non erat? »

etc.

Béesau de motu solis.

« Ita certum, ut neque negetur neque negari possit, est illud, catholicos omnes usque ad saeculum 18um credidisse, docere scripturam Iosue solem detinuisse seu, quod idem est, terram esse immobilem, solem moveri.

Patres omnes, omnes theologi, episcopi et sacerdotes universi, qui de hac re locuti sunt vel scripsere, indubitanter id factum credidere a scriptoribus inspiratis etc. referri. Credidere tamquam rem fide divina credendam, neque ullatenus dubitabant, eum esse sensum textus canonici. Poteritne igitur concedi octodecim saeculis totam ecclesiam catholicam errasse, factum aliquod reputantem a Deo esse revelatum, quod revelatum non erat? »

etc.

Item Domino Iaugey in memoriam revocabantur *Bellarmini* verba, ex epistola 12 Apr. 1615 ad Foscarinum. Cf. D. Berti : Copernico e le vicende del sistema Copernicano in Italia, Roma 1876. Quae nos e lingua gallica apud *Robert* (Revue des Questions scientifiques 1887 I. 181) vertimus : « Dico Concilium (Trid.), quod novit V. P., prohibuisse explicare scripturam sacram contra unanimem SS. Patrum interpretationem. Porro, si V. P. legat non solum SS. Patres, sed commentarios modernos in Genesin, Psalmos, Ecclesiasten, Iosue, videbit omnes consentire in eo, ut sensu literali explicent solem in coelo constitutum cito moveri circa terram, terram vero a coelo longe remotam immobilem mundi centrum obtinere. Velit profecto V. P., qua est prudentia, considerare, possitne ecclesia tolerare, ut scripturae tribuatur sensus oppositus ei, quem SS. Patres admisere cum omnibus interpretibus graecis et latinis ». Quae verba, monet *Corluy* (La Science catholique 1887 I. 652), diluvii interpretem prudentiae commonefaciunt.

At nactus est Iaugey ultorem *I. Brucker S. I.*, qui (Revue des Questions scientifiques, 1886 II. 123 sqq. 437 sqq.), usus titulo « L'universalité du déluge », universalitatem mixtam magna eruditione defendit. Contra quem in aciem prodiere pugnatores duo, *C. Robert* Oratorianus et *I. Corluy S. I.* In his tribus viris illud laudavere plures, revocatam esse disputationem ad eam quietem et comitatem, a qua illa incensis animis parumper deflexerat. Igitur *Robert* ib. 1887 I. 137 sqq., 409 sqq. scripsit « La non-universalité du déluge » et, cum *Brucker* respondisset II. 28 sqq. opusculo « Encore l'universalité du déluge », ipse rursum ib. 488 sqq. scripsit « Encore la non-universalité du déluge ». *Corluy* breviores notas edidit in ephemeride a Iaugey recenter incepta « La Science catholique ». Et quidem 1887 I. 65 sqq., cui respondit *Brucker* ib. 180 sqq., et iterum 250 sqq. 650 sqq.; cf. etiam ib. 1888 II. 134 sq.

Igitur primum, quod *textum Geneseos* attinet, urget Robert contra Brucker argumentum, quod ipse post Motais vocat argumentum « duplicis ponderis et mensurae ». Duplici velut pondere, inquit, utuntur adversarii in textibus Geneseos exponendis : « omnem terram » interpretantur partem terrae tantum, « omnia animalia » partem animalium tantum, at « omnes homines » interpretantur omnes omnino homines, ne uno quidem excepto, idque in eodem omnino contextu. Quod si excusent restrictionem terrae adhibitam eo, quod contextus suadeat agi de sola terra *habitata*, urget Robert gratis supponi *non totam* tum terram fuisse habitatam. Sin autem, quod exegetice aeque sit probabile, spectatis vero naturalis incrementi legibus sit omnino veri similius, tota terra ante diluvium supponatur fuisse habitata, quid porro? Aut diluvio cum communiore sententia ad partem terrae restricto, excipienda quoque interitu erit pars generis humani; aut toto genere humano undis devoto, habebitur diluvium quoad locum etiam universale, redibunt difficultates et nugae omnes, a quibus se iamiam expeditos esse gratulati erant interpretes. Hinc Brucker, qui 1886 II. p. 126 (v. s.) « cum plerisque exegetis et apologetis modernis » ultro concesserat posse restringi expressiones « omnis terra », « omnia animalia » et legitime defendi universalitatem mixtam, iam 1887 II. 31. 36 pedem retrahit dicitque se ei systemati non esse addictum neque aegre laturum, si illud foret repudiandum.

Argumentum autem e mente Bruckeri omnino praecipuum et in quo totius disputationis cardo versetur, est argumentum *traditionis*, quod ipse 1886 II. 154 ita proponit : « Traditio unanimis et constans factum universalitatis diluvii quoad homines exhibet tamquam veritatem fidei connexam, eo quod illud accipiat ut fundamentum *typi* certi seu figurae propheticae de Christo et ecclesia ».

Testimonia eo, quo citantur ordine, recensemus. *Iustin.* (Dial. c. Tryph.; *M.* 6. 793) universalitatem diluvii affirmat quoad locum. *Cypr.* (De unit. ecclesiae n. 6; *M.* 4. 503) : « Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit, evadit ». *Hier.* (Ep. 15 ad Damas. n. 2; *M.* 22. 355) : « Super

illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio ». Idem (Adv. Iovin. I. 17; *M.* 23. 236) : « Porro Noe, qui quasi secunda radix humano generi servabatur, utique cum uxore et filiis debuit reservari. Quamquam in hoc mysterium scripturarum sit. Arca illa iuxta apostolum Petrum typus ecclesiae fuit, in qua octo animae salvae factae sunt ». *Gaudent.* (Serm. 8; *M.* 20. 897) : « Perisse autem constat in illo diluvio omnes ipsius temporis homines, praeter eos qui intra arcam, quae typum gerebat ecclesiae, reperiri meruerant. Nam similiter etiam nunc omnino salvi esse non poterunt, qui ab apostolica fide et ab ecclesia catholica fuerint alieni ». *Chrys.* (Hom. in Lazar. 6; *M.* 48. 1037) primum rhetorice describit diluvium quoad locum universale. Inde pergit : « Quemadmodum in medio mari servabat eos arca, qui intus erant, sic et omnes, qui errant, servat ecclesia ». Idem (Hom. 24 et 25 in Gen.; *M.* 53. 209. 227) describit diluvio oppressos, uti omnes homines, ita omnia etiam bruta; idemque dicas de *Theodoret.* (*M.* 80. 152 sq.). *Or.* (Hom. 2 in Gen. n. 2 sq.; *M.* 12. 164 sq.) clausa arca ait « nullum extra arcam hominem fuisse ». Idem (c. Cels. IV. 41; *M.* 11. 1097 sq.) omnes, qui nunc sunt, homines et animalia ex arca derivat. *Ambr.* (De Sacr. II. 1. 1; *M.* 16. 423) diluvii meminit ut baptismi figurae, intelligit diluvium universale quoad locum. *Aug.* (De catech. rudibus n. 32) dicit « ecclesiam diluvio praesignatam », de universalitate diluvii ib. non loquitur, utique vero n. 53 (cf. *M.* 40. 334. 346). De Civ. Dei XV. 26 (*M.* 41. 472 sq.) typi in arca rationem minutatim explicat, universalitatem tamen diluvii omittit. C. Faust. Manich. XII. 14 (*M.* 42. 262) : « Noe cum suis », inquit, « per aquam et lignum liberatur, sicut familia Christi per baptismum crucis passione signatur ». *Paul. Nolan.* (Ep. 12. 2; *M.* 61. 200 sq.) verbis « quamvis interveniente diluvio in uno quidem, attamen iusto, universitatis peremptae seminarium stetit », videtur paraphrasim dare textuum Sap. 14, 6 et Eccli. 44, 17 sq. Arcam dicit imaginem redemptoris, non tamen explicat. *Prosper Aquit.* (De vocat. omnium gentium II. 14; *M.* 51. 698 sq.) arcam comparat ecclesiae. Verba « qui ex illa mundi vastatione salvati sunt » supponunt inundationem tam quoad locum quam quoad homines universalem. *Fulgent.* (De fide ad Petr. 37; *M.* 65. 703) : « Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem extra ecclesiam catholicam baptizatum participem fieri non posse vitae aeternae, si ante finem vitae huius catholicae non fuerit redditus atque incorporatus ecclesiae.... Nam et in diebus diluvii neminem legimus extra arcam potuisse salvari ». *Isid.* (Alleg. ex. V. T. n. 12; *M.* 83. 102) allegoriarum catenae etiam haec inseruit : « Noe, qui interpretatur requies, similitudinem praefert Domini, in cuius ecclesia requiescunt quicunque ab huius saeculi excidio liberantur, sicut in arca ». *Io. Damasc.* (Hom. in Sabb. S. n. 25; *M.* 96. 624) arcam facit imaginem sepulcri Christi : ξύλῳ σώζων δευτέρου κόσμου τὰ σπέρματα, alludens ad textus supra laudatos. *Beda* (Hexaem. II; *M.* 91. 85 sq.) arcam dicit esse imaginem ecclesiae, diluvium baptismi : « Deus tulit omnia, quae extra eam erant », qua expressione et aliis apud alios similibus non soli homines, sed imprimis animalia omnino omnia designantur. *Thom.* (in 1 Thess., Prolog.) : « Ecclesia etiam figuratur per arcam, quia sicut in arca ceteris pereuntibus paucae animae salvatae sunt, ita in ecclesia pauci i. e. soli electi salvabuntur ». Agmen claudit *Catech. Conc. Trid.* supra laudatus.

Ex his illud primum collige, exsistere *consensum constantem et unanimem*, diluvium fuisse universale non solum quoad locum, sed etiam quoad homines. Cum enim, quod supra monebamus, Patres om-

nes profiterentur diluvium universale quoad locum, non potuerunt non etiam adstruere diluvii quoad homines universalitatem : quippe haec necessario inter se connectuntur neque potuere, universo orbe inundato, homines alibi quam intra arcam servari. Unde sequitur eum, quem diximus, consensum constantem atque unanimem per se solum non esse genuinae de omnimoda diluvii universalitate traditionis argumentum. Potuit is utique ex eiusmodi traditione originem duxisse; verum, etsi haec supponatur defuisse, debuit idem consensus oriri e communi de diluvii quoad locum universalitate errore.

Hinc merito *Brucker* 1886 II. 448 : « Illud », inquit, « concedi oportet, Patres et antiquos interpretes nonnisi valde imperfecte novisse difficultates, quae consequerentur eorum diluvii tamquam universalis ruinae interpretationem. Et hoc putaverim sufficere, quo eorum consensui inesse veri nominis auctoritatem doctrinalem negemus, si quaestio ageretur pure historica aut scientifica atque ideo cum fide non necessario connexa ».

Argumentorum vix aliud intricatius atque mobilius argumento traditionis. Etenim, quot testes ad completum argumentum sint audiendi, quid dicant singuli, conspirentne in id praecise quod quaeritur, loquanturne ut testes aut doctores, an e sua quisque privata mente : haec omnino difficile definiuntur. Nihilominus illud etiam cum *Corluy* 1887 I. 65 omnino est concedendum, testimonia allata revera demonstrare, *diluvium et arcam a Patribus habitos esse typos baptismi et ecclesiae.*

Quo concesso, illico pergit p. 66 *Corluy* : « Illud non est ita evidens, Patres hanc typicam explicationem proferre tamquam doctrinam ab ecclesia acceptam, neque solummodo tamquam sensum, quem privato ipsi studio in textu sacro deprehenderint. Videatur istud minus probabile, at impossibile certe non est ». Contra quae advertas, novisse eos Patres 1 Petr. 3, 20 sq., qui textus indubium typicae significationi substernit fundamentum, novisse ecclesiam Christi esse catholicam, baptismo intrandam, medium salutis necessarium. Atqui haec plane sufficiebant, quibus Patres a Spiritu S. illustrati typum explicarent, simili fere ratione ei, qua dogma aliquod in fontibus fidei implicite contentum postmodum a Patribus et theologis evolvi consuevit.

Ergo diluvium et arca merito a Patribus habebantur typus baptismi et ecclesiae. Neque tamen ideo, quascunque in applicando typo Patres similitudines deprehenderint, eae illico omnes censendae sunt fide divina esse recipiendae. Aliqui certe subtilius egere : arcam comparant Christi sepulcro, arcae lignum ligno crucis, in arcae dimensionibus atque in nomine Noe mysteria detegunt. Non ideo igitur, quod in typo explicando Pater aliquis vel Patres plures protulere quid, illud profecto ad typi substantiam pertinere censendum est.

Solvenda porro est quaestio, *pertineatne universalitas ad typi substantiam.* Ubi illud quoque concedi omnino debet, Patres omnes in

explicando typo, si non expressisse at certe cogitasse universalitatem; imo, et S. Petrum idem fecisse. Est enim istud nimis obvium, nimis intime et individue cum ipsis typi visceribus connexum. Diluvium aliquo vero sensu universale esse, et textus clamat, et nos initio totius huius disceptationis inculcabamus; ecclesiam Christi, obligationem suscipiendi baptismi universalia esse, Patrum neminem latere poterat. Qui potuit quis diluvium et baptismum, ecclesiam et arcam conferre inter se tamquam typum et antitypum, quin universalitatem quoque universalitati compararet? Ergo universalitas est de substantia typi.

Verum duplex cum detur universalitas, absoluta et relativa, quaeritur porro, utram in mente habuerint Patres de diluvii typo disserentes. Ubi locus dubio relinquitur nullus : Patres omnes et singuli unam in mente habebant *universalitatem absolutam,* hanc unam norant, alteram ne suspicabantur quidem.

Patres, uti patet, non semper tria haec simul explicite commemorant : terram, animalia, homines. At nunquam separant. Universalitatis mixtae erant penitus ignari. Censebant ita omnes homines periisse, uti omnis terra fuerat submersa, animalia omnia oppressa. Sibi fas esse non putabant vocem « omnes », ubi de hominibus praedicabatur, restringere, quod is, quem prae manibus habebant, s. textus non totam aliquam solummodo *regionem,* sed totam *terram* affirmaret esse submersam : nulla igitur relinquebatur restrictionis possibilitas. Quare non possumus *Bruckero* 1886 II. 447 consentire dicenti : « Perpaucis exceptis, Patrum verba loquentium de universa terra submersa, de animalibus extra arcam omnibus destructis, quin textibus vis inferatur, intelligi possunt, uti quos commentantur Geneseos textus, de inundata tota terra habitata et de omnibus animalibus iis, quae penes homines viverent, destructis. Illud vero imprimis notare oportet, Patrum plerosque haec duo, terram sc. et animalia, extra typum relegare ». Patrum certe effata eo, qui suggeritur, modo intelligi minime *possunt,* nisi interpres sua potius, quam ipsorum cogitata ex eorum verbis eruere studeat. Patres ignorabant distinctionem terrae habitatae a terra universa. Neque dicas, quod fas sit verba Geneseos interpretari de universalitate relativa, ideo legitimum etiam esse Patres iisdem fere verbis loquentes secundum eandem relativam universalitatem exponere. Aliud sc. in mente habuerat Noe, traditionis de diluvio primus auctor, aliud Patres, qui Genesin secundum obvium sensum versionis graecae vel latinae interpretarentur.

Ea vero Bruckeri in tota hac disputatione praecipua atque indubia laus est, ut, in quo summa sit controversiae, clare definiverit. Ingenue quippe fatetur, rem dirimendam esse argumento *traditionis* prae scripturae textibus; totum eius argumenti robur consistere in ratione *typi;* in typo hoc unum quaeri, quorsum universalitas pertineat ad *substantiam typi,* et, si pertinere permittatur, totam tandem disputationem ad hanc unam revocari quaestionem, *potuerintne Patres*

errare in re ad substantiam typi pertinente, universalitatem interpretati absolutam, quae revera fuerit relativa. Patres quippe affirmabant consensu unanimi et constanti cum factum historicum, tum rationem typicam universalis diluvii. Eos in facto affirmando potuisse errare, sufficientes universalitatem absolutam *localem* in locum universalitatis relativae, omnes concedunt : potueruntne iidem ratione eadem errare in re typi, dum affirmant universalitatem quoad homines absolutam? Hanc quaestionem dirimere, interpretis Geneseos non est. Quin potius ad absolvendam eam, in qua haeremus, controversiae historiam pedem referimus.

Quam modo descripsimus de libro Motais disputatio, ea alios plures, ut suam hac in re aperirent sententiam, allicuit. *Rambouillet* (Revue des Sciences ecclésiastiques 1886) in opusculo, cui titulus « Cain redivivus », invectus est in Motais Cinaeos aliosque populos a Cain derivantem. De quo cf. *Corluy* (La Science catholique 1887 I. 67). *F. Vigouroux*, qui antea sententiae recenti minime videbatur infensus, eam in 2ª editione libri « Les livres saints et la critique rationaliste », Paris 1887, III. 497, « repudiavit tamquam communi ecclesiae traditioni adversam, quae traditio nullo argumento ostendatur textum sacrum esse perperam interpretata ». E contra *F. Duilhé de Saint-Projet* (Apologie scientifique de la foi chrétienne, 2e éd. 1885, p. 443) censet, « sententiam hanc defendi posse salva ecclesiae doctrina, neque defensores criminandos esse erroris in re fidei; nihil in hac controversia ecclesiam pronuntiasse; consensum oppositum iis destitui notis, quibus agnoscatur catholicae fidei regula ». Similiter *A. Breitung S. I.* in : Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1887, p. 631 sqq. (cf. 1888 p. 369 sqq.), argumenta utriusque partis resumens contendit novam sententiam non esse refutatam, Strenue pro Motais decertat *D. Le Hir* (« L'abbé Motais, sa vie et ses travaux », in : Revue des questions scientifiques 1888 I. 487 sqq.), cui cartae omnes recens defuncti viri patebant. In quibus reperit epistolas laudatorias virorum piorum atque doctorum bene multas, etiam eorum qui in universitatibus et seminariis docebant et celebrabantur, imprimis epistolam 30 Apr. 1885 *Cardinalis E. H. Newman* sententiam liberam pronuntiantis. Meminit item p. 531 docti in Collegio Romano professoris, qui se a nova sententia profitenda non Geneseos, sed solis S. Petri textibus retineri fateatur. Alius Romae professor 15 Apr. 1885 fatebatur, se iam a viginti fere annis eam sententiam auditoribus proponere ut probabilem, quam ipse toto animo amplecteretur, nisi iidem S. Petri et recentiorum V. T. librorum textus obstarent. Praeterea citat Le Hir *G. Fontaine S. I.*, qui (Revue du monde catholique, 15 Oct. 1885) eam sententiam affirmabat « esse de numero earum, quas liberum sit interpreti catholico amplecti, neque rectae fidei catholicae adversari »; *l'Abbé Michel*, theologiae dogmaticae in Seminario maiori Rhedonensi primum professorem, postea dioeceseos Vicarium Generalem (Journal de Rennes 8 Maii 1885); et alios tacitis nominibus complures. — Inter Germanos sententiam teneri posse concedebant *I. Knabenbauer S. I.* (cf. Revue des questions scientifiques 1887 I. 190; II. 494) et *P. Schanz* (Apologie des Christenthums I. 353, 1887; et cf. eiusdem libri versionem anglicam a M. F. Glancey et V. I. Schobel concinnatam, Dublini 1891, I. 436 sqq.), ubi conferendus *I. Forget* Lovaniensis in « La Science catholique » 1889 p. 707. — Apud Anglos tandem *S. F. Smith S. I.* (The Month 1887 III. 129 sqq.; 1888 I. 335 sqq.) utriusque partis argumenta discussit. Concludit p. 350 his verbis : « Illud scientiae

profanae magis magisque demonstravere, systema universalitatis absolutae admitti vix posse, imo ipsum universalitatis mixtae systema esse perquam salebrosum. Unde, quisquis divinam scripturae auctoritatem tuetur, adigitur ad praesumendum, tertium universalitatis relativae systema illud esse, quod s. textus supponat. Hinc, sacro textu maturius secundum solidae interpretationis principia perpenso, tertium hoc systema non quidem omnibus iam modis demonstratum, imo ne omnibus quidem difficultatibus expeditum, at certe altius confirmatum exsistit magnamque habet probabilitatem ».

Ceterum hoc fere tempore, quae usque increverat procella, aliquamdiu remittebatur, ut pauciores universalitatis relativae defensores in arenam descenderent, incensique frigescerent hinc inde dimicantium animi.

Quo tempore *E. Jacquier* (La Controverse 1888 XII. 616) de scripto A. Breitung loquens : « quaestionem sibi videri dilucide propositam », exclamavit, « sed perpetuo mansuram insolubilem ». Ephemeris « The Tablet », quam 1886 I. 423 se redditurum sponderat libri Motais rationem, suppressit. Novam componendae controversiae viam excogitavit ***A. Cetta S. I.*** : Il diluvio, Torino 1886. Narrationem Geneseos etiam ipse accipit tamquam a testibus immediatis profectam. Universalitatem tuetur mixtam : dum aliqua terrae pars aquis mergebatur, reliquus orbis varie concutiebatur. Aliquos extra arcam esse salvatos, censet textui Geneseos minus consonare neque ad solvendas obiectiones necessario esse admittendum. Nequaquam vero s. textui repugnare autumat, si quis statuerit, praeter « octo animas » alios *intra* arcam esse salvatos, puta filiorum filios aut servos. Quam opinionem merito repudiabat « Civiltà Cattolica » (1886 IV. 326 sqq.), simul occasionem arripiens sententiae Motais etiam severius carpendae, quod a 1 Petr. 3, 20 discordet viamque sternat « haeresi, posse homines extra ecclesiam salvari ». E contra *R. D. Thomas*, Vicarius Generalis Virodunensis et s. theologiae pridem professor, 1889 in libro « Les temps primitifs et les origines religieuses d'après la bible et la science » II. 264 sq., re diligenter discussa, suam sententiae de universalitate relativa probabilitatem concedit. Cui (La Science catholique 1890, p. 189 sqq.) assentitur Oratorianus *Hamard*, qui antea (La Controverse 1881 II. 689 sqq.) ei systemati fuerat infensus. *I. A. Petit* (La Sainte Bible avec Commentaire, Arras 1889) plures gentes censet diluvium evasisse. Universalitatem relativam defendit *I. G. Zeeboock* (Les Sciences modernes en regard de la Genèse de Moïse, Bruxelles 1892), et *Mgr de Kernaéret* (Revue des facultés catholiques de l'Ouest, avril 1893, p. 676. Cf. La Science catholique 1893, p. 1031).

Die 14. Decembris 1892 *I. Semeria* Barnabita in aedibus Congregationis Propagandae Fidei, praesidente Illustr. Cardinali Vicario ei consessui, qui quarti anni Societatis Romanae pro studiis biblicis erat primus, publice tuitus est libertatem interpretibus concedendam in quaestione de universalitate diluvii relativa (Revue biblique trimestrielle, 1893 II. p. 431 sq.).

Hispaniarum quoque vox in hac controversia audita est. 1892 *I. T. Gonzalez-Arintero O. P.* Vergarae prelo dedit opus : El Diluvio uni-

versal de la Biblia y de la Tradicion, demostrado por la Geologia y la Prehistoria. Adstruit auctor diluvium, cuius aquae in Europa 1500 m., in Asia 3500 m. ascenderint (p. 235. 384. 405), cuius causa imprimis fuerint Andes montes in America recens nati, cuius effectus exstiterit stratum quod Loess dicitur, etc. Disputationis summa est, diluvium fuisse universale ethnographice universalitate absoluta, geographice universalitate incompleta et restricta (p. 423; cf. 412 sqq.). Expressiones « omnis terra », « omnis caro » accipiuntur de terra et animalibus tum temporum notis (p. 417. 516) : etenim « in narratione Moysis, uti in omni narratione historica, habetur perfecta veracitas, dummodo exprimantur fideliter facta, qualia spectantium obtutui obiiciebantur oculisque narratoris conspiciebantur » (p. 418). Universalitatem diluvii ethnographicam absolutam censet auctor tenendam esse *fide divina atque catholica,* eam sine summo periculo negari non posse (p. 451 sqq. 468). Cui reponit *Cardinalis Z. Gonzales O. P.* (Revue biblique trimestrielle I. 470, Paris 1892) illud se mirari, « defendi tamquam dogmaticam diluvii quoad homines universalitatem »; et *R. Martinez y Vigil O. P., episcopus Ovetensis* (La creacion, la redencion y la Iglesia ante la ciencia, la critica y el racionalismo. Madrid, Libreria catolica de G. del Amo 1892, 2 vol.; cf. Revue biblique trimestrielle Oct. 1893, p. 638 sqq.) interpreti sacro hac in re libertatem vindicat.

A. Schoepfer (Geschichte des A. T., Brixen 1893, p. 59) historiam V. T. texens pro scholis, pronuntiat systema universalitatis relativae, licet neque in praesens efficacibus argumentis fulciatur neque indubie omnes e s. textu petitas obiectiones dispellat, tamen contra fidem non offendere, ad concordiam fidei et scientiae plurimum conferre, et e controversia recenter habita haud spernendam nactum esse probabilitatem. Similiter *Beck* (Theologisch praktische Monatsschrift, Passau 1893, III. 295), de usu agens s. scripturae pro concionibus et catechesibus, tenet universalitatem relativam in catechesibus, quamdiu fideles nihil de ea audierint, non esse attingendam; sed neque a limine repudiandam ideo, quod ab interpretatione antiquiorum auctorum recedat. Tandem *W. Zaborski S. I.* (Przeglad Powszeckny, Cracoviae Sept. 1894, p. 313 sqq.) eandem cum ob defensorum auctoritatem, tum ob rationes intrinsecas pronuntiat esse hypothesin non possibilem tantum, sed imo probabilem.

CAPUT II.

GENERATIONUM NOE COMMENTARIUS.

Demonstrabamus in Introductione narrationem dividi in quatuor pericopas 6,9-7,5; 7,6-16; 7,17-8,22; 9,1-27, quae singulae sacrosancto nomine pro clausula insigniantur.

1. *Mandatum Dei ad Noe Gen.* 6,9-7,5.

Arg. — Effertur 6,9 Noe sanctitas salutis causa futura, commemorantur filii stirpem propagaturi, corruptio universali ruina punienda; dein duo traduntur divina mandata, quae eadem formula clauduntur 6,22 et 7,5, fecisse Noe omnia, quae sibi mandasset numen. Primum est mandatum *aedificandae* arcae, in qua Noe cum animalibus sit salvandus novoque foederi reservandus; alterum est mandatum *intrandae* arcae iam aedificatae.

A. Mandatum aedificandae arcae. Gen. 6,9-22.

v. 9 « *Hae sunt generationes Noe* » (cf. 2,4; 5,1) : « *Noe vir iustus atque* » — copulam *Hebr.* ignorat : tribus diversis expressionibus eandem hic versus maximi momenti veritatem inculcat — « *perfectus fuit in generationibus suis* », inter aequales suos (*Hebr.*); et nota, sat multarum generationum aequalem fuisse virum, qui tum sexcentos aetatis annos haberet. « *Cum Deo ambulavit* »; cf. 5,22 et Eccli. 44, 17. v. 10 « *Et genuit tres filios : Sem, Cham et Iapheth* ». v. 11 « *Corrupta est autem terra coram Deo et repleta est iniquitate* ». Iterum inculcatur secuturi interitus causa. v. 12 « *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram* », v. 13 « *dixit ad Noe : Finis universae carnis venit coram me* », — reliqui inserunt *quia* — « *repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* ». Vox *caro* non hominem dicit et animalia (*Calm.*), sed solum hominem (*Targumim, Chrys., Ambr.*) : homo v. 3 dicebatur caro, neque possunt animalia dici corrumpere vias i. e. mores suos. Enuntiat iam decretum Deus, quod v. 6 sq. « intrinsecus in corde suo » sanxerat; non est mera v. 6 sq. dictorum repetitio.

Finis venit coram me non est *imminet meo decreto* (*Dillm.*); Ez. 7, 6 legitur qui-

dem « finis venit », sed non adiicitur « coram me ». Illa expressio 18, 21; Ex. 3, 9 (cf. Est. 9, 11) sensum habet *innotescendi*, quatenus sc. sermone anthropomorphico dicitur res Deo innotescere, quando fit; h. l. innotescit finis carnis coram Deo, quando corruptio actu obtinet, quam Deus suo decreto praestituerat fore causam finis i. e. interitus infligendi. Ergo satis commode *Per.* : venit i. e. statutus est. Quam Deus effecturus sit **ruinam**, ea 6, 7; 7, 4 indicitur verbo מחה, *delebo;* eodem verbo completa nuntiatur 7, 23. In cuius locum 8, 21 succedit synonymum נכה. *percutiam.* Sed 6, 13. 17, cum v. 11 sq. Deus dixisset *corruptam* esse terram, eodem verbo שחת usus affirmat se terram esse *corrupturum.* Antitheseos ergo vox seligitur, diversum auctorem nequaquam prodens. 6, 17 adhibetur verbum גיע cum שחת, uti 7, 21. 23 cum שחה.

v. 14. « *Fac tibi arcam de lignis laevigatis; mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus* ».

תבה, κιβωτός, « un coffre » secus solum scribitur Ex. 2, 3. 5 de illa arcula, in qua Moyses puer undis creditus est. Nomen dicunt e lingua aegyptiaca transsumptum. Narratio cunciformis substituit navim, assignat gubernatorem : sed biblica narratio evidenter supponit homines rei nauticae prorsus imperitos. — קנים *nidi*, hinc parva cubicula; probabilis lectio קנים קנים (*Lagarde*), *germ.* « Zelle an Zelle ». — Praeter ea duo habet textus ἅπαξ λεγόμενα. גפר, erronee *Vulg.* reddit *laevigatis* et *LXX* τετράγωνων, quae graeca vox Ex. 27, 1; 28, 16; 30, 2; 39, 9 (36, 16); Ez. 41, 21; 43, 16; 45, 2; 48, 20 exprimit hebraeum גפר, רבוע utique est species quaedam ligni seu arboris. Comparant כפורא, quod chald. et syr. sonat *cypressum;* sed est mera coniectura, uti etiam quod h. l. *Chald.* scribit *cedrus.* — כפר, ἀσφάλτῳ, qua eadem voce utitur *Beros.* ad exprimendum *assyr. kupri*, nam etiam cuneiformis diluvii narratio bituminis meminit : « Tres saros bituminis fudi extrinsecus, tres saros bituminis fudi intrinsecus ». Cf. *Schrader* KAT I. p. 48, *Len.* I. 606. Alii vocem vertunt *pix,* cf. *Crelier.*

v. 15 « *Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius* ». Carinam arca non videtur habuisse, sed ad instar ratis fuisse configurata. Petrus Iansen Batavus 1604 construxit navigium quoddam, quod arcae dimensiones imitaretur : illud repertum est ad navigandum quidem satis incommodum, at tutum ferendisque oneribus perquam aptum. Etiam cuneiformis narratio arcae dimensiones exprimit *cubitis,* eadem voce usa אמה : at longitudinis scribit cubitos sexcentos, latitudinis et altitudinis sexagenos : traditio effraenis numeros exaggeravit et omnia ad neros et sossos revocavit.

De mensuris antiquorum cf. *I. Oppert :* L'étalon des mesures assyriennes, Paris 1875; *R. Lepsius :* Untersuchungen über die babyl.-assyr. Längenmasse, Berlin 1877. Erat cubitus aegyptiacus 484·2 millim.; quem si h. l. adstruas, habebis arcae longitudinem 145·26 m., latitudinem 24·21 m., altitudinem 14·526 m. Cubitus vero babyl. erat 525 millim.; secundum quem arcae longitudo erit 157·5 m., latitudo 26·25 m., altitudo 15·75 m., area 4134·375 m. quadrati, ratio cubica 65116·40625 m. cubici. *Lamy, Crelier* putant h. l. intelligi cubitos aegyptiacos, ideo sane quod alias

Moyses eosdem adhibuerit, mensurae vero babyl. nonnisi serius in scriptura deprehendantur. Verum speciosior haec ratio quam verior. Moyses traditione accepit mensuras arcae cubitis expressas; hos cubitos ipse descripsit, quin ideo censendus sit definivisse intelligendos eiusdem rationis cubitos, quales apud suos aequales usuvenissent. Narratio cuneiformis omnino intelligit cubitos babylonicos, mensurae vero babylonicae videntur esse summae maximeque venerandae antiquitatis, neque ex Aegypto in Babyloniam invectae. Hebraei systemata metrica variis temporibus videntur esse mutuati a nationibus, quibuscum continuum ipsis esset commercium; Aegypto egressi mensuras profitebantur aegyptiacas. Assyriis principatum orientis obtinentibus babylonicas; eorum in Mesopotamia maiores item babylonicis usos esse crediderim.

v. 16 « *Fenestram in arca facies et in cubito consummabis summitatem eius* ». Narratio cuneiformis refert *tectum* arcae impositum, quod quidem reapse esse impositum per se patet. Si conferas Gen. 8,6. 13, perspicies fenestram fuisse in tecto, et nostro hoc versu illud saltem efficitur fenestram non fuisse in latere. Haec fenestra claudebatur corpore opaco, puta trabe, cum nonnisi aperta fenestra, quae extra arcam essent, videri potuerint. Etiamsi, quae de cubito dicuntur, ad fenestram referas, tamen his sola fenestrae altitudo describitur, nihil de eius latitudine affirmatur; unde, cum non homines solum sed animalia quoque luce atque aere indiguerint, nihil prohibet, quominus cum *Calm.* adstruas fenestram fuisse tantae, quantae ipsa arca, longitudinis; consentitque *Syr.* scribens *fenestras*. At cuius rei summitas consummanda *in cubito*, i. e. mensura cubiti? Fenestrae putavere quidam : at sic evadit oratio mire contorta. Longe simplicius diceres : Fenestram in arca facies altitudinis cubiti unius; quam constructionem ipse v. 15 suggerebat. Praeterea צהר secus semper est masc., suffixum vero h. l. fem. Asserit quidem *Ges.*, צהר h. l., quod collectivum sit, posse genere fem. construi : at simplicior constructio, quae suffixum fem. ad nomen fem. *arca* trahit (*LXX, Syr., Ephr., Per.* etc.). Ergo : *et* supra illam fenestram *altitudine cubiti perficies arcam desuper,* « ut non absimilem referat a feretro imaginem » culmen arcae (*Calm.*).

צהר : *LXX* ἐπισυνάγων ortum videtur e corrupta lectione צבר, cuius verbi formae Gen. 41, 35 per συναχθήτω et Job 27, 16 per συναγάγῃ redduntur. Reliqui omnes intellexere *fenestram*, sc. aperturam qua *lux* admittitur, a צהר lucere; ita etiam *Aq.* μεσημβρινόν, proprie *meridianum*, quod sc. צהריים meridiem significet seu lucem intensissimam, et *Symm.* διαφανές. Eadem fenestra, 8.6 audit חלון *apertura*, a חלל; tectum vero 8, 13 dicitur מכסה *operimentum* (cf. Ex. 26, 14; 36, 19). Describuntur igitur partes arcae certo et claro ordine. Extrinsecus tria distinguuntur : ipsa arca, cuius demonstrantur longitudo, latitudo, altitudo; fenestra; tectum supra fenestram cubiti altitudine assurgens. Dein ad interiora fit gressus : porta et mansiuncularum ordines. — Ceterum vocum illarum diversitas non arguit diversos auctores : eadem quippe fenestra et *luminare* dici potuit a lumine admisso, et *foramen* et, continente in locum contenti succedente, *tectum*. Neque mirum, quo tempore Hebraeorum

maiores in tentoriis viverent fenestris carentibus, narratorem varias tentando effinxisse expressiones ad fenestras designandas, quod vocum discrimen posteriores religiose servaverint.

« *Ostium autem arcae pones ex latere. Deorsum coenacula et tristega facies in ea* ». Verte : *cubicula inferiora, distega et tristega.*

Explicatis iam, quae Noe praestanda erunt, emphatico ואני הנני distinctius Deus, quae ipse acturus sit, exponere orditur. v. 17 « *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est subter coelum* ». Etiam in narratione cuneiformi : « destruam », numen ait, « semen et vitam ». « *Universa, quae in terra sunt, consumentur* ». v. 18 « *Ponamque foedus meum tecum, et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum* », octo omnino personae (1 Petr. 3, 20), quem numerum narratio cuneiformis exaggerat, illis iungens servos et ancillas, viros exercitus, navis gubernatorem. Foedus illud postea 15,18 Deus transtulit in Abraham, quod primum protoevangelio stabilitum fuerat cum Adam, foederis tamen nomine suppresso. Hoc foedus, cuius summa erat futuri seminis concedendi promissio, quo tempore de universa carne ageretur diluvio destruenda, praeprimis spectabat generis electi e communi ruina (cf. 9,15) efficiendam salutem. v. 19 « *Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum* »; et illud *bini* explicatur « *masculini sexus et feminini* », numerus quippe individuorum 7,2 sq. statuitur maior.

Aliter dividunt v. 17 voces *LXX Syr.: diluvium, aquas super terram.* מבול, incertae derivationis vox, occurrit secus solum Ps. 28 (29), 10. Vox fortasse antiquata (*Dillm.*) explicabatur adiecto מים על הארץ, quod item 7, 6 appositionis rationem habebat. Ex quo textu etiam patet, non esse cum quibusdam punctandum מַיִם pro מַיִם. — Vox בשר v. 17 iam sumitur sensu latiori, quam v. 12 sq. sumebatur, includitque animalia : quod patet ex v. 19 sq., ubi uti v. 18 quidam homines, ita etiam quaedam animalia a communi carnis interitu eximuntur. Uti v. 18, ita etiam 7, 7. 13 personae familiae Noe ita recensentur, ut primum *viri*, dein *mulieres* efferantur : sc. omnibus iis locis (6, 19; 7, 9. 16) illico etiam in animalibus *masculi* et *feminae* discernuntur. 7, 1 res ad breviorem formulam « tu et omnis domus tua » redigitur, animalium v. 2 masculi et feminae distinguuntur. Sed ubi in animalibus non discernuntur sexus, ibi (8, 16. 18) in familia etiam Noe non sexus sed dignitatis ordo servatur : « tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum] tuorum ». Absurde aliqui diversos hinc inferunt scriptores.

v. 20 « *De volucribus iuxta genus suum, et de iumentis in genere suo, et ex omni reptili terrae secundum genus suum, bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere* ». Recensentur ea animalia, quae recipienda sint in arcam, ut postea inde egressa repleant terram : po-

tuere alia animalia recipi, ut essent esca carnivoris in arca. v. 19 iubebantur animalia *induci*, hic ipsa dicuntur esse *ventura* : quomodo res effecta sit, non edocemur; Deus utique, quod humanis deerat viribus, supplevit. v. 21 « *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quae mandi possunt, et comportabis apud te, et erunt tam tibi quam illis in cibum* ». v. 22 « *Fecit igitur Noe omnia, quae praeceperat illi Deus* ».

B. Mandatum intrandae arcae. Gen. 7,1-5.

Hoc mandatum praecedente est posterius. Post illud effluxit totum illud tempus, quod arcae aedificandae impendebatur; hoc vero mandatum 7,4 septiduo ante diluvium editum est.

Cum toties moneamur differre elohistae et iahvistae stilum, iuvabit in his duabus pericopis demonstrare, quam affinis quandoque, ne dicam idem, sit eorumdem stilus. Igitur 7, 1ª idem fere est, atque 6, 18ᵇ : cf. בא אתה אל התבה cum ובאת אל התבה אתה; quod 7, 1ª habet וכל ביתך, idem 6, 18ᵇ enumeratione partium amplificat. 7, 1ᵇ צדיק בדור הזה cf. cum 6, 9 צדיק בדרתיו. 7, 2 מכל בהמה etiam habes 6, 19; voci autem תקח לך respondet v. 21 קח לך. 7, 3 habes מעוף, 6, 20 מהעוף; ibi לחיות, hic solum להיות זרע; expressione זכר ונקבה ibi utitur iahvista, 6, 19 elohista, iahvista autem modo utebatur expressione איש ואשתו ad eundem sensum exprimendum. Tandem 7, 5 verbotenus idem est atque 6, 22, sola nomina divina sunt diversa et sententia, ubi repetitur, etiam abbreviatur.

Cap. VII v. 1 « *Dixitque Dominus ad eum : Ingredere tu et omnis domus tua in arcam : te enim* » — « solum », merito ex contextu supplet *Cai.* — « *vidi iustum coram me in generatione hac* », non « in generationibus his » (cf. 6,9) : ibi Noe dicebatur iustus in omnibus, quibuscum successive vixerat, generationibus; hic unus iustus dicitur in una generatione diluvio exstinguenda. Vox utique non prodit diversum scriptorem. Cf. etiam 9,12. v. 2 « *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam; de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam* ». Contra *Hebr. Chald.* שנים, *Vulg. LXX Sam. Syr.* שנים שנים, quae lectio omnino praeferenda. Expressio de se potest significare *bina* i. e. par unum, et similiter שבעה שבעה *septena* i. e. *septem* (*Theodoret., Aug.* etc.). At intelligi paria duo seu animalia *quatuor*, et paria septena seu animalia *quatuordecim* (*Iac. Edess.; Ps. Iustin.* : Quaestio 43 ad Orthod.; *M.* 6. 1287), ostendit adiectum *masculum et feminam*, quo docemur totum animantium numerum aequis portionibus dividi in mares et feminas. Idem confirmatur Gen. 7,9. 15, ubi animalia dicuntur ingressa esse arcam bina et bina, sane ita ut mas et femina eiusdem speciei simul graderentur : ergo erant omnia numeris paribus, non impari-

bus. Recepta fuere plura numero animalia munda quam immunda, primum quod illorum aliqua sacrificiis mox essent destruenda, dein quod animalia munda homini quoque ad victum et vestitum procurandum sint utiliora (*Iac. Edess.*).

Ex his patet, iam Noe tempore notum fuisse discrimen inter animalia munda et immunda : coacta quippe est explicatio rabbinica (ap. Calm.), iussum esse Noe septem eorum animalium in arcam recipere, quae postmodum lege mosaica declaranda forent munda. Putavit igitur *Cai.*, illud discrimen ante diluvium non respexisse esum sed solum *sacrificiorum* usum, munda dici illa animalia, quae tum sacrificiis adhiberi potuerint. At licet postmodum apud Iudaeos paucae illae, quae sacrificiis adhiberentur, animalium species omnes mundorum essent animalium, tamen plurima animalia munda a sacrificiis excludebantur, neque distinctio a sacrificiis petebatur sed a cibis, similiter atque apud alios aliquos orientis populos, v. g. Arabes. Gratuito igitur distinctio a sacrificiis petita pro aevo Noe adstruitur, cum neque Gen. 7, 2 quidquam de sacrificiis habeat, neque legis mosaicae analogia invocari possit. Quid ergo restat, nisi ut distinctionem etiam h. l. repetamus a *cibis?* Recole tamen, quod dicebamus, verbis 1, 29 nequaquam exprimi carnium ante diluvium edendarum prohibitionem, licet fortasse homines pii sponte iis abstinuerint. Observa, 9, 3 videri omnis generis carnes post diluvium edendas permitti. In re minime clara coniecturam liceat proferre. Gen. 7, 2 indubie demonstrat, tempore diluvii mundorum et immundorum distinctionem apud homines certe pios fuisse *notam;* non demonstrat, fuisse iam *lege divina impositam*. Ei distinctioni populo electo aliquando imponendae Gen. 7, 2 praeludit Deus, eam ne tum quidem lege sancit, sed approbat et commendat. — Distinctionis aliam rationem mere naturalem et a religione omnino alienam suggerit *Calm.*, quae tamen haud placet. Istud « discrimen », inquit, « invectum arbitramur non a religione, sed ab horrore quodam naturali erga certi cuiusdam generis animalia maiorique aliorum prae aliis aestimatione atque utilitate »; ut fuerit « discretio illa appendix quaedam legis naturalis seu insitae cuiusdam hominibus propensionis, qua inclinamur in eos, qui nostris seu voluptatibus seu servitiis addicti sunt, retrahimur vero ab immundis quibusque et ingratis ». Verum, nonne ita distinguendae item fuissent plantae mundae atque immundae? — Putat *Bonfr.*, quod auctor non explicet, quae sint animalia munda quaeve immunda, eo nobis indicari discrimen oportere intelligi adamussim tale, quale postmodum fuerit in lege mosaica. Praepostera est conclusio. Fuerit idem quoad eas, quae homini magis necessariae magisve adversae essent, animalium species : in reliquis potuere tamen decursu tot saeculorum aliqua aut restringi aut relaxari, quod etiam in legibus christiani ieiunii et abstinentiae factum esse conspicimus. Traditione sacra docebantur posteri, diluvii tempore distinctionem mundorum atque immundorum viguisse, non vero quae animalium species mundae quaeve immundae habitae sint.

v. 3 « *Sed et de volatilibus coeli septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universae terrae* ». *LXX* hunc versum omnino conformat v. 2, ut septena scribat mundorum, bina immundorum volatilium. At longe probabilior est lectio *Sam. Syr.*, solam vocem הטהור inserentium : *Sed et de volatilibus mundis septena et septena* etc.; de immundis bina et bina esse recipienda, per se intelligitur.

Masculus et femina semper exprimitur זכר ונקבה (6, 19; 7, 3. 9. 16), solum 7, 2 bis איש ואשתו : quare diversos recentiores inferunt auctores. At si scriptor cap. 7 altera delectabatur expressione, cur priorem habet 7, 3? Quod in avibus, suggerit *Del.*, minus evidenter sexus distinguuntur (!); *Dillm.* autem v. 3 attribuit redactori. At v. 3 intime connecti cum v. 2 patet cum per se, tum collatis 6, 19 sq.; 7, 8. 14. 21; 8, 17. Permittatur auctori sacro usus expressionum synonymarum. Tandem *Sam.* 7, 2 bis legit זכר ונקבה, consentiuntque versiones omnes; quo tota in levem aerem dissolvitur difficultas.

v. 4 « *Adhuc enim, et post dies septem* », computandos non ab ingressu arcae (*Est.*), sed ab hoc Dei mandato (*Mar.*), qui septem dies utique recipiendis in arcam animalibus (*Ephr.*) impendebantur, ut non sine stupendo prorsus miraculo, nisi probetur haud supponendo, potuerint animalia e dissitis terrae zonis adduci, « *ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terrae* ». Comparat *Chrys.* Ion. 3,4 : « Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur »; et infert, ut Ninivitas, ita antediluvianos, si septiduo illo resipuissent, potuisse impetrare salutem.

Vulg. Syr. ל recte vertunt *post.* עוד uti Is. 10, 25 *abhinc*, ergo *post dies abhinc septem*. Insolita sane constructio *adhuc enim et* potestque quaeri, legeritne *Vulg.* textum hebr. nonnihil diversum, ubi conferas Ps. 140 (141), 5. — יקום vi etymi significat *id, quod stat* (*Chald. Syr.*); *LXX* hic et v. 23 ἀνάστημα vel ἐξανάστασιν, sed Deut. 11, 6 ὑπόστασιν. Monet *Bonfr.* post *Kimchi* vocem intelligi oportere de *animalibus*, quod reapse suggerit contextus; neque alia praeter animalia substantiarum genera diluvio destructa esse, patet exemplo rami olivae, quem post diluvium attulit columba (*Mar.*). Num. 16, 32, in loco ad Deut. 11, 6 parallelo, habetur quidem רכוש *possessio*, sed hanc quoque vocem primitus animalia designasse colligas ex רכש, equo veloci, vertuntque ib. *LXX* κτήνη. — Porro יקום nonnisi 7, 4. 23 legitur et a recentioribus iahvistae idiomatibus accensetur. Duo textus unicum efficiunt testimonium, altero id effectum describente, quod prior efficiendum nuntiarat. *Substantia* illud confusius designat, quod alias distinctius dicitur *omnis caro*, ut mirum non sit expressionem confusiorem secus non adhiberi.

v. 5 « *Fecit ergo Noe omnia, quae mandaverat ei Dominus* », cf. 6,22. Putat *Budde* p. 257, vocem *omnia* referri ad solos v. 2 sq. de

tollendis animalibus, cum ipsius Noe v. 1 *ingressus* narretur v. 7 : at v. 7 sqq. narratur ingressus non solius Noe et familiae sed animalium etiam. Ergo vox *omnia* refertur ad v. 1-3 praecepta, quorum impletio v. 5. brevi formula exprimitur, v. 7-9 per singula describitur.

2. *Ingressus in arcam Gen.* 7,6-16.

Arg. — Sollicitus iam est s. auctor de tempore coepti diluvii accurate definiendo. Et primum quidem 7,6 tradit, qua aetate fuerit Noe arcam ingrediens; inde 7,11 per annum, mensem, diem diluvii initium. Utrobique subnectit descriptionem intratàe arcae et quidem, v. 7-9 verbis 7,2 sq., at vero v. 13-16 verbis 6,19 sq. magis imitantibus, quo evidentior evadat assertio 7,16, facta esse omnia, « sicut praeceperat ei Deus ». Est hoc omnino e genio narrationis hebraeae neque diversos necessario prodit scriptores. Vide tamen, quae diximus in Introd.

A. Membrum prius. Gen. 7,6-10.

v. 6 « *Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquae inundaverunt super terram* ». v. 7 « *Et ingressus est Noe et filii eius, uxor eius et uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluvii* ». v. 8 « *De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus* » — mundas et immundas etiam hic uti v. 3 perperam distinguit *LXX* — « *et ex omni, quod movetur super terram* », v. 9 « *duo et duo* » i. e. bina, non enim scribitur h. l. absolutus numerus ingredientium, sed sexuum differentia notatur — « *ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut praeceperat Dominus Noe* ». v. 10 « *Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram* ». Quod Deus v. 4 minatus fuerat, ostenditur esse impletum.

Solus iahvista, inquiunt, 7, 7. 10 expressione utitur מי המבול. Falsum est, eadem legitur 9, 11. Praeterea etiam secus utraque vox legitur (cf. 7,17; 9, 15), licet prior non scribatur statu constructo : at, num ille status constructus reapse est aliquid iahvistae ita exclusive proprium? Est et alia expressio durior, ideoque gravioris in hac disputatione momenti המבול מים על הארץ, quae legitur 7, 17 et 7, 7, i. e. semel in pericope, quae iahvistae tribuitur. Haec omnia nullam ad demonstrandos diversos auctores vim habent.

B. Membrum posterius. Gen. 7,11-16.

Iam redit auctor v. 11 sq. ad distinctius, narrandum id, quod v. 6 succincte indicaverat; et quidem tam tempus, quo diluvium inceperit, quam eiusdem rationem accuratius demonstrat. v. 11 « *Anno sexcen-*

tesimo vitae Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis » — *LXX vicesimo septimo*, sc. in vocibus עשר יום errore reduplicabatur litera ע. Reliqui hic habent, quod ignorat *Vulg.*, *in die illo* : studebat sc. auctor tempus, quam poterat accuratissime, describere — « *rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt* ».

תהום nunquam, quod pauci recentiores voluere, significat *aquas superiores* Gen. 1, 7. Vox alias significat *aquas inferiores* (Gen. 49, 25; Deut. 33, 13), speciatim *mare* : Is. 51, 10; Ez. 31, 4; Am. 7, 4; Ion. 2, 6; Job 38, 16. *Abyssum magnam* esse *oceanum*, ostendit Deut. 8, 7, ubi terra promissa describitur abundare « rivis aquarum, fontibus et abyssis in vallibus montibusque ». Sane hi abyssi minores, vallibus montibusque inclusi sunt Mare Mortuum, Tiberiadis etc. : ergo abyssus magna est ipse oceanus. — Sed qui sunt *fontes* oceani? Aliqui cogitant de fontibus quibusdam ipso oceano inferioribus, unde huic aquae suppeditentur : sed nulla est ratio supponendi, s. auctorem voluisse eiusmodi commentum h. l. exprimere. Uti statim *cancelli coeli* non eas aperturas designant, unde aquae in coelum influant, sed eas potius, unde e coelo in terram effluant : ita fontes abyssi non ii intelliguntur, quibus aquae in mare influunt, sed quibus e mari in terram effunduntur. Fontes crediderim h. l. idipsum intelligi, quod Job 38, 11 dicitur « vectis et ostia » : sunt *litora*, quae vectis instar mare cohibent sed, ubi *diffinduntur* (*Hebr.*), fontis instar eiusdem aquas effundunt. Videtur igitur ea imagine eiusmodi exprimi eventus, quo aut regio Eden infra mare depressa ab eoque submersa sit, aut mare litore egressum in eandem se effuderit. — ארבות *cancelli* (Eccle. 12, 3) etiam secus de coelis praedicatur : Gen. 8, 2; 4 Reg. 7, 19; Is. 24, 18; Mal. 3, 10; fingunturque coeli veluti aperturis quibusdam reclusisque cataractis imbres effundere. Monuerant iam *Chrys.* et *Iac. Edess.* loqui s. auctorem, ut vulgo homines de iis rebus loqui consuevissent; neque ulla est ratio eum accusandi, quod reapse cataractas quasdam seu fenestras in coelis reperiri putaverit.

Iuvat h. l. varia, quae de *tempore et duratione diluvii* habet narratio, inter se conferre. Quorum duplex est series : alia mensem et diem eventuum, alia simpliciter summam dierum describit. Annos vero Hebraei, et ante et post Moysen, numerabant *lunares* mensium duodecim, quibus altero vel tertio quoque anno, uti apud Assyrios et Babylonios, mensis tertius decimus addebatur intercalaris. Cum nominum, quibus ante exsilium Iudaei menses appellaverint, quatuor tantum compertos habeamus, utemur nominibus, quos Iudaei exsules a Babyloniis transsumpsere et quibus hi iam antiquitus fuerant usi. Incipiebat autem Hebraeorum ante Moysen annus non a mense Nisan (a medio Martii ad medium Aprilem), sed a mense Tisri (Sept.-Oct.); cf. *Ios.*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* Igitur primae seriei numeri hi sunt :

7, 11. 13 die 17ª mensis 2ⁱ seu Marchesvan (Oct.-Nov.) coepit diluvium et ingressi sunt arcam Noe et socii.

8, 4 die 17ª mensis septimi seu Nisan (Mart.-Apr.) requievit arca super montes Armeniae. Videtur autem omnino cum *Hebr. Sam. Chald. Syr.* legenda dies 17ª pro 27ª (*Vulg. LXX*).

8, 5 die 1ª mensis 10ⁱ seu Tammuz (Iun.-Iul.) apparuerunt cacumina montium.

8, 13 die 1ª mensis 1ⁱ seu Tisri (Sept.-Oct.) sequentis anni exsiccata est superficies terrae.

8, 14 die 27ª mensis 2ⁱ seu Marchesvan (Oct.-Nov.) arefacta est terra et egressus est Noe ex arca.

Notaverat iam *Ephr.*, textum tribuere diluvio durationem unius anni solaris seu 365 dierum, sc. unum annum lunarem 354 dierum additis diebus undecim a 17ª ad 27ᵃᵐ diem mensis 2ⁱ. Comparanda h. l. est etiam *Berosi* assertio (ap. *Polyhistor.* et *Abyden.*), diluvium incepisse die 15ª mensis Daisii, i. e. Sivan (Mai.-Iun.). Sed, si supponas erronee scripsisse Daisium pro Dio, quae nomina non ita multum differunt, habebis idem fere atque in Genesi tempus, Dius enim est Marchesvan. Narratio cuneiformis, qualis ad nos pervenit, tempus, quo diluvium inceperit non commemorat; septem scribit dies tam pluviae, quam subsistentis ad montem Nizir usque ad dimissas aves navis; sc. haec narratio plura videtur ad numerum sacrum septenarium revocasse.

Alterius seriei numeri sunt hi :

7, 24; 8, 3 obtinuerunt aquae terram *150 diebus*, quibus elapsis coeperunt eaedem minui; in his autem 150 diebus videntur includi 7, 17 dies 40 pluviarum etc.

8, 6 a die, quo apparuerunt cacumina montium, usque ad dimissum corvum effluxere *dies 40*.

8, 7 sqq. ab emisso corvo ad emissam primum columbam effluxere secundum v. 10 *septem dies;* videtur illa eodem, quo dimissa fuerat die, in arcam esse reversa.

8, 10 sq. exspectatis *7 diebus* emissa rursum *8ª die* est columba rediitque eodem die vespere.

8, 12 exspectatis *7 diebus* rursum emittitur columba.

Nulla est repugnantia inter huius et prioris seriei asserta. Obiiciunt quidem *Dillm.* aliique latius patere dies 150, quam tempus a die 17ª mensis 2ⁱ ad 17ᵃᵐ mensis 7ⁱ, quod sit 148 dierum. Exigua quaeque impune negligi potuerit, est differentia. At neque duae istae expressiones ad idem adamussim tempus referuntur. Urget *Dillm.*, non potuisse arcam nisi elapsis illis 150 diebus, sc. quando aquae iam coepissent decrescere, in monte illo Armeniae subsistere. Id non est verum. Potuere Armeniae montes, regionis Eden montibus altiores, aquis non ita altis inundari ideoque arcam, vel antequam aquae minui coepissent, detinere. Imo nonnisi postquam arca fixa consederat, potuere Noe et socii, artis nauticae parum periti, certo aquarum diminutionem observare, decrescentium in dies in lateribus arcae in eodem loco defixae.

Ceterum altera series non est completa, sed e priore complenda. A die 17ª mensis 2ⁱ ad 1ᵃᵐ mensis 10ⁱ quando apparuere cacumina montium, effluxere dies 220, quibus includuntur illi 150 dies Gen. 7, 24. Tum 40 diebus Noe exspectavit, quo efficitur summa 260 dierum. Cum ab exsiccata super-

ficie terrae 1ª die 1ⁱ mensis alterius anni usque ad penitus arefactam terram 27ª die 2ⁱ mensis, effluxerint dies 56, qui additi 260 efficiunt 316 : ergo pro tempore a dimisso corvo ad exsiccatam superficiem terrae, relinquuntur dies 49 (365 — 316 = 49). Ergo post emissam tertio columbam, quod factum esse videtur 21 (= 7 + 7 + 7) diebus post emissum corvum, exspectavit Noe dies 28 seu quatuor hebdomadas et tum tandem perspexit, superficiem terrae esse exsiccatam.

Notabat *Kn.*, ab Octobri ad Martium esse in Mesopotamia quotannis pluvias; additque *Len.* I. 414 mensem Iulium, quo cacumina montium apparuisse scribuntur, esse tempus anni ibidem aridissimum. Cave tamen ne diluvium inde totum repetas, quod fluvii alveis excesserint : inundatio tanta a solis fluviis proficisci haud potuit, scriptura diserte asserit reclusos praeterea esse fontes abyssi magnae, i. e. oceani. Utique illud anni tempus selegit Deus, quo fluviorum quoque tumescerent aquae.

v. 12 « *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus* ». Non omnes illico interiere, sed tempus concedebatur poenitentiae (*Chrys.*). v. 13 « *In articulo diei illius* » — nimis ad literam *Vulg.* vertit vocem בעצם : sensus est *illo ipso die*, quo sc. v. 11 rupti sunt fontes etc. Tamen animalia (v. 14) non necessario intelligenda sunt ipso illo primo diluvii die, sed potius hebdomada ante (v. 4. 10) ingressa esse; quorum h. l. mentio adiicitur, non quod eodem cum Noe die, sed quod sicut ipse et secundum Dei mandatum ingressa sint — « *ingressus est Noe et Sem et Cham et Iaphet, filii eius, uxor illius et tres uxores filiorum eius cum eis in arcam* »; v. 14 « *ipsi et omne animal* » — intellige feras — « *secundum genus suum, universaque iumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves omnesque volucres* ». Recte vertit *Vulg.* : sc. terminus universalior *volatile* in duas classes secernitur : *aves* עוף, quae vox nonnisi veri nominis aves designat, « et quidquid habet alas » (*Vatabl.*), v. g. insecta. v. 15 « *Ingressae sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitae* ». Rursumque uti v. 9 inculcatur, expressione *bina et bina* enuntiari, non numerum animalium absolutum, sed differentiam sexuum, ad propagationem specierum tam necessariam : v. 16 « *Et quae ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut praeceperat ei Deus; et inclusit eum Dominus deforis* ». *Heb. clausit eum post*, sive ipse manu sua, sive iubens Noe claudere, quod alterum habet narratio cuneiformis. Sane non linivit ostium deforis bitumine (*Sa*). Ostenditur Dei erga Noe benigna providentia.

3. *Diluvii descriptio Gen.* 7,17-8,22.

A. Aquarum incrementum. Gen. 7,17-24.

Sequentis diluvii descriptionis commendat *Del.* simplicitatem, dignitatem, pulchritudinem omnis artificii ignaram. Repetitis iisdem formulis coactisque simile sonantibus verbis (ויגברו וירבו) depingitur mare illud continuum, interminum, immane; dum arcae securitatem exprimunt voces a litera ת longam induta vocalem incipientes : התבה ותרם, ותלך התבה. Exhibentur primum v. 17 aquae succrescentes arcamque elevantes; v. 18 eaedem *vehementer* increscentes et arca super eas quiete delata; v. 19 sqq. aquae praevalentes nimis (מאד מאד) omniaque absorbentes, solo Noe in arca sospite. v. 17 « *Factumque est diluvium quadraginta diebus* » naturalibus (*Sa;* cf. v. 4. 12) « *super terram* »; ergo non est necesse cum *LXX* supplere *et quadraginta noctibus.* « *Et multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra* ». v. 18 « *Vehementer enim inundaverunt et omnia repleverunt in superficie terrae* ». Simplicius *Hebr. : et invaluerunt aquae et multiplicatae sunt vehementer super terram.* « *Porro arca ferebatur super aquas* ». v. 19 « *Et aquae praevaluerunt nimis super terram opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo* », i. e. « altissimi quique montes » (*Cler.*), ex iis utique qui tum Noachidis innotuissent; ne istud quidem affirmatur, exstitisse tum in regione Eden montes quosdam perexcelsos. v. 20 « *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat* ». Non ideo tot cubitis excessit aqua montium cacumina, quo nullus gigas, quantumvis procerus, evaderet (*Bonfr.*) : quippe tam immanes exstitisse gigantes gratuito adstruuntur. At quomodo Noe aquarum altitudinem est mensus? Boliden iactasse, videtur *Iac. Edess.* suggerere : at tota arcae descriptio prodit hominem artis nauticae ideoque etiam bolidis ignarum. Supponit *Del.*, arcam tot animalibus onustam altitudine quindecim cubitorum fuisse aquis immersam atque exinde, quod nullibi haeserit, intulisse Noe aquas vel montium cacumina quindecim cubitis excessisse. At nimis incerta esset illatio haec : qui norat Noe, arcam praecise super altissima cacumina, non vero praeter illa vi aquarum fuisse delatam? Facilior solutio haec erit, ut supponas exstitisse in cacuminibus illis arbores quasdam quindecim fere cubitorum altitudinis; quas cum ipsis montibus submersas cernens Noe recte iudicavit, totidem cubitis aquas montibus esse altiores. v. 21 « *Consumptaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum* », — ultimae duae voces exprimunt *iu-*

menta et *feras* — « *omniumque reptilium, quae reptant super terram. Universi homines* » — quas voces reapse aptius *Vulg.* sequentibus iungit, ubi etiam *LXX* copulam legebant; prioribus iunctae claudicant, neque praefixam habent praepositionem ב, uti alia praecedentis enumerationis membra — v. 22 « *et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra* ». — *Hebr. in arida* (cf. Ex. 14, 21), quo evidentius excluduntur pisces — « *mortua sunt* ». v. 23 « *Et delevit* » Deus « *omnem substantiam, quae erat super terram* » (cf. v. 4), « *ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres coeli, et deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca* ». v. 24 « *Obtinueruntque aquae terram centum quinquaginta diebus* ». Idem verbum quod v. 19 vertebatur *praevaluerunt*. Ceterum cf. quae dicebamus p. 22·sq.

B. Aquarum decrementum. Gen. 8,1-5.

Arg. — Decrementi *causas* indicat v. 1 sq., cohibitas coeli et abyssi aquas et ventum siccantem emissum, imprimis vero Dei miserentis voluntatem. Quibus *effectum* est, ut recedentibus aquis arca subsisteret.

Cap. VIII v. 1 « *Recordatus autem Deus Noe* », non post centum quinquaginta sed post quadraginta primos dies, quibus elapsis reapse 7, 12 pluvia cessavit (*Proc.*), « *cunctorumque animantium et omnium iumentorum, quae erant cum eo in arca* », — *Syr.* addit *volucres*, *LXX* insuper *reptilia* : sed reapse auctor s. potuit aliquando ab enumerandis singulis quibusque temperare — « *adduxit spiritum super terram et imminutae sunt aquae* », v. 2 « *et clausi sunt fontes abyssi et cataractae coeli, et prohibitae sunt pluviae de coelo* ». v. 3 « *Reversaeque sunt aquae de terra euntes et redeuntes* », non « huc illuc fluctuantes » (*Malv.*), nam id etiam ante fecerant neque erat ratio id commemorandi; sed « subinde decrescentes » (*Sa*), persaepe sc. הלך exprimit actionem sequentis verbi fieri pedetentim, continuo. « *Et coeperunt minui post centum quinquaginta dies* ». *Hebr. et minutae sunt*, deprehensae sunt minui, quod observarentur descendere in lateribus arcae, quae fixa iam haerebat. v. 4 « *Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniae* ».

Hebr. Sam. LXX אררט est idem atque *Urarda* seu *Urtu* textuum cuneiformium, quod tempore regum Assyriorum eius gentis et regionis erat nomen, quae montana Ararat vallemque fluminis Araxis obtinebat. Sed nomen non necessario antiquissimis etiam temporibus eodem tractu circumscribebatur, sed latius fortasse patebat. Significat illud secundum etymon *regionem montanam* (*Schrader* K G p. 30). *Targumim* et *Syr.* scri-

bunt קרדו i. e. *Kurdistan*. Consentit *Beros.* : ἐν τοῖς Κορδυαίων ὄρεσι τῆς Ἀρμενίας. Item narratio cuneiformis scribens montem *Nizir* : tractus enim Nizir erat ad orientem fontis fluminis Zab inferioris. In hac sententia facilius, non tamen unice, explicatur 11, 2, homines itinere ab oriente occidentem versus directo descendisse in campum Sennaar. Cf. *Schrader* l. c. 279; *Len.* II. 1. 1 sqq.

Haud mirum est, singulas post diluvium nationes e communi sede profectas traditionem diluvii in novas sedes secum attulisse et altissimo cuiusque regionis monti affixisse : Asiae Minoris populos monti Ararat stricte dicto, Phrygas monti prope Apamcam, Persas monti Elvend prope Ecbatanam, Indos monti Meru alicubi ad septentrionem sito etc. At perperam *I. B. F. Obry* (Du berceau de l'espèce humaine etc., Amiens 1858-1860), *Len.* l. c. aliique inde intulere, arcam substitisse in quodam Tartariae monte. Credendum hac in re potius libro Genesis historico, quam traditionibus et mythis populorum. Et concesso axiomate, populos e primis sedibus migrantes antiquissimas traditiones quibusdam novarum sedium locis attribuisse, migratio traditionis diluvii haud difficilius a montibus Armenis vel Gordiaeis Mediam et Tartariam versus, quam e Tartaria Armeniam versus profecta esse fingitur.

v. 5 « *At vero aquae ibant et decrescebant* », i. e. continuo decrescebant, « *usque ad decimum mensem : decimo enim mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium* ».

C. Volucres emissae. Gen. 8,6-12.

Ary. — Apparuerant utique prope arcam montium cacumina, at limo omnia opplebantur. Noe igitur discere cupidus, an remotiores forte tractus iam essent siccati, dimisit aves. Et corvus quidem, quod non inveniret, ubi requiesceret pes eius, prope arcam perseveravit, manui tamen patriarchae se non commisit ideoque alteri ab eodem experimento adhiberi non potuit. Ter post eum emissa columba : neque tamen, postquam ea non est reversa, Noe inconsulto Deo ausus est arca excedere, sed integris quatuor hebdomadis (p. 267) in ea perstitit, ut ex emissis avibus eius excedendi desiderium, e consequente mora insignem in Deum obedientiam perspicias.

v. 6 « *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcae, quam fecerat, dimisit corvum* »; v. 7 « *qui egrediebatur et non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram* ». Nota, *Hebr. Sam. Chald.* ignorare negationem *non*, lectionem *Vulg.* esse incertam (cf. *Verc.*), item *Syri* (cf. *Field*); tandem quoad *LXX Iosephum*, qui LXX sequitur, negationem non exprimere. Ergo lectio longe probabilior *egrediebatur et revertebatur*, constanter evolabat et revolabat, arcam circumvolitabat. Nota corvi breves esse volatus, columbae multo longiores. Tamen adverte, secundum narrationem cuneiformem cor-

vum *non* rediisse; additur vero ibidem explanatio, ex qua perspicias, quomodo illud *non* in narrationem traditam irrepserit, sc. corvus conspexit cadavera, quae undis ferebantur, in illis consedit iisque pastus est.

v. 8 « *Emisit quoque* », uti v. 10 docemur, elapso septiduo : sed non ideo cum *Budde* p. 272 h. l. emendandus textus — « *columbam post eum* », — ita etiam *LXX* : sed מאתו significat *a se*, estque idem sensus atque v. 10 *ex arca* — « *ut videret, si iam cessassent aquae super faciem terrae* ». « Quaestio est, quomodo columba non invenerit, ubi resideret, si iam, sicut narrationis ordo contexitur, nudata fuerant cacumina montium. Quae videtur quaestio aut per recapitulationem posse dissolvi, ut ea posterius narrata intelligantur, quae prius facta sunt; aut potius quia nondum siccata fuerant » (*Aug.*). Licet cacumina apparuissent, omnia tamen occupata erant limo (*Chrys.*), hinc v. 9 : « *Quae cum non invenisset, ubi requiesceret pes eius* », columba quippe limum abhorret, loca amat sicca, « *reversa est ad eum in arcam; aquae enim erant super universam terram. Extenditque manum et apprehensam intulit in arcam* ». v. 10 « *Exspectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca* ». v. 11 « *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo* » — *Hebr. folium olivae recens.* Cum oliva in Asia quidem anteriore frequens reperiatur, sed non in altissimis montibus, docemur aquas iam sat multum recessisse (*Dillm.*). « *Intellexit ergo Noe, quod cessassent aquae super terram* ». v. 12 « *Exspectavitque nihilominus septem alios dies et emisit columbam, quae non est reversa ultra ad eum* ».

D. Egressus ex arca. Gen. 8,13-22.

v. 13 « *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutae* » — *Hebr. siccatae,* idem verbum atque postea — « *sunt aquae super terram et, aperiens Noe tectum arcae, aspexit viditque, quod exsiccata esset superficies terrae* ». v. 14 « *Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis arefacta est terra* ». Ergo ab initio diluvii usque ad tempus, quo apparuerant cacumina montium, effluxerant dies 220; ab hoc tempore usque ad illud, quo exsiccata est superficies terrae, dies 88; hinc ad penitus arefactam terram dies 56; quibus efficitur summa dierum 364.

v. 15 « *Locutus est autem Deus ad Noe dicens* » : v. 16 « *Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum* ». Cf., quae diximus ad 6, 18 : notat *Ephr.*, h. l. mutato ordine recen-

seri Noe et uxorem, filios et uxores propter tribuendam illico v. 17 foecunditatis benedictionem. Audacius tamen aliqui ex diverso alibi ordine conclusere, in arca neque hominibus neque animalibus licuisse rei venereae indulgere : nihil de hac re revelatum habemus. v. 17 *Et (Sam. LXX Syr.)* « *cuncta animantia, quae sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus, quae reptant super terram, educ tecum; et ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam* ». v. 18 « *Egressus est ergo Noe et filii eius, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo* »; v. 19 « *sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quae reptant super terram, secundum genus suum egressa sunt de arca* ».

v. 20 « *Aedificavit autem Noe altare Domino* » : prima haec altaris in s. scriptura mentio, licet Abel et Cain etiam super altaria obtulisse censendi sint. Monet *Dillm.*, ex narratoris mente ipso Noe aevo cultum divinum iam exstitisse legitime institutum, habentem altaria et mundorum immundorumque discrimina. « *Et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare* ». v. 21 « *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis* » — expressio frequens in Lev. et Num., quaeque sane eundem sensum habet atque altera expressio 4, 4 « respexit Dominus etc. » — « *et ait* » *Dominus in corde suo :* — haec verba habent reliqui textus : sane non in solo corde suo locutus est haec Deus, sed mentis decretum revelavit — « *Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* », qua sc. vitae aetate homo evadit suarum actionum plene compos. « Significatur, hominem propter naturalem pronitatem ad peccandum dignum esse quodammodo miseratione nec semper, quantum supplicii meretur, tanto esse in hac vita plectendum » (*Per.*). « *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci* ». v. 22 « *Cunctis diebus terrae* », i. e. quamdiu terra in eo, qui nunc est, ordine perseverabit (cf. 3, 14), « *sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent* », — non *diu noctuque* (*LXX!*). Cf. Act. 14, 15 sq. Non idem apud antiquos populos temporum anni numerus : Hebraei solam aestatem et hiemem videntur distinxisse. Confuderat utique diluvium frigoris et aestus, aestatis et hiemis tempora, forte etiam noctem et diem, atro videlicet coelo diem obscurante fulguribusque noctem illustrantibus; nulla fuerat sementis et messis. Haec sententia confirmat id, quod supra de diluvio integrum annum durante edocebamur : sola fluminum annua inundatio non ita anni tempora permiscuisset.

4. *Acta post diluvium Gen.* 9.

Arg. — Tria adnectuntur, quorum duo ad historiam diluvii intimius pertinent, tertium historiam Noe complet : v. 1-7 divina benedictio cum lege de cibis et homicidio Noe tradita, v. 8-17 foedus cum eodem initum, v. 18-29 benedictio Sem et Japhet cum Chanaani maledictione.

A. Benedictio Noe data. Gen. 9,1-7.

« In exordio mundi homini recens creato tria Deus bona, eaque magna et praeclara impertivit : primum foecunditatem naturae ad celerem ac multiplicem humani generis propagationem, cum benedicens illi dixit : « Crescite et multiplicamini » ; alterum excellentiam principatus et imperii in animalia : « Dominamini », inquit, « piscibus maris etc. » ; tertium copiam cibi ad tuendam sustentandamque vitam : « Ecce dedi vobis omnem herbam etc. ». Eadem haec tria bona et beneficia, mundo per diluvium purificato ac renovato, Deus etiam renovare voluit » (*Per.*).

Cap. IX v. 1 « *Benedixitque Deus Noe et filiis eius et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini et replete terram* ». Eadem, quae 8,17 compendio describebatur, benedictio iam fusius refertur additis, quae tum Deus sanxerat, legibus ac foedere. v. 2 « *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae et super omnes volucres coeli, cum universis quae moventur super terram; omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt* ». Expressio *terror vester etc.* idem edicit, atque 1,28 *dominamini* (*Chrys.*, *Calm.*), unde perperam *LXX* v. 1 supplevere et *dominamini eius*. Neque ex nostro textu inferre licet, animalia post diluvium magis hominem esse verita, quam ante : nihil enim de ejusmodi mutatione post diluvium facta compertum habemus. Putat *Kn.*, *iumenta* h. l. ideo non recenseri, quod minus reliquis animalibus hominis terrore teneantur : at eadem etiam 1,28 ignorantur, quem locum noster textus omnino respicit. Praeterea eae animalium enumerationes quandoque non sunt completae : ita 1,26 omittuntur *ferae*.

In extrema versus parte differebant lectiones. *Vulg. Syr.* pro ultimo ובכל videntur legisse וכל et ita utique, quod scribitur de *piscibus*, sequentibus iungi oportebat. *LXX* pro בכל cum aliquibus codicibus hebr. videntur legisse ובכל, et tum utique fas est illa duo ובכל interpretari synonyma praecedentis ועל כל et, post quatuor membrorum enumerationem, concludere sententia a prioribus independenti : *manui vestrae tradita sunt*, sc. quaecunque modo enumerabantur. Sed melius cum *Masor. Sam. Chald.* vertes : *Et terror vester ac tremor sit super cunctas feras terrae et super omnes volucres coeli : cum universis, quae moventur super terram, et cum omnibus piscibus maris sub manibus vestris traditae sunt.*

v. 3 « *Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum* ». Non loquitur h. l., uti 1,30, etiam de animalium cibo, sed de hominum tantum. Cf., quae diximus ad. 7,2. Uti ex v. 5 non sequitur homicidium ante diluvium fuisse licitum, ita ex v. 3 non sequitur ante diluvium homines fuisse esu carnium interdictos. Potuit haec de esu carnium sententia h. l. scribi ideo, non quod post diluvium esus carnium fuerit primum concessus, sed quo daretur occasio recensendae legis de sanguine non comedendo nunc primum ferendae. « *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia* », cf. 1,29, sed non necessario prima nunc vice. v. 4 « *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis* ». Prohibetur esus sanguinis vel intra ipsum animal latentis vel extrinsecus effusi (*Per.*). Rationem exceptionis assignat *Chrys.* (cf. Lev. 17, 11), quod sanguis Deo in sacrificiis offerendus reservaretur, sola carne homini concessa. Afferri praeterea potest eadem huius, quae etiam sequentis legis, ratio : sc. Deus esum carnis permittens simul praecavet, ne homo rudis et crudelis fiat : « ne, dum esu et voracitate imitemur bestias, tandem in caedes mutuas ut ferae ruamus » (*Proc.*). Hinc primum carnem, quo fere ritu a feris devoratur, comedi vetat, inde humanum effundi sanguinem. v. 5 « *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis, de manu viri et fratris eius requiram animam hominis* ». Perperam *Vulg.* vertit *enim*, cum habeatur eadem vox, quae initio v. 4, ergo *excepto, quod.* « Non redditur ratio prioris dicti, sed priori moderamini adiungitur alterum moderamen similiter per modum exceptionis » (*Cai.*). Ceterum vocem penitus ignorat *Sam.*

v. 4 בשר בנפשו דמו, ubi extremam vocem appositionem iam interpretabatur *Chald.* (cf. *Cai.*) : carnem cum anima sua, i. e. cum sanguine suo. Itemque v. 5 sanguis et anima pro synonymis adhibentur : *sanguinem requiram... requiram animam.* Illa utique appositio asyndetice adiicitur, et etiam v. 5 duae saltem habentur constructiones duriores : sc. hae leges v. 4-5 ipso stilo antiquissimae esse deprehenduntur. — v. 5 את דמכם לנפשתכם dativum commodi interpretabatur *Cai.* : « sanguinem vestrum, qui est ad vitas vestras servandas ». Similiter *Kn.* : « ad vitas vestras in tuto ponendas requiram sanguinem etc. ». Quae sunt coacta et languida. *Del.* vocem intelligit distributive : « sanguis vester, ad cuiuscunque tandem animam pertineat ». Melius *Vulg. LXX Syr.* appositive et emphatice : « sanguinem vestrum, sanguinem, inquam, animarum vestrarum ». Ubi cf. *Budde* p. 282 sq. Locutus fuerat auctor v. 4 de sanguine animalium : aequum erat, ut de sanguine humano dicturus clare, qua de re loqueretur, definiret; quod non praestitisset solo adscripto suffixo priore כם, quod aut subiective aut obiective poterat intelligi. — Textum mancum in sequentibus videntur legisse *LXX*, sc. ומיד איש את דמיד pro ומיד האדם מיד איש אחיו : corruptio facile explicatur, cum inde quod a priore מיד scriba transilivit ad alterum, tum inde quod altera vocis האדם pars easdem, uti מיד, consonantes מ et ד habeat. Quid vero איש אחיו? *Vir fratris eius* non habet sensum. *Ew., Del., Dillm.* : « de manu

fratris *cuiusque* (hominis) », ergo איש אחיו = אחי איש; contra quam expositionem longius certe petitam cf. *Budde* p. 283 sqq. Verte appositionem : *vir frater eius*, ἀνθρώπου ἀδελφοῦ (*LXX*) et, cum 13, 8 אנשים אחים significet viros fratres, fratrum filios, cognatos, verte etiam h. l. *et de manu cognati eius* (*Kn.*). Sed supersunt recensendae variantes lectiones. Igitur *Targ.* videntur legisse מיד איש אשד דם אחיו : quae in hac lectione abundant, omnia ortum duxere ex repetitis, quibus textus genuinus constabat, literis א, ש, ד, ם. *Vulg. Sam. Syr.* legebant copulam ante אחיו : quae profecto copula suam habet auctoritatem criticam; sed crediderim eandem inserendam non ante אחיו, sed ante ultimum מיד, cum *LXX*, *Arab.* et uno codice hebraeo. Cumque tandem pro חיה *Sam.* legat חי, placet vertere : *de manu cuiusvis viventis, tam de manu viri* (cuiuslibet), *quam de manu cognati*. Si *vir* quidam non eiusdem cognationis hominem occiderit, requiret Deus interempti sanguinem de manu eius viri, utique ope cognatorum interempti, quorum est eius necem ulcisci; neque si occisor ipse sit occisi *cognatus*, ideo iustam effugiet vindictam, sed per reliquos cognatos ab hoc cognato Deus sanguinem interfecti requiret. Nota Deum, qui Caini fratricidae vitam vindictae cognatorum subtraxerat, iam fratricidis quoque extremum supplicium indicere. Lectione *Sam.* expeditur, quam veteres discutiebant, quaestio, quomodo de manu *bestiae* requirat Deus sanguinem : sc. a nomine *viventis* חי bestiae h. l. ipso contextu excluduntur; agitur de iis viventibus, qui ob caedem humanam in ius vocari queant. Si retineas lectionem חיה, oportebit cum *Proc.* dicere ferri h. l. eandem legem, quam postmodum Deus Iudaeis praescripserit, ut sc. bestia, quae hominem interemisset, conficiatur. Cf. Ex. 21, 28 sq.

Ex his de sanguine dictis intelligas, quomodo pericope 9, 1-7 respiciat non solum Gen. 1,28-30 sed etiam, imo magis, posteriores quosdam eventus : Caini fratricidium et Cainitarum truculentiam (4,23 sq.), quam sane gigantes imitati fuerant. Erat igitur lex de sanguine eo tempore et maxime opportuna et maxime necessaria.

v. 6 « *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* ». His stabilit Deus legem talionis; quae lege mosaica accuratius etiam definita est. *Vulg.* non reddit באדם, quod erit vertendum (cf. *Chald.*) : *per homines fundetur sanguis illius*. Ita Deus ulciscendi sanguinis potestatem hominibus confert, nondum tamen particularia determinat. *LXX* ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, uti videtur בדמו corruptum ex בדם דמו : ergo *pro sanguine sanguis eius effundetur*. « *Ad imaginem quippe Dei factus est homo* ». *Hebr.* : *fecit hominem*, tertia persona loquitur, veluti citans 1,27; 5,1. Repetuntur pro clausula verba 8,17, quae eadem sunt atque 9,1 : v. 7 « *Vos autem crescite et multiplicamini et ingredimini super terram et implete eam* ».

B. Pactum Dei cum Noe. Gen. 9,8-17.

Hoc pactum (cf. ad 6,18) potissimum est de semine stirpi electae promisso; quod diluvio vix non fuerat exstinctum. Unde in pacto maxime iam effertur promissio, non totam iterum stirpem electam destructum

iri diluvio aliquo. Non solum non excluduntur minores inundationes, sed neque maiores, uti Pentapoleos ruina, Atlantidis (si ea vere locum habuit) submersio et magnae illae commotiones et inundationes, quales in extremis ad orientem Asiae partibus et alibi evenisse compertum habemus.

v. 8 « *Haec quoque dixit Deus ad Noe et ad filios eius cum eo* ». Vocem *quoque* adiecit *Vulg.* significans, aliquid cum prioribus non ita arcte connexum narrari. Concordant *Masor.*, ante v. 8 signantes parascham minorem. Alii intimiorem contextum sibi visi sunt deprehendere. « Dixerat : Vos fructificate et multiplicate. Obviat modo tacitae quaestioni : Quid si tu, Deus, iterum deleas nos aquis diluvii? » (*Cai.*). *Del.* putat ואני v. 9 opponi voci v. 7 ואתם. *Dillm.* censet, nonnisi postquam homo mandata v. 3-6 acceptaverit, Deum cum illo inire foedus iam 6,18 promissum. Sed haec non ita sunt certa. v. 9 « *Ecce ego* » — ואני הנני etiam 6,17 — « *statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos* », v. 10 « *et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum, tam in volucribus quam in iumentis et pecudibus* » — *Hebr. feris* — « *terrae, cunctis quae egressa sunt de arca, et universis bestiis terrae* ». Sicut foedus statuitur non cum solis hominibus arca egressis, sed cum semine eorum post eos, ita pariter cum animalibus, sc. *a cunctis, quae egressa sunt de arca, et usque ad universas bestias terrae* (*Hebr.*) ex illis progignendas. Pactum describitur Deus inire etiam cum bestiis, non quod auctor id scribens se accommodet praeiudiciis popularibus (*Calm.*); sed hoc pactum initur « cum bestiis, interposito homine bestiarum domino, praesertim in lucrum et bonum bestiarum » (*Gord.*).

v. 11 « *Statuam pactum meum vobiscum* » — Is. 54,9 « iuravi » — « *et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram* ». Alias etiam pacta Deus addito signo confirmat, uti pactum cum Abraham initum addito signo circumcisionis. Hinc v. 12 « *Dixitque Deus : Hoc signum foederis, quod do inter me et vos et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum, in generationes sempiternas* » : v. 13 « *arcum meum ponam in nubibus et erit signum foederis inter me et inter terram* ». Iris iam ante diluvium fuerat, sed elevatur in signum et memoriale (*Iac. Edess.*); durante diluvio nulla fuerat iris ob aeris opacitatem (*Proc.*). Cum alterum v. 14 verbum praefixam copulam habeat, eam *Del.* aliique exprimunt, et apodosin nonnisi a v. 15 incipiunt : reapse non est ratio cur a *Vulg. LXX Syr.* recedamus, apodosin altera v. 14 partes incipientibus. v. 14 « *Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus* ». *Hebr. : Quando obnubilabo nubibus terram :* de terrae periculo profecto agi-

tur, non coeli. v. 15 « *Et recordabor foederis mei vobiscum et cum omni anima vivente, quae carnem vegetat* » — בכל בשר, idem quod v. 16 vertitur « universae carnis » — « *et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem* ». *Hebr.: non erunt ultra aquae in diluvium* eiusmodi, *quo deleatur universa caro*. « More nostro loquitur Deus » (*Iac. Edess.*) : non ipse visa iride recordatur, sed nos eam conspicientes recordemur oportet divinae promissionis eidemque fidem habeamus (*Chrys.*). v. 16 « *Eritque arcus in nubibus et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universae carnis, quae est super terram* ». v. 17 « *Dixitque Deus ad Noe : Hoc erit signum foederis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram* ».

C. Noe in filios maledictio et benedictio. Gen. 9,18-29.

Arg. — De filiis dicturus repetit auctor (cf. 5,31; 6,10) filiorum nomina et, cum maledictio et benedictiones mox pronuntiandae eorum etiam posteritatem attingant, huius quoque v. 19 meminit. Dein maledictio in Chanaan pronuntiatur, reliquis Chamitis silentio praeteritis; benedictio princeps Semo confertur, cuius aliqua etiam societas simul cum florentibus rebus Iapheto promittitur.

v. 18 « *Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Iaphet; porro Cham ipse est pater Chanaan* ». Quae verba adscribuntur, quo facilius intelligatur v. 25 insertum nomen Chanaan. v. 19 « *Tres isti filii sunt Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram* ». *Hebr.* brevius : *et ab his disseminata est universa terra*. Idem dicitur, quod 10,32. Perperam hinc infert *Bonfr.*, nullos post diluvium filios generasse Noe. Melius *Cai.* alios filios ait sub nominibus istorum trium reputari; et recentiores declarant, cap. 10 et consequenter etiam hunc versum non omnes mundi gentes, sed eas tantum, quae proxime circa Hebraeos incolebant, respicere. v. 20 « *Coepitque Noe vir agricola* (*exercere terram*) *et plantavit vineam* ». Textus seorsim spectatus non edicit Noe culturam vini primum tum excogitasse, uti neque agrorum colendorum inventor exstitit. Cum tamen sequentis narrationis sensus utique is sit, fuisse Noe virtutis vini oppido ignarum, recte asseritur vinum primus invenisse. Vitis primitus in tractibus Ponti orientalis et Armeniae reperiebatur atque inde ad alias gentes propagata est (*Ritter :* Erdkunde X. 554. 319. 434. 485. 520). Vini nomen nationes Europaeae a Phoenicibus accepere; dubitatur, profectumne sit illud primitus a Semitis an ab Armenis (*Len.* II. 1. 249 sqq.). Cf. *F. Vigouroux :* Manuel I. 475 sqq.

Hebr. Sam. איש האדמה cum articulo, unde vertunt *Budde* p. 312 et *Dillm.* : Coepitque Noe, agricola ille, plantare vineam. Hinc inferunt, praeter traditiones de Noe ut diluvii patriarcha exstitisse alias alterius auctoris, quibus idem ut agri cultor vinique inventor celebraretur; putatque Budde, ob inventum vinum Noe inditum fuisse nomen « requies » 5, 29. At *Vulg. Chald. Syr.* utique censebant textum verti posse : coepit Noe esse vir agricola et etc. *LXX* fortasse non legebant illud ה, secus expressissent. Eiusmodi ה alias sat facile in s. textum irrepsisse deprehenditur.

v. 21 « *Bibensque vinum inebriatus est et nudatus in tabernaculo suo* ». v. 22 « *Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda sc. patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras* ». Recte haec acta esse aliquamdiu post diluvium, infert *Cai.*, quod Cham iam nactus fuerit Chanaan filium. Audacius indidem infert *Chrys.*, in ipsa arca operam dedisse rei venereae, et *Talmud* (Sanh. fol. 108 b) fabulatur, tres in arca idipsum praestitisse, canem, corvum et Chamum. Absurde omnino *Budde* p. 310 censet, fuisse tres filios Noe, quo tempore narrata acciderint, pueros extra tabernaculum parentis ludentes : quod vir adultus non rideat alterius viri nuditatem, bene vero puer lascivus. Mitto, de *risu* nihil esse in textu. Verum adverte, non lasciviae argui in textu Chamum, sed animi in parentem irreverentis, quod ebrietatis effectus in patre riserit, quorum unus erat nudatio. Cuiusmodi res etiam adultis male moratis risum movere consuevit. v. 23 « *At vero Sem et Iaphet pallium imposuerunt humeris suis et incedentes retrorsum* », ita ut tota pallii latitudine invicem separarentur neque in recumbentis parentis crura impingerent (*Budde* p. 299), « *operuerunt verenda patris sui* », demisso in pedes primum pallio, deinde in crura reliquumque corpus, « *faciesque eorum aversae erant et patris virilia non viderunt.*

ויקח שם, verbo singulari : unde coniicit *Del.*, consilii auctorem fuisse Sem, adiutorem Iaphet. — *Pallium* articulum habet. Putat *Del.*, intelligi patris pallium, quod ille ebrius excusserat; at num hoc reperire poterant, quin simul in iacentem patrem oculos coniicerent? Intellige τὸ ἱμάτιον, i. e. illud pallium, cuiuscunque demum fuerit, quod hoc ipso eventu iam omnibus innotuit. Saepe ita loquuntur Hebraei. Miror equidem, Budde aliosve ex hoc praefixo articulo non sumpsisse occasionem totam aliquam de hoc pallio effingendi traditionum seriem.

v. 24 « *Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset* » — non per somnium (*Targ.*) aut revelationem (*Glossa* ap. Per.), sed naturali quodam modo — « *quae fecerat ei filius suus minor* », v. 25 « *ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis* ». Chamum volunt esse minorem solo Sem *Theodoret.*, *Proc.*, ita ut natu minimus fuerit Iaphet. Sed merito *Cai.* advertit, Chamum dici minorem « comparative ad fratres duos ». « Locutio בנו הקטן ubi de duobus

minorem, ubi vero de pluribus *minimum* in scriptura constanter significat : Gen. 27,15; 29,18; 42,13. 32; 44,2; 1 Reg. 16,11; 17,12-14 » (*Lamy*). *Rabbini* quidam hunc filium minorem intellexere Chanaan, quod etiam nepotes filiorum nomine veniant : verum id est omnino praeter contextum. Aiunt iidem, Chanaanum primum conspexisse avum nudum idque retulisse patri Cham : non ea ratio pronuntiatae in illum maledictionis, sed Cham filius in patrem irreverens in filio punitur. Cur non in filiis omnibus? divinae id est misericordiae. Porro uti h. l. Cham dicitur fratrum minimus, ita 10,21 Sem dicitur natu maximus, nam illud אחי יפת הגדול omnino cum *Vulg. Symm.* vertendum est « fratre Iaphet maiore », non vero cum *LXX* (cf. *Masor. Chald. Syr. Symm.*) ἀδελφῷ Ἰαφεθ τοῦ μείζονος : describendus quippe est non Iaphet sed Sem, et cf. Gen. 27,1. 15. 42; 3 Reg. 2,22.

Ex dictis patet, consuetam enumerationem *Sem, Cham et Iaphet* non peti ex ordine aetatis, aetate quippe Cham non medium sed extremum locum obtinet. Petita videtur ex Cap. 10, ubi posteritas *Iaphet, Cham et Sem* recensetur, ordine non aetatis sed geographico : recensentur sc. primum Iaphetidae circulo veluti exteriore, inde Chamitae circulo interiore Semitas, qui potissimi omnium sunt, sedibus circumplexi. Semitarum vero, qui potiores Hebraeorumque maiores sunt, generationes post Iaphetidarum et Chamitarum generationes recensentur, uti Cap. 4 et 5 Sethitarum post Cainitas, 25,12. 19 Isaac post Ismael, Cap. 36 et 37 Iacob post Esau generationes describuntur. Ergo ob dictam rationem Cap. 10 Sem *ultimum* dignitatis locum habet, cuius unice generationes 11, 10 sqq. producuntur, Chamitis et Iaphetidis neglectis. Ubi vero non generationes quidem traduntur, sed tres fratres filii Noe recensentur, Sem *primum* dignitatis locum obtinet, sequente Cham agmenque claudente Iapheto.

Porro *servus servorum* praenuntiatur Chanaan futurus, non quasi non fratribus solum, sed vel eorum servis sit famulaturus (*Cai.*) : quin potius locutio est hebraismus (*Calm.*) idemque sonat, atque « omnino servus » (*Sa*). *Fratrum* nomine certe non veniunt soli Chamitae, cum expressio v. 26 sq. « sit Chanaan servus eius » utique explicet praecedentem v. 25 maledictionem (*Budde* p. 298), ideoque Sem et Iaphet illis fratribus accenseantur. At reliquorum Chamitarum excludendorum nulla est ratio. Dices : v. 25 explicatur sequentibus versibus, at ibi sola Sem et Iaphet habetur mentio. Sed non convincit ratio : v. 26 sq. utique sensum v. 25 explicant, sed non necessario exhauriunt; decreverat Deus Chamo neque benedictionem conferre, neque nominatim eidem maledicere; ergo eius v. 26 sq. nulla poterat haberi mentio, exinde vero, quod mentio desideretur, inferre nefas est Chamum, i. e. reliquam eius praeter Chanaan posteritatem, ab expressione *fratribus suis* eximi. Isti Chamitae vere erant fratres Chanaan, ergo fratrum nomine sunt intelligendi etiam ipsi. Impletum

hoc de Chanaan vaticinium non satis demonstrabis appellatis terrae sanctae Chananaeis, qui a Josue maximam partem exstirpati fuere, paucis solum in servitutem redactis. Praeter quos plurimi alii Chanaano erant oriundi, Phoenices sc. universi : quomodo hi servi facti sunt Semo, imo Iapheto? Adverte Phoenices totos deditos fuisse mercaturae; non regna fundarunt, sed ex aliorum regnis et finibus merces in suos comportabant portus, oblatis etiam donis solutisque tributis, quo mercaturam exercere permitterentur, atque ita non imperabant sed serviebant. Dices, leve hoc et honestum fuisse servitii genus : at textus vile servitium non exprimit et maledictio in Chanaan lata, uti aliae similes, aliquid etiam ipsa habet divinae miserationis. Cf. quae diximus ad 2 Reg. 1,27 de suavitate a Deo in Saulem reprobum ostensa. — Perperam *Chrys.* coniicit h. l. describi « servitutis originem », qua homines postmodum libertate privati aliis hominibus mancipabantur : ne Chananaei quidem terram s. incolentes veri nominis mancipia exstitere.

v. 26 « *Dixitque* » : — haec vox, cum in omnibus legatur textibus, genuina censenda est contra *Budde* p. 292. Ea non repetitur initio v. 27; habemus ergo duo distincta Noe effata, unum maledictionis v. 25, alterum benedictionis v. 26 sq.; neque obest benedictionibus pro clausula affigi repetitam maledictionem. « *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus eius* », seu potius *eorum* (*Hebr. Sam. Chald. Syr.*), sc. Sem et natorum, idemque iidem legunt v. 27. Censet *Budde* l. c., uti v. 25 maledictionem indicet ipsi Chanaan, v. 27 benedictionem ipsi Iaphet, ita oportere, ut v. 26 benedictionem habeat ipsius Sem, non Dei Sem tantum; quare expuncto אלהי vertit « benedic, Domine, Sem ». At versionibus universis in eundem textum conspirantibus, tantam mutationem adhibere non licet, sed ad summum leviorem אלהי in אהלי (cf. v. 27) : « Benedic, Domine, tentoria Sem ». At neque hac opus est explicandusque textus, uti iacet. Profecto, cum Noe puniturus Cham maledictionem dirigat in filium Chanaan, mirandum haud est eundem benedicturum Sem benedictionem dirigere in Deum Sem. Id, quod in textu exponendo primum omnium perpendere oportet, sunt allusiones ad radices nominum propriorum. Chanaan accipit maledictionem, quae optime aptetur radici כנע; benedictio Japhet petitur a radice יפת; vel a priori igitur licebit inferre Semi benedictionem ludere in nomine שם. Quae vox *nomen, gloriam* significat. Iam recole, quantae in scriptura sint laudes *nominis* et *gloriae* Dei; adverte, ut *homines inclyti* dicantur 6,4; Num. 16,2; 1 Par. 5,24 אנשי שם, ita aptissime Deum dici אלהי שם, *Deum nominis* seu *Deum gloriae;* protinusque perspicies elegantem paronomasiam,

qua benedictio Sem enuntiatur hac formula : *Benedictus Iahve, Deus schem.* Deus igitur speciali titulo affirmatur esse Deus Sem, prae Cham et Iaphet; ipse intimius pertinet ad Sem, et Sem speciali vinculo Deo copulatur. Ita quippe h. l. Deus dicitur Deus Sem, uti postmodum dicetur Deus Abraham, Isaac et Jacob, ideo praeprimis quia ex ipso Semo nascetur Deus servator in paradiso promissus, et hinc quia eius posteri prae gentibus reliquis erunt Deo consecrati, Dei familiares, Dei cultores, Dei sacrosanctum *nomen* ipsis credetur; Dei *gloria* in ipsis excellenti modo manifestabitur variis portentis inter ipsos effectis et imprimis messiae adventu. Cf. Canticum Benedictus, quod sensus brevi formula h. l. indicatos, uberius evolvit.

v. 27 « *Dilatet Deus Iaphet et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus eius* ». « Explicatur dilatatio tanta », inquit *Cai.*, « ut habitent filii Iaphet in tentoriis Sem, ut non sufficiant eis loca propria, sed etiam habitent in locis Sem ». Quae interpretatio, quatenus adstruit, propter solum numerorum excessum aut certe propter illum maxime Iaphet invasurum esse Semi tabernacula, repudianda est coinciditque fere cum altera, habitaturum praedici Iaphetum in tabernaculis Sem, ipsis inde Semitis exclusis (*Hier.*) : verum id non habet textus. שכן pacificam exprimit habitationem, qualem decebat fratribus apprecari, qui modo unanimiter in patrem pietatem observassent. Isque sensus eo magis est retinendus, ubi de tabernaculis agitur, quae aeque ad Deum et ad Sem pertineant, in quibus Deus *habitet*, uti postmodum habitaturus est in tabernaculo Israel. Quare satis apte *Chald.* cum verbo שכן h. l. comparavit gloriosam Dei in tabernaculo praesentiam שכינה dictam. Ergo textus intelligatur oportet de amico fratrum commercio. At qui poterit Iaphet habitare in tabernaculis Sem, quin participet cultui et benedictionibus Dei? Quare non inepte *Ps. Ion.* : « condecorabit Dominus », inquit, « terminum Iaphet et proselyti fient filii eius et habitabunt in schola Sem ».

Igitur quod vaticinii impletionem attinet, nihil officit, et brevi post diluvium Nemrod Cuschitam imperavisse et Aegyptiorum item Chamitarum longo tempore floruisse res, cum non Cham sed Chanaan praedicatur fratrum servus esse futurus. Apud Semitas primum omnes, dein Hebraeos solum perseveravit veri Dei cultus. Iaphetidarum teste Cap. 10 numerosissimae exstiterunt gentes neque, Chamitis atque Semitis constanter inter se dimicantibus, videntur illae per plura saecula gravius ullum contra Semitas movisse bellum. Postmodum reges Medi et Persae Iaphetidae benigniores se Iudaeis Semitis exhibuere, quam antecessores reges Aegyptii, Assyrii, Babylonii. Graecorum regna inter Semitas floruere graecisque moribus Semitae studebant, donec Romanus orbis gentes istas omnes absorbuit. Tan-

dem Iaphet cum gentibus omnibus, etiam Semitis et Chamitis, suo imperio subiectis concessit in tabernacula Sem christianis sacris susceptis. Quo tempore Chananaei, Carthagine diruta Phoenicibusque misere prostratis, vix non e populorum numero evanuerant.

Verbi formam יפת *Vulg. LXX Chald.* a פתה *dilatatus est* repetunt, qua quidem significatione radix apud Hebraeos usuvenit nusquam, bene vero in linguis chaldaica et syriaca; *Targumim* et *Vers. Sam.* a יפה *pulchrum esse*, unde commode derivari nomen יפת *pulchritudo* demonstrat *Budde* p. 358 sqq. Utramvis praetuleris derivationem, sensus idem perseverat, cum posteritatis pulchritudo eius tandem numerositate, dilatatione praeprimis constet. Porro, quod scriptura paronomasia utatur a radice פתה vel יפה petita, non sequitur nomen reapse ex eadem primitus radice aut omnino e sermone semitico fluxisse : derivatio nominis accommodatur benedictioni impertiendae, nomen cum benedictione potuit ex alia lingua liberius in hebraeam transferri. Quare neque illud repugnat (*Len.* II. 1. 190 sqq.), nomen Iaphet fluxisse ex idiomate indogermanico. Illud unum adverte, si nomina Sem et Cham a lingua derives semitica, vix licitum tibi fore nomen Iaphet ex indogermanica derivare, cum adstrui haud queat Noe filiorum nomina e linguis omnino disparatis esse mutuatus. — *Chald.* subiectum verbi *habitet* facit Deum, indignum, quod crediderim, ratus quemquam non Hebraeum admitti in tabernacula gentis electae. Contextus eam prohibet constructionem, maxime vero quod sequitur (*Cai.*) *: sitque Chanaan servus eius.* Neque cum *Ges.* vertere licet « in tentoriis gloriosis », vox שם bis in eodem contextu exsistens utrobique eodem sensu accipienda est. Cum his « tabernaculis Sem » cf. Zach. 12, 7 « tabernacula Iuda », Mal. 2, 12 « tabernacula Jacob ». — Ingeniosam, licet remotiorem prophetiae interpretationem adscribit *Rup.* demonstrans s. scripturas V. T., quae lingua hebr. primum exaratae atque ita tabernaculis Sem reservatae, postea per translationem maxime graecam et latinam communis iuris factae sint.

Sequentes versus supplent, quae in genealogia cap. 5 de Noe desiderabantur, atque ita et hanc et Generationes Noe apte concludunt. v. 28 « *Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis* », v. 29 « *et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est* ». Haec est veluti continuatio 5,36 et conclusio genealogiae ibidem traditae.

GENERATIONES FILIORUM NOE

GEN. 10,1-11,9

CAPUT I.

SCIENTIARUM DE GENTIUM AFFINITATIBUS PLACITA.

Antequam textui exponendo manum admoveamus, placet, quae de gentium affinitatibus scientiae profanae affirmant, brevi subiicere conspectu. Quarum scientiarum placita memineris haudquaquam esse absoluta, imo perquam incompleta, multisque in dies partibus augeri et corrigi. Porro duo illa, quae s. nos textus potissimum docet, gentium sc. orbis antiqui in tres magnas familias divisarum nativam unitatem, confirmant praeprimis ex antiquis monumentis penitius nobis perspectae populorum *formae, linguae, artes.*

Habes in Aegyptiorum monumentis varias nationes coloribus accurate depictas. Aegyptii sc. gentium sibi notarum quatuor distinguere consueverant *familias* (*gall.* races), et quidem secundum *colorem cutis:* 1) familiam fuscam seu badiam, *Rutu* vel *Lutu* (לודים?); 2) familiam fulvam seu flavam, *Amu;* 3) familiam nigram, *Nahasi;* 4) familiam albam, *Tehennu.* Cf. *H. Brugsch:* Geogr. Inschriften altägyptischer Denkmäler, II. 89 sqq., Leipzig 1858.

De *Nahasi* non est cur plura dicamus. Ii e picturis indubie agnoscuntur iidem esse atque *Nigritae* (*gall.* la race nègre). Temporibus antiquissimis soli ad meridiem Aegypti incolebant; primus Usertesen I dynastiae 12ae ibidem adversarios offendit Cuschitas, qui mox earum regionum primatum obtinuere.

Ad *familiam fuscam* primum ipsi pertinent Aegyptii, dein Cuschitae, item incolae regionis Punt, quos probabilius eosdem esse ostendemus atque Phuth Gen. 10, 6. Cf. *Hommel* p. 137 sqq. 142. Imo etiam Kefa seu Phoenices fusci sunt. Et quidem in picturis sepulcri viri Rechmara (ib. p. 141. 146), temporis Thutmes III, Kefa sunt ad instar Aegyptiorum fusci, imberbes et Puntorum habitum imitantur. Sed longe aliter res habent ultimis eiusdem 18ae dynastiae temporibus, sub Pharaone Tutanchamon, cf. *R. Lepsius:* Denkmäler III. fol. 115-116. Ibi duplicis generis homines conspiciuntur, Phoenices fusci et alii Syriae incolae fulvi, ita tamen ut,

praeter cutis colorem, differentia sit nulla : Phoenices barba, vestitu, imo oris conformatione Semitas omnino imitantur. Hinc discas Phoenices (itemque reliquos Chananaeos) origine utique fuisse Chamitas, sed Semitis ubique permixtos mox eorum mores et sine dubio etiam linguam esse imitatos. Atque hinc solvitur, quae gravis pluribus visa est difficultas, posteros Chanaan Chamitas usos esse linguis semiticis. Cf. *Hommel* p. 161 sq. — Iam ab his gentibus, quas indubie depictas in monumentis Aegyptiis habemus, ad alias item Chamitas progredimur, quae aut nullatenus aut non coloribus exprimuntur. Qui prius Philisthaei reputabantur *Pelasta* albi, ii ob omnimodam oris et habitus similitudinem cum Teucris, Siculis, Sardis et Tyrrhenis verius Pelasgi fuisse affirmantur : cf. *F. Chabas*, Antiquité p. 284 sqq., Paris 1873. *M. Mueller* (Asien u. Europe nach altaegyptischen Denkmälern, Leipzig 1893, p. 360 sqq.) Pelastas illos neque Philisthaeis neque Pelasgis accenset, Tyrrhenorum tamen affines pronuntiat atque ex Asia Minore derivat. In Palaestinam certe usque fere ad exodum Hebraeorum Philisthaei nondum penetraverant : incolae Ascalonis tempore Ramsis II oris conformatione omnino Semitae fuisse agnoscuntur (*Chabas*), Pharaones Asiam penetrantes certe obvios non habuere Philisthaeos. Quod Deut. 2, 23 narratur, Caphtorim occupasse litus Philisthaeum, videtur reapse tempore Moysis fuisse eventus omnino recens. Ceterum Philisthaeos et ipsos fuscos fuisse licebit fortasse confirmare ex Iud. 15, 16, secundum eam quam eius textus dedimus explicationem. Hethitas septentrionales post *Len.* describit *Hommel* p. 191, fuisse imberbes et subrufos (« avec un teint rosé, moins jaune que celui des Sémites, moins blanc que celui des Tahennou; leurs cheveux sont noirs; leurs traits se rapprochent sensiblement de ceux des blancs allophyles du Caucase »). Iam quod cutis sit subrufa, non rufa, et quod eorum lingua non fuerit chamitica, infert Hommel non fuisse Chamitas. Sed adverte, Hommel post *Sayce* p. 116 item affirmare, eam linguam neque semiticam esse neque indogermanicam; adverte nos de tota illa lingua novisse perpauca eaque minime certa; adverte cutem revera esse neque albam neque fulvam, et inter ipsos tandem Chamitas haberi differentias, cum Cuschitae persaepe obscuriores depingantur quam Aegyptii, et apud *Lepsius* III. 40 sq. ipsi Aegyptii aliis quibusdam Aegyptiis aut, uti Hommel vult, viris Punt depingantur obscuriores. Quibus si addas, quod supra demonstravimus, Phoenices Semitis permixtos Semitarum imitatos esse oris conformationem et sermonem, nihil est cur non etiam Hethaeos illos septentrionales Chamitas esse concedas : miscebantur hi tam Semitis a meridie, quam Iaphetidis a septentrione incolentibus. Certe, quos apud *Brugsch* l. c. n. 7. 8. 9. depictos habes Hethaeos, aliorum Chamitarum non sunt ita absimiles oris conformatione, coma, vestitu; annulos auribus insertos gestant aliqui ad instar Cuschitarum. Possumus igitur consideratis illis picturis sat probabiliter tueri, gentes Chamitas primitus constituisse familiam coloris fusci.

Transeamus ad *familiam fulvam*. Qui in sepulcro Pharaonis Seti inscribitur *Amu* homo fulvus, Semita omnino est. Non tamen asserimus, quoties in

monumentis sermo sit de Amu, intelligi solos Semitas, cum nomen generaliori quadam acceptione de quibusvis nomadibus Aegyptum a parte Asiae invadentibus adhibeatur. Semita certissime fuit ille Abescha seu Abisai, qui cum familia in Aegyptum admitti tempore Usertesen II dynastiae 12^ae expetiit fuitque Abrahami fere aequalis. Facierum color et conformatio Semitas produnt, vestes polymitae vestem Ioseph patriarchae in memoriam revocant (*Chabas* p. 111). Semitae utique erant plurimae tribus Palaestinam et Phoenicen antiquitus incolentes : recole, quae supra diximus de ipsis Phoenicibus Chamitis Semitas brevi si non cutis colore, at vero toto reliquo habitu imitantibus; quod ipsum crediderim etiam in Amorrhaeis aliisque Chananaeis obtinuisse. Semitae ex monumentorum testimoniis erant Rutennu vix non omnes, sc. tribus Syriam et Mesopotamiam incolentes. Assyrios et Babylonios fuisse Semitas uno ore omnia eorum monumenta proloquuntur. De Aelam infra dicemus. Arphaxad Semitis esse accensendus demonstratur vel facto Abrahae Semitae ex ipso prognati. De Lud novimus nihil. Aramaei indubie fuere Semitae. Hi omnes (praeter Aelam et Lud) in monumentis aegyptiacis fulvi coloris fuisse depinguntur. Merito igitur defendemus, gentes Semitas primitus constituisse familiam fulvi coloris.

Familiae albae sequentes accensentur nationes : Lubu i. e. Libyes stricte dicti (cf. *G. Ebers :* Aegypten u. die Bücher Mose's I, 104 sqq., Leipzig 1868), Maschawascha seu Maxyes (cf. *Brugsch* p. 80 sq.); dein aliae nationes, quae dicuntur habitare in mari seu in insulis maris et a viris doctis (cf. Chabas p. 284 sqq.) explicantur eaedem esse atque Pelasgi, Teucri, Dardani, Lyci, Mysi, Iones, Tyrrheni (seu Thraces), Siculi, Danai vel Daunii (gens Itala), Osci et Sardinii. Quarum explicationum plurimae sane sunt verae. E quibus fit evidens, familiam albam eandem esse quae indo-europaea dicitur. Ubi adverte, Sardiniorum regulum aliquem (*Brugsch* n. 22) omnino Semitae speciem habere, gregarium militem (n. 23) speciem omnino caucasiam : id haud mirabere, si memineris Phoenicum Semitarum perantiquas in Sardinia exstitisse colonias. Maiorem difficultatem faciunt Lubu seu Libyes familiae albae attributi, quos infra sat probabiliter eosdem esse concedemus atque Lehabim Chamitas, quos fuscos depingi exspectares. Tamen difficultas solvi potest. Uti sc. ad orientem Aegypti deprehendebamus Chananaeos Chamitas Semitarum convictu gradatim in Semitas versos, ita ad occidentem offendimus Libyes stricte dictos continuo gentium albarum commercio veluti dealbatos. Saepe gentes subactrices gentes subactas absorbent quasi suique per omnia similes efficiunt, uti Saxones Britannos, germani Slavos non paucos intra Germaniae fines incolentes, etc. Simili prorsus ratione Chamitae primitus orientem Aegypti et occidentem versus expandebantur, postmodum ingruentibus ibi Semitis et hic Indogermanis assimilati sunt.

His sufficienter ostensum est, populorum eorum, qui Gen. 10 re-

censentur, Aegyptios quoque tres dignovisse familias cutis colore et oris conformatione ab invicem distinctas.

Ab imaginibus depictis et sculptis ad *linguas* convertimur, quarum tres h. l. *familiae* considerandae veniunt.

1) *Familiae linguarum semiticarum* accensentur linguae hebraica (samaritana, moabitica etc.), phoenicia, assyro-babylonica, aramaea (chaldaica, syriaca), aethiopica (cuius vix antiquius documentum habemus quam s. scripturae versionem saeculo p. C. quarto), sabaea vel himiaritica (qua incolae Arabiae meridionalis utebantur), arabica. Quarum haec sunt maxime propria. Radices fere omnes, quae flectuntur, sunt triliterales seu tribus constant consonantibus, quae intactae, quantum fieri potest, servantur, dum vocales consonantibus insertae variantur perseverante una significatione radicali. Ita formae *katala, katlu, katilu, katulu* ad unam occidendi significationem referuntur; non obtinet inter illas ea significationum divergentia, quae est inter latinas voces *fugam* et *fagum*, *alam* et *alma*, *paratus* et *partus*. Significationis vero modificationes exprimuntur cum mutatis vel transpositis vocalibus tum adhibitis praefixis et suffixis. Linguae semiticae ignorant tempora verbi, sed una utuntur forma actionis absolutae et altera perdurantis. Nominis tres ad summum habent casus : nominativum, genitivum, accusativum; nominativus genitivo sequente corripitur in eum, quem dicimus statum constructum. Femininum adiecto *t* exprimitur, neutrum non exstat.

2) *Familiae chamiticae* accensentur linguae aegyptiaca (hieratica, demotica, coptica), berberica (tamaschek), cuschiticae (bedscha in Nubia orientali, schaho in Abessynia septentrionali, dankali in litore Abessyniae, agau in variis Abessyniae tractibus, galla et somali). Haec familia (speciatim lingua aegyptiaca) cum semitica aliquam habet affinitatem. Literae fere sunt eaedem : aspiratae tres, ע et, praeter ג et כ, etiam ק. Pronomina, imprimis pronomina suffixa, sunt valde similia inter se; accedit negatio *an*, terminatio pluralis *u* et feminina *t*, nomina abstracta in *ut*, status constructus, coniugatio causativa praefixo *s*, radices communes non ita paucae. Cf. *Hommel* p. 94 sqq. 440 sq. Tamen affinitates hae nequaquam sunt tantae, ut linguam aegyptiacam fas sit semiticarum familiae adscribere. Radices quippe aegyptiacae sunt biliterales. Utique, sicut in semiticis multa sunt vestigia anterioris biliteralismi, ita in aegyptiaca non pauca sunt incipientis triliteralismi indicia. Item suffixa aegyptiaca similia quidem sunt semiticorum, at dum haec vera flexione cum radice coalescunt, illa mechanice magis agglutinantur. Si statuas, hinc semiticas omnes ex una aliqua lingua evolutione prodiisse, quam protosemiticam appellaveris, et similiter chamiticas ex una aliqua protochamitica; si protosemiticam triliteralem supponas ex rudiori aliqua biliterali, quam praesemiticam dixeris, fluxisse : tum non immerito affirmabis, praesemiticam et protochamiticam exstitisse sorores.

3) *Familia arica* seu *indogermanica* plurimas complectitur linguas : indicas (prakrit, pali, sanscrit), iranicas (persicam antiquam, zend, parsi, pehlevi, puschtu), celticas, italicas, illirico hellenicas, wendicas (lithuanam, slavicas). Radices primitivae aut sola constant vocali (*i*, ire), aut vocali addita consonante (*ad*, edere), aut consonante addita vocali (*da*, dare). Secundariae constant duabus consonantibus inserta vocali (*tud*, tundere). Tertiariae sequuntur formas *plu*, fluere; *ard*, pellere; *spas*, videre; *spand*, tremere. Secundariae et tertiariae ortae sunt extensis per additam aliquam consonantem primitivis, quae addita consonans etiam variatur. Ita ex *tud* fit sanscrit *tub* (τύπτω), *tubh*, *tuph*, *tuy*, *tur*, *turv*, *tuh*, *tus;* aliunde *mand* ortum est ex *mad*, *vand* ex *vad*, *spas* ex *pas* et tandem ex *as*. Adde quarumdam consonantium certis legibus definitas mutationes, uti gutturalium dentalium, labialium itemque aspiratarum, mediarum, tenuium. Ad haec radicum discrimina adde grammaticae a semitica discrepantiam, tribus generibus, septem casibus, tot temporibus et modis. Sane patet has linguas longius distare a semiticis, quam semiticas a chamiticis; atque in immensas dilabimur antiquitates, si naturali evolutione statuta, trium harum familiarum communem originem coniecturis incertissimis definire attentemus. Cf. *M. Mueller :* Lectures on the science of language, 6th edition, London 1871; On the stratification of language, London 1868.

Iam si cum dictis conferas gentes Gen. 10 recensitas, illico generalem aliquam filiorum Sem, Cham et Iaphet cum illis linguarum familiis rationem deprehendes. Filii Cham linguis, quas Chamiticas dicebamus, utebantur; quod faciunt etiamnum posteri Chus et Phuth ii, qui Africam incolunt, faciebant Mesraimitae. Verum quidem est, uti Chananaeos interiecto deserto, ita Sabaeos interiecto mari a reliquis Chamitis separatos Semitisque undique permixtos linguam chamiticam cum semitica commutasse; dum occidentem versus Libyes, quamvis Iaphetidis ita fuerint commixti, ut vel cutis colorem mutarint, tamen quod Aegypto coniuncti essent et a reliquis Iaphetidis interiecto mari separarentur, chamiticam linguam videntur retinuisse, quod inde coniicimus, quod berbericae linguae usque nunc per totam Africam septentrionalem sint diffusae. — Porro filii Sem linguis utebantur semiticis, quod de Assur, Arphaxad et Aram certo constat, de Aelam probabiliter affirmatur. Quodsi vero Lud reapse sint Lydi et si in Lydis reapse nihil deprehendatur semiticum, tum erit inquirendum, num non ea gens, quae longius ceteris Semitis septentrionem versus mediosque inter Iaphetidas incoluerit, simili ratione horum facta sit similis, qua Chananaei fuere in Semitas transformati. — Tandem Iaphetidarum Iavan certe utebatur lingua arica, vix non certe Thogorma, Gomer, Riphath et Ascenez, probabilius Madai, Magog et Thiras. Quod autem aliqui asseruere, ex textibus cuneiformibus Thubal et Mosoch deprehendi usos esse lingua non arica, id praeposterum est, cum eius linguae nonnisi perpauca noverimus nomina propria.

Scientia linguarum non solum gentium, de quibus agimus, in tres

familias distinctionem corroborat, sed harum etiam familiarum nativam unitatem eatenus confirmare videtur, quatenus linguarum chamiticarum cum semiticis, et utrarumque remotiorem utique cum indogermanicis affinitatem demonstrat communemque originem veri facit similiorem.

Postquam linguis et picturis edocti sumus trium familiarum ab invicem distinctionem et inter se unitatem, ad *artes* convertimur, non tam quo earumdem confirmemus distinctionem, quam originis communionem demonstremus. Ubi soli Aegyptii et Babylonii considerandos se offerunt, cum Iaphetidarum artes omnes multo serius effloruerint plurimaque ab Aegyptiis, Babyloniis, Phoenicibus aliisque mutuatae sint. Hethaeorum item artes fere sunt ignotae nobis, Phoenicum multiplicem Aegyptiorum et Babyloniorum patiebantur influxum. Artes tandem h. l. non tam intelligimus eas, quae hominum usibus maxime necessariis inserviunt, uti agrorum colendorum, pinsendi, texendi : hae enim in pluribus simul et independenter locis a simplicissimis ideoque simillimis initiis proficisci potuere. Sed artes imprimis duas nobiliores architecturae et scripturae examinabimus.

Igitur utriusque gentis *architecturae* monumenta sexcentis iam libris depicta circumferuntur, ut ea nostris lectoribus oppido nota esse fas sit supponere. Ubi unius maxime generis aedificia inter se sunt comparanda, *templa*. Aedificia quippe usibus vitae privatae vel civilis destinata Aegyptii e lignis lateribusque struebant, quorum nihil remansit; Assyriorum vero et Babyloniorum, quae exstant, palatia ad antiquissima tempora haud pertingunt. Repertus quidem est sarcophagus Pharaonis Menkere 4ae dynastiae (cf. A. *Erman* : Aegypten u. aegyptisches Leben im Altertum, I. 245, Tübingen 1885) domus figuram habens, cuius haud sunt absimiles domorum quarumdam formae minus antiquae : at deficiunt nos antiquissimarum apud Babylonios domorum imagines, ut comparationem instituere non possimus. Porro, templa quod attinet, in Babylonia anguli, in Aegypto latera quatuor coeli partes respiciunt. Templa Babyloniae antiquiora sunt parva, v. g. illud in Telloh longitudinis habens 53 m. et latitudinis 31 m.; antiquissima item Aegypti templa (*Erman* II. 379) parva fuere, sed posterioribus saeculis in horum antiquiorum templorum locum successere alia multo latiora, ut vix unum alterumve antiquissimorum supersit. Babyloniae templa omnia ex lateribus fuere aedificata (cf. Gen. 11, 3), Aegypti posteriora templa e solis lapidibus, pro utriusque sc. regionis nativo discrimine : tamen pyramis omnium antiquissima apud Sakkara lateribus constat et duo, quae apud *Erman* l. c. depicta cernuntur, perantiqua templa etiam lignea fuisse videntur. Aegyptiorum antiquissima, quae novimus, templa iuncta erant pyramidibus : in his sc. reges pyramidum constructores sepeliebantur, in illis iisdem divini solvebantur honores. Similiter antiquissima

Babyloniae templa, uti illud in Telloh, habebant pyramidem dictam *Zikurat* (cf Gen. 11, 4), quae sepeliendis mortuis non adhibebatur, sed sanctissimum aliquod habebat sacellum. Utriusque certe regionis pyramides egregie eum adimplebant finem, quem Gen. 11, 4 expressum legimus, ut sc. exstructorum nomina celebria redderent. Pyramides in Aegypto mox exstrui desiere, et etiam in Babylonia templa plurima pyramide carebant : princeps fere singularum civitatum templum unum pyramide erat insignitum. Signa sculpta quod spectat, quae in templis vel prope illa asservabantur, tam in Aegypto quam in Babylonia perfectissima arte facta eadem sunt etiam antiquissima : artem utrobique offendimus ab incunabulis maturam, adultam novitia ignorantem tentamina, quam posteriores artifices constanter sunt imitati sed perraro assecuti. Cf. *Wiedemann* p. 58 sqq.; *Tiele* p. 586 sqq. — *Sepulcra* Babyloniorum cum Aegyptiorum comparari nequeunt, cum illa e lateribus fuerint operose aedificanda, haec in montium cavernis a natura veluti praeparata exstarent. Aegyptii item longe facilius aromata, quibus cadavera condirent, ex Arabia et Aethiopia comparabant. Quid mirum igitur, in ea arte multum Aegyptios prae Babyloniis profecisse?

Venio tandem ad *scripturam*. Cuius ingens in utraque regione diversitas vel exinde oriri debuit, quod Babyloniorum rudi scalpro molli lateri imprimeretur, Aegyptiorum studiose in lapide duro exsculperetur coloribus postea obducenda. Utriusque tamen gentis systema ab *ideographia* profectum est : repraesentabantur sc. ipsae res aut veris *imaginibus* (e. g. quando stella vel coelum depicta stella exprimebatur) aut *symbolis* (e. g. quando eadem stellae forma deum referebat). Quae ideogrammata apud Aegyptios quidem et distincte pinguntur et facile discernuntur; apud Babylonios vero, quorum scriptura vel antiquissimis temporibus in hieraticam seu cursivam transiisset, perraro obscure possunt deprehendi. Apud utramque porro gentem scriptura mera ideographia haud constitit, sed mox *phonetica* ex parte evasit, et quidem *syllabaris* (apud Aegyptios quadamtenus etiam *alphabetica*). Pro exemplo sit ideogramma stellae, quod coelum *an* in cuneiformibus primitus designabat, postmodum vero adhibebatur ad syllabam *an*, ubicunque ea in aliis vocibus recurreret iisque a coeli significatione prorsus alienis, phonetice exprimendam. Unum autem h. l. advertere oportet, quod supremi est momenti. Dum scriptura hieroglyphica optime adaptatur linguae Aegyptiacae, quae agglutinativa est neque radices flexione immutat, scriptura cuneiformis non fuerat primum efficta pro lingua Babyloniorum semitica et triliterali, cuius radices flexione cum affixis coalescunt, sed pro lingua protochaldaica seu sumeroaccadica, quae et ipsa agglutinativa erat et a triliteralismo aliena.

Comparatis igitur inter se Aegypti et Babyloniae tam aedificiis quam scripturis censuere, qui harum rerum peritissimi habentur (cf. *Tiele* p. 586), omnino explodendam esse *R. Lepsii* sententiam, artes ex Aegypto in Babyloniam immigrasse; neque veri simile esse, Aegyptiorum

artes ex iis, quas novimus, Babyloniorum seu Protochaldaeorum artibus traxisse originem; sed utrasque probabilius ex eodem fonte derivari, quam artem appellaveris praechaldaicam vel praeaegyptiam vel, si mavis, chamiticam. Ubi adverte, quando loquimur de arte vel cultura chamitica, non item nos affirmare omnes, qui ea cultura usi sint, origine fuisse Chamitas; neque enim, quicunque semiticis utebantur linguis, reapse fuere Semitae dubitantque aliqui, Accadiine propriam habuerint scripturam cuneiformem an aliunde acceptam. Gentes autem e Cham prognatas quondam omnes ad mare Erythraeum, i. e. Sinus Persicum et Arabicum, incoluisse docemur traditionibus etiam Phoenicum narrantium, se ad mare Erythraeum primas sedes habuisse, ubi Aradus et Tyrus insulae (alii Tylos, sed *l* et *r* facile commutantur) sanctissimis templis insignes, homonymarum in litore mediterraneo civitatum matres (*Herod.* I. 1; V. 89; *Strabo* 16, p. 766 aliique). Docemur traditionibus Babyloniorum, cum apud Berosum, tum in documentis cuneiformibus servatis, quae sacra et artes potiori quadam ratione ex insula Dilvun Sinus Persici repetunt (cf. *Lenormant :* Bérose, p. 220 sqq.). Quibuscum si conferas, quae Genesis habet de imperio Nemrod Cuschitae in Babylonia stabilito, perspicies Chamitas et Semitas quondam ibidem una incoluisse et antiquissimam, qualem descripsimus, artem videri ad ipsos potiori titulo quam ad Semitas pertinuisse.

CAPUT II.

GENERATIONUM FILIORUM NOE INDOLES ET ORIGO.

Dum nomina Noe, Sem, Cham et Japhet in praecedentibus certe erant nomina individuorum (quomodo enim secus defendas S. Petrum asserentem octo tantum animas in arca esse servatas?), quae cap. 10 adscribuntur *nomina non individuorum sunt sed populorum*, « gentes, non homines » (*Aug.* De Civ. Dei XVI. 3; *M.* 41.481).

Nomen *Madai* ex *Mada*, regionis nomine, derivatum est nomen gentilicium *Medus*, non proprium unius alicuius viri. Eiusdem omnino generis sunt nomina, v. 16-18, quae insuper praefixum articulum habent et recte a Vulg. adiectivis exprimuntur. Alia nomina pluralis formam induunt, ut individuorum nomina esse nequeant : *Cetthim*, *Dodanim*, *Ludim*, *Anamim*, *Laabim*, *Nephthuim*, *Phetrusim*, *Chasluim*, *Caphtorim*, quibus adscribitur nomen *Philisthiim* constructum verbo numeri pluralis. *Mesraim* dualis terminationem habet, sive quod Aegypti planities collium hinc lybicorum illinc arabicorum serie circumvalletur (מוצר *Kn.*), sive quod duae essent Mizir seu Aegypti, superior et inferior (*Ebers* p. 85 sqq.), sive ob aliam rationem nobis nondum

perspectam. Tandem v. 20 explicite asseritur : « Hi sunt filii Cham... *in gentibus suis* »; et v. 31 : « Isti filii Sem... *in gentibus suis* »; et similiter v. 32 (*Len.* II. 1. 312).

Ergo perperam *Kn.* p. 9 affirmat s. auctorem singulas gentes nomine *mythici* alicuius progenitoris expressisse : nihil mythicum reperitur, nomina immediate significant ipsas gentes. Non tamen infitiamur, potuisse plures earum gentium e protoparentibus homonymis ortum duxisse, quod de Chanaan ob 9, 20 sqq. narrata vix poterit negari. Recte porro monet *Len.* II. 1. 309. 315, admissa semel generis humani unitate a communibus omnium protoparentibus derivata, necessario sequi gentem quamque ab uno tandem aliquo ortum duxisse, quotcumque eum inter et Noe generationes intercesserint; gentium vero affinitates nostra genealogia exprimi perquam clare et vere, multo certe verius quam in narrationibus mythologicis idem fiat, quae gentium totidem heroibus eponymis repraesentatarum dicta et acta confingant.

Antiquitus interpretes aliqui existimasse videntur, nostram genealogiam omnes totius orbis populos complecti, et hinc audacius nomina quaedam de gentibus interpretati sunt, quas s. auctor in mente habuisse demonstrari nullatenus potest. Ita v. g. *Ps. Eustath. Antioch.* (Comment. in Hexaem., *M.* 18. 760) sic interpretatur Iectanidas : « Iectan filios habuit Salmodan, ex quo Indi; Saleph, ex quo Bactri; Asarmoth, ex quo Arabes; Iarach, ex quo Carmani; Odorra, ex quo Mardi; Iezil, ex quo Arriani; Decla, ex quo Cedrusii; Gebal, ex quo Scythae; Abimeel, ex quo Hyrcani; Sabeu, ex quo Arabes Felices; Uphir, ex quo Armenii; Evilat, ex quo Gymnosophistae ». *Non omnes mundi gentes* genealogia exprimi, hodie ab omnibus conceditur; desiderantur certe Americani, Sinenses, Mongoli, Melanesii, Nigritae et alii bene multi. Cf. *Brunengo* I. 216 sq.; *Vigouroux,* Manuel I. 482 sq.

Ne illud quidem demonstrari potest, voluisse s. auctorem, sive is Moyses fuerit sive auctor eo recentior, *omnium quas ipse norat gentium* elenchum texere. Notissimi quippe vel Moysis tempore, maxime in Aegypto, erant Nigritae, qui et plurimi numero ibidem degebant et depicti in muris sat frequenter conspiciebantur. Desiderantur item Amalecitae et aliae quaedam gentes, quarum in Pentateucho sat frequens habetur mentio. Reapse, licet aliqua elenchi nomina nondum sint plane perspecta, affirmare tamen iam licet, auctorem solas recensere *gentes familiae Caucasiae,* quae antiquitus Asiam anteriorem et adiacentes Europae et Africae tractus incolebant. « Non omnium universi orbis gentium generationes describere in animo fuit, sed earum tantum, quae Hebraeis ant notiores essent aut necessario noscendae » (*Brunengo*).

Genealogia prima fronte agnoscitur veri nominis esse genealogia, documentum *ethnographicum* populorum affinitatem ac tandem ex uno capite originem describens. Id unum textus proclamat, id tota profitebatur antiquitas, idipsum nuper contra recentiores aliquos solide et copiose defendebat *Len.* l. c.

Is est nativus verborum *filii* et *genuit* sensus, a quo recedere nefas est. Sane vox *filii* bis v. 1 adhibita non potest aequivoce sumi : at Sem, Cham et Iaphet erant filii generatione. Item vox *genuit* v. 8 de individuo homine Nemrod adhibita dicit generationem; neque officit v. 8-12 videri serius esse adiectos, cum sint adiecti a scriptore eandem vocem eodem atque in praecedentibus sensu usurpante. v. 21 ita de Sem dicuntur *nati filii*, ut Sem sit *pater;* neque officit, si eum etiam quis versum dicat serius esse insertum, cum inserens certe voluerit vocem eo sensu adhibere, quo eadem in reliquo adhibebatur contextu. v. 20.31 populorum distinctio primo loco repetitur e *cognationibus;* v. 5 regionum distinctio revocatur ad *linguarum et cognationum* discrimen, et v. 32 dicitur « hae sunt *cognationes* filiorum Noe *in generationibus suis* ». Adde v. 1 esse titulum, uti 5, 1; 6, 9; 11, 10. 27; 25, 12. 19; 36, 1; 37, 1, quibus omnibus locis תולדת de veris generationibus praedicatur. Adverte tandem s. auctoris finem : gentium divisionem narraturus earum ex communi parente originem indeque mutuam affinitatem inculcat.

Ergo momentum *ethnographicum* primarium est. Imo, quod v. 15 Sidon, cuius nomen primum inter filios Chanaan locum obtinet, idem dicatur *primogenitus,* credideris nomina universim *ordine antiquitatis* describi. Quod si admittas et singularum gentium, quas postmodum tenuere, sedes contempleris, perspicies familiam Iaphet totam quantam e pristinis sedibus emigrasse, *ducibus* iis ipsis, quae antiquitate et dignitate praestarent, nationibus (Gomer, Magog, Madai), quae porro novas easque ceteris remotiores sedes nactae sint; familiae Sem tribus principes (Aelam, Assur, Arphaxad) prope ipsam Babylonem perseverasse, solis iunioribus (Lud, Aram, Heber) ob angustias locorum migrare coactis; Chamitas tandem incerto veluti ordine se indidem proripuisse, cum primus secundum monumenta Mesraim videatur in Africam penetrasse, Cuschitae vero primogeniti nonnisi serius, collapso sc. Nemrodi regno, eodem emigraverint.

Perperam igitur *Ebers* secutus *Tuch, Renan* aliosque censet gentes distingui primarie secundum momentum *geographicum,* et nonnisi secundario secundum momentum ethnographicum. Auctor, inquit, daturus conspectum sui temporis gentium, eas quae una habitant in unam colligit familiam, quae dein plerumque etiam deprehenduntur colore, linguis, origine esse affines, quod gentes origine affines generatim vicinas invicem occupent sedes, colorem et linguas praeservent fere easdem. Rem exemplo illustrat *Merx* in D. Schenkel, Bibel-Lexicon, Leipzig 1872. Auctor s., inquit, ita fere Americae populos descripsisset : Filii Americae America Septentrionalis et Meridionalis; filii Americae Septentrionalis Rufus, Albus, Eskimo; filii Rufi Irokesi, Mohicani etc.; filii Albi Neo Eboracum, Bostonia, Philadelphia etc. Perperam alii gentes primarie distingui affirmant secundum *cutis colorem* aut *linguarum affinitatem*. De his nihil est in textu, et monumentis historicis docemur haud raro colores et linguas confundi. Momentum unice primarium agnoscendum est illud, quod solum et ubique in textu exprimitur, momentum ethnographicum.

Porro, licet momentum ethnographicum sit primarium, non tamen

est unicum. Gentes ante dispersionem circa regionem Sennaar certas utique singulae sedes occupaverant, Semitae ob primatum medias, dum Japhetidae septentrionem, Chamitae meridiem versus incolebant. Haud miraberis, etiam post dispersionem singulas familias una mansisse. Igitur Japhetidae tractum occupavere ad septentrionem terrae Sennaar et, trajectis Amano et Tauro montibus, Asiam Minorem nacti sunt, hinc insulas gentium et pone illas vastam Europam. Cham, trajecto deserto et angusto mari, Africam reperit. Semitae medias et antiquas sedes servavere, hinc ad extrema Arabiae Cuschitarum vestigia prementes, illinc ad Taurum usque progressi. Habes hic alterum definiendis nostrae genealogiae populis momentum *geographicum*, sed illud secundarium quodque exceptiones patiatur. Non enim aequo semper gressu progrediuntur nationes, sed aliae lentiores a sequentibus absorbentur, aliae impetu feruntur in agmina non sua.

Praeterea, quamvis variarum gentium fines *relative et universim spectati* dici possunt iidem fere decursu saeculorum mansisse, tamen si absolute et singillatim inspicias, fatearis necesse est non parum esse mutatos. Si cujus igitur *gentis* nomen in nostra pericope discreveris, cave ne inferas s. auctorem eam quoque *regionem* cogitasse, cui ejus gentis nomen *ultimo* adhaesit. Sint Tharsis et Ascenez illi populi, qui tandem in Baetica et Scandinavia sedes nacti sunt, non inde sequitur auctorem Tartessum aut Scandinaviam novisse. Incoluit Tharsis Ioniam, communem Iavanitarum sedem, antequam in Hispaniam pedem ferret; fuit Ascenez Ponti Euxini accola, priusquam in Scandinaviam penetravit. Distinguuntur utique v. 5. 20. 31 gentes etiam secundum *regiones*: verum, quas s. auctoris aevo regiones incoluerint, id non ex classicis scriptoribus discendum nobis est, sed ex ipsa nostra genealogia, cuius membra omnia attente nobis sunt inter se comparanda.

Certe errat *Kn.* gentes ubique requirens *magnas*: quo v. g. inductus est, ut Thubal praeter Tibarenos interpretaretur Iberos Hispaniae (quod idem ante senserat *Walafr.*), Mosoch praeter Moschos etiam Ligures. Memoria insuper retinenda sunt *Ios.* verba, potuisse earum gentium aliquas mature e medio tolli, aliarum nomina ita mutari, ut agnosci iam nulla ratione queant. Ergo non est exegetae omnis omnino lapis movendus, quo singulas quasque gentes posterioribus saeculis demonstret, non sunt captandae levissimae quaeque nominum affinitates. Maiorem quibusdam lucem, quod sperare fas est, monumenta reperienda affundent, alia fortasse usque manebunt incerta.

Tribus populorum familiis totidem correspondere linguarum familias ex s. quidem textu non colligitur: potuere sane linguae ita Babylone confundi, ut vel ejusdem familiae populi linguis iam funditus differrent inter se. Tamen documentis antiquitatis efficitur perquam pro-

babile, tribus populorum familiis correspondere totidem linguarum familias, ut Chamitae usi sint linguis quas vocant chamiticis, Semitae semiticis, Iaphetidae indogermanis aut certe iis, quae neque chamiticae essent neque semiticae. En tibi tertium distinctionis momentum, *linguisticum*. Verum ut exceptiones patitur lex geographica, ita plures etiam et majores suapte natura admittit linguarum canon. Populi miscentur inter se mixtique nativam abdicant linguam; quandoque populus idem manens linguam commutat. Audi *A. de Quatrefages* (L'espèce humaine, Paris 1877, p. 322) : « Licet magni momenti sint linguae », inquit, « ad populorum affinitates definiendas, tamen eae solae ad id nequaquam sufficiunt. Linguis linguae succedunt in populis iisdem, ubi, qui ex solis linguis quaestionem dirimere attentaverit, populos ipsos interiisse pronuntiabit. Quod factum est in Canariis insulis, ubi Guanchae, quod lingua jam omnes uterentur hispana, crediti sunt penitus esse exstincti, quoad Berthelot demonstravit insularum incolas majorem partem etiamnum Guanchos esse ».

Quae diximus momenta s. textus explicite habet v. 5. 20. 31, ubi gentes dicuntur esse divisae *secundum cognationes suas,* en momentum ethnographicum; *secundum linguas suas,* en momentum linguisticum; *in regionibus suis,* en momentum geographicum.

Iam si in tabulam geographicam oculos conjicias, videbis Iaphetidarum trans Taurum, Semitarum in Mesopotamia, Chamitarum in Arabia et Africa sedes fuisse ab invicem montibus et desertis sufficienter distinctas; in Arabia quidem meridionali Chamitas et Iectanidas invicem conterminos necessario debuisse commisceri; praeterea vero unum aliquem esse tractum fertilem, patentem, qui tribus illis familiis esset aeque commodus accessu, in quem natura veluti et necessitate protruderentur omnes, in quo permiscerentur, linguas, mores, sua quaeque confunderent, Syriam inquam et Palaestinam. Illuc ex Aegypto et Arabia se immisere Chanaanitae, illuc e Mesopotamia Aramaei, Arphaxadaei, illuc e montibus Thubal, Mosoch, aliique. Semitae suorum ceteris tenaciores, perfectiori instructi lingua, cui mox alphabetum adaptavere Phoenices, reliquos sibi assimilaverunt, donec tandem cutis colore, lingua, moribus, imo vel oris specie Semitae et ipsi omnino esse viderentur.

Primus fere *interpretatus est* genealogiam *Ios.*, qui, ceteris interpretibus quod esset antiquior, plura e genuina Iudaeorum traditione haurire potuit. Iaphetidis sedes attribuit a Tauro et Amano montibus ad Tanaim Herculisque columnas; Chamitis ab Amano meridiem versus regiones maritimas ad extremam usque Arabiam, Aegyptum item et Libyam; Semitis tractum ab Euphrate ad Oceanum Indicum. Et haec

etiamnum veritati sat consona esse deprehenduntur. In singulis gentibus determinandis rem saepe acu tetegit Ios. Qui post ipsum scripsere, eum fere secuti sunt, etiam *Hier.;* tradita tradidere neque ex aliis fontibus, qui tum non paterent, elucidare sunt conati. Ulterius progressus est *S. Bochart* in priore Geographiae Sacrae parte, quam Phaleg inscripsit, Cadomi 1646. Is praeter scripturae textus parallelos, Iosephi et Christianorum antiquorum placita, sedulo scriptores antiquos graecos et latinos, Targumim linguarumque semiticarum thesauros est rimatus. Ex quibus fontibus infinitam fere ad singula genealogiae nomina definienda congessit materiam, Iosephi placita plerumque confirmavit, quandoque correxit, aliquoties etiam praepostere emendavit, uti quando Cethim interpretatus est Italiam et Rodanim Gallos ad Rhodanum incolentes. Bocharti vestigia inter alios pressit *A. Knobel:* Die Völkertafel der Genesis, Giessen 1850. Plurimum tandem interpretationem adjuvere reperta Aegyptiorum, Assyriorum aliorumque antiqua monumenta, in quibus plurium, de quibus quaerebatur, gentium nomina legebantur, sedes demonstrabantur, externus imo habitus depingebatur. Rem discussere plures, imprimis quoad Chamitas *G. Ebers :* Aegypten I. 36 sqq.; quoad Iaphetidas *Len.;* quoad omnes *Schrader.* KAT, *Del.* Par. 244 sqq., *Hommel, M. Mueller* (Asien u. Europa etc.). Et haec quidem expositionem spectant literalem. At aliae recenter natae sunt quaestiones, quas *criticas* vocant. Recentiores quippe aliqui arbitrati sunt, genealogiam hanc consutam esse e duarum genealogiarum centonibus, genealogiae elohisticae contexta esse excerpta alterius genealogiae iahvisticae. Ita *Wellh.* Comp. p. 4 sqq.; *Hommel* p. 75 sqq.; *Dillm., Kuenen, Del.* Hinc variae quoque prolatae sunt opiniones, quo primum tempore genealogia orta sit, quam *Ebers* p. 36 incipienti regum aevo attribuit, dum *Hommel* partem elohisticam (10, 1 sqq.) exsilio recentiorem esse pronuntiat.

Genealogias vero illas ita sibi fingit Wellh. e duobus fontibus Q et I E a redactore R in unam fuisse compactas. Potioris genealogiae (10, 1-7. 20. 22 sq. 31) titulus exstat 10, 1; tituli secundarii sunt v. 2. 6. 22 « filii Iaphet », « filii Cham », « filii Sem »; clausulae huc pertinent v. 5. 20. 31. 32; generatim huc spectant nomina omnia, quae prafixo בני citantur, dum ea quae formam verbi ילד praefixam habent, alteri genealogiae conceduntur. Cuius titulus habetur 9, 18 sq. Ea item Iaphetidas, Chamitas, Semitas recensebat, sed plurima interiere mansitque solum illud de Nemrod Chamita, Mesraimitis, Chananaeis v. 8-18 cum clausula v. 19 Chananacorum fines describente, illudque de filiis Heber v. 25-29 cum titulo v. 21 et clausula 1, 30 Iectanidarum fines describente. v. 24 a redactore adscriptum est.

Qua in disquisitione ab illo est principio procedendum, quod statuit *I. Knabenbauer* (Der Katholik 1870. II. 204 sq.), cum plus quam duorum millium annorum traditione genealogia nobis proponatur tamquam unum summae antiquitatis documentum,

ad eius vel unitatem vel antiquitatem negandam non sufficere meras coniecturas, sed in ipsa genealogia ea demonstrari oportere, quae aut unitatem aut antiquitatem excludant. Iamvero adversariorum rationes sunt perquam infirmae. 9, 18 sq. non est titulus genealogiae cuiusdam, v. 21 et 22 non sunt duo tituli genealogiae Sem. Facile quidem concedimus v. 21 recentius esse additum, at non ideo pro distincto titulo accipi debet, sed est tituli v. 22 amplificatio quaedam. Cf. quae dicemus ad v. 21. Arbitrario v. 8-18 pro continuo alterius genealogiae fragmento recipitur, cum v. 8-12 respectu non solum antecedentium sed etiam sequentium v. 13-18 instar parentheseos sit. Arbitrario v. 19. 30 statuuntur esse clausula membrorum alicuius genealogiae : cur tandem non etiam Cuschitarum et Mesraimitarum fines describuntur? 10, 25-30 aiunt contradicere v. 7, cum hic tribus Arabiae meridionalis a Chus, ibi ab Heber repetantur. Cf. item 10, 22 cum 22, 21, etc. Respondeas, si idem nomen diversis recurrat textibus, non ideo necessario eundem hominem aut eandem gentem designari : potuisse tandem duo exstare Hevila aut duo Us. At, concesso iisdem in diversis textibus nominibus easdem exprimi tribus, nullam tamen esse difficultatem; non utique posse unum hominem, bene vero posse unam gentem a duobus patribus derivari. Supponas, populorum Europae scribi genealogiam aliquam nostrae similem : nonne vere diceretur Italus esse filius modo Latini, modo Longobardi, modo Normanni? Quae genealogiam antiquissimis temporibus concinnatam demonstrent intrinsecae rationes, eas infra proponemus. Cur eadem *recentius*, regum sc. aut exsilii aevo, scripta assignetur, rationes proferuntur nullae. Aliqua certe in ea desiderantur, quae in recenter conscripta merito exspectares. Cur inter filios Iavan nulla Dorum habeatur mentio, qui vel regum tempore haud procul terra sancta florentissimas obtinebant colonias? Cur recensitis Aracaeis, Sinaeis et Samaraeis, quorum perexiguae regum aevo erant res, reticeantur Tyrii, qui tum Phoenicum universorum primatum haberent? Cur Philisthaei tum notissimi per Chasluchim ignotos descripti? Cf. *Knab.* l. c.

Neque tamen omnes, quas neoterici in medium proferunt, rationes tamquam inanes repudiamus. Fuere aliqua serius adiecta. Non fortuito hic posteri continuo voce בני indicantur, ibi forma aliqua verbi ילד. Est ratio, cur aliquarum gentium fines describantur, aliarum reticeantur; cur quandoque filiorum filii, alias soli filii recenseantur. Non uno die haec in lucem edita est genealogia, sed saeculis crevit : tamen non e duabus acu est consuta. Cuius nos iamiam genealogiae compositionem et originem explicaturi varias eius partes distinguemus, et primum quidem *titulum* v. 1 et *clausulam generalem* v. 32, quae eiusdem esse auctoris omnes permittunt. Atque revera uterque versus idem edicit, proponi sc. generationes filiorum Noe easque postdiluvianas. Poterit utique fingere aliquis, hos versus additos esse a redactore, qui titulum v. 1 effinxerit ad instar 2,4; 5,1 etc. Tamen, ut titulum summae esse antiquitatis affirmemus, suadet titulus omnino similis et perantiquus elenchi cuiusdam regum Babyloniorum : « Hi sunt reges post diluvium » (*Schrader, Del.* Par. p. 244). Videntur igitur vel antiquitus Semitae reges et genealogias a diluvio computasse. — Genealogiae *schema* omnino unius est auctoris, eiusdem sane qui titulum

scripsit. Illud complectitur clausulas v. 5. 20. 31; praeterea inscriptiones « filii Iaphet », « filii Gomer », « filii Iavan », « filii Cham », « filii Chus », « filii Sem », « filii Aram » cum adiectis gentium nominibus. Omnes concedunt v. 1-7. 22 sq. unius esse auctoris. Igitur v. 1-7. 20. 22 sq. 31 sq. ad eandem certe primitus spectabant genealogiam.

Verum ab his ita differunt v. 8-12, ut iam communi fere consensu concedantur parenthesis esse serius adiecta. Ab indole genealogiae hi versus penitus recedunt. Historiam tradunt, non genealogiam. Dum reliqua genealogiae nomina sunt gentium, Nemrod nomen est individui. Dum genealogia procedit de gente ad tribus, hi versus progrediuntur de regione ad regionem, de una urbe ad alias. Fortasse aliquando ab Assyriologis docebimur, quando condita primum sit Ninive aut quando floruerit Resen, poterimusque tempus definire, *ante* quod hi versus certe non fuere concinnati. Communiter item admittuntur verba v. 14 « de quibus egressi sunt Philisthiim » esse glossa et epexegema ab eo profectum auctore, qui antiqua haec documenta in unum collegit, quique nomini antiquato Chasluim copulandum censuit alterum, quod tunc in omnium ore esset, Philisthiim. Quo facto docemur rationem, cur aliqua genealogiae nomina explicare haud valeamus, posse etiam esse eam, quod gentes quaedam postmodum diversis plane atque antea nominibus appellari consueverint. Simul docemur magnam reverentiam, qua idem auctor textum traditum prosecutus sit : nomen Chasluim non expunxit, sed adiecta glossa explicavit.

Verum etiam v. 13-19. 24-30 ab indole reliquae genealogiae plurimum recedunt. Pro בני v. 13. 15. 26, uti v. 8, iam scribitur יָלַד, v. 21. 25. יֻלַּד. v. 19. 30 appensas cernis finium descriptiones, quas capitis pars prior ignorabat. Quae utique discrimina inde *potuere* oriri, quod haec alterius sint auctoris, atque illa. An indidem orta *sunt?* Id ut probabili ratione definiamus, ad ea, quae supra statuebamus, principia recurramus de eiusmodi traditionum origine atque incrementis.

Igitur traditio de gentium Noe prognatis affinitatibus ortum duxerit oportet primis post diluvium generationibus. Absurde enim finxerit quis hominem aliquem (elohistam aut alium) e variis vetustis documentis genealogiae disiecta membra operose conquirentem. Non ita genealogiae nascuntur, certe non apud orientales populos; ubi conferas Arabes genealogias tam hominum quam equorum quasi per manus tradentes inter se et continuantes. Erant sane genealogiae nostrae rudimenta quaedam in ore hominum diu ante Abrahamum. Generationes filiorum Noe in ipsa terra Sennaar cani coepere a Noachidis, qui tam solliciti erant, ut celebrarent nomen suum, antequam dividerentur in universas terras (11,4). Genealogia primum solos filiorum Noe filios enumerabat, postea etiam nepotes. Ubi populi e campo Sennaar dispergebantur, singuli hanc primam genealogiam secum asportabant. Quae apud singulos mox varias experta est muta-

tiones. Trium patriarcharum filiorumque, qui in numerosas excreverant gentes, nomina omnes servabant; at tribus ex illis gentibus derivatas eas tantum populus quisque commemorabat, quibuscum propius incolentibus frequens sibi esset commercium. Ita Arphaxadaei, diutius aliis in campo Sennaar perseverantes, in genealogia expressere nomina filiorum Chus v. 7, qui ibidem tum primatum obtinerent, filiorum Gomer et Iavan v. 3 sq., qui propius ceteris Iaphetidis inde discesserant, filiorum Aram v. 23, qui Arphaxadaeorum essent contermini; ignorabant filios Mesraim et Chanaan, a quibus interiecto deserto separarentur.

Hanc genealogiam Abraham Hebraeus e terra Sennaar secedens secum asportavit eandemque, in novos tractus delatus, auxit additis Iectanidarum a communi avo Heber prognatorum tribubus et finibus, tribubus item et finibus Chananaeorum, inter quos novas sedes esset nacturus, tribubus Mesraimitarum, quibuscum frequens commercium esset habiturus. Idem v. 21 Semi encomium inseruit, communis Heberitarum parentis; v. 8-15 imperium Nemrod commemoravit, cui ipse cum suis suffuisse videtur; 11,1-9 confusionem linguarum enarravit, quae eius imperii disiecta membra late sparsit.

Haec, quae secundum principia de sacrae traditionis origine atque incrementis statuimus, omnium, quae in textu cap. 10 deprehenduntur, inaequalitatum sufficientem explicant rationem. Non enim solum adhibitae vocis modo בני, modo ילד et quorumdam additamentorum rationem pandunt, sed item docent :

1) Cur quandoque soli trium patriarcharum *filii*, quandoque *filiorum filii* seu, quod idem est, modo *gentes* tantum, modo gentium insuper *tribus* recenseantur. Traditio tam prior quam posterior earum tantum gentium enumeravit tribus, quae viciniores essent et notiores. Iam nomina lustra genealogiae. Tribus Aelam, Assur, Madai recensentur nullae, i. e. nationum quae trans Tigrin incolebant; uti neque plerarumque, quae circa Taurum montem residerent, Magog, Thiras, Thubal, Mosoch et Lud (?); neque gentis Phuth, ut docti autumant, in Maris Rubri sinus remotiores delapsae. At traditio antiquior novit tribus Chus et Aram ipsam tum terram Sennaar incolentes, et Gomer et Iavan, qui tum fortasse propius ceteris ab eadem abessent. Traditio recentior adiecit tribus Chanaan, Mesraim et Iectan, ob rationes supra descriptas.

2) Perspicimus etiam, cur quarumdam gentium nomina *numero plurali* aut forma gentilicia (היבוסי etc.) scribantur, alia numero singulari ac velut individuorum nomina. Crediderim s. auctorem ea facilius nomina forma plurali aut gentilicia expressurum fuisse, quae gentium essent proxime accolentium, quarum ipse homines plures haud raro obvios habuisset, dum idem gentes remotiores nec iam nisi nomine sibi notas tamquam unitates conceptas numero singulari exprimeret. Erat ergo illi frequens commercium cum Chananaeis et Aegyptiis, itemque cum Cetthim et Dodanim.

3) Patet tandem, cur solorum Chananaeorum et Iectanidarum *fines* describantur. Iectanidae ceteris populis arctius Abrahamidis iungebantur affinitate sanguinis : conveniens igitur erat, eorum fines, licet intercederet desertum, describi. Chana-

nacorum fines Abrahamidis occupandos assignavit Deus, promissione Abrahae facta primo : ergo eorum quoque fines conveniebat describi. Descriptionem vero adiectam esse Abrahae tempore, eo sc. tempore quo adhuc exstabat Sodoma, prodit textus. Ridicule, postquam in earum urbium locum vastus successit lacus, dixisset quis : « a Sidone... donec ingrediaris Sodomam etc ». Idem Abraham optime norat Iectanidarum fines, qui in Ur Chasdim i. e. prope terram Messa seu Mes (v. 23) esset moratus, ibique Iectanidarum tribus praesens conspexisset.

De v. 18 cf. eiusdem versus expositionem.

CAPUT III.

DE INDOLE CONFUSIONIS BABYLONE FACTAE.

1. *Textus sacer non cogit defendere, posteros Noe omnes in campum Sennaar descendisse.*

Id iam viderat *Cai.* : « quia nec litera hoc sonat, nec rationi hoc consentaneum est ». Cui Caietani placito *Bonfr.* ob eam unice rationem accedere veretur, quod secus, qui relicti fuerint in oriente, omnes linguam hebraicam (!) retinuerint oporteat. *Vat.* censet ita increvisse hominum in oriente multitudinem, ut coloniae fuerint educendae : ergo sane coloniis eductis plures secundum ipsum in oriente substitere. Recentiorum plures idipsum defendunt : *A. Delattre S. I.* (Le plan de la Genèse, in Revue des Questions historiques, 1 juillet 1876, p. 33 sq.), *de Harlez* (La Controverse, juin 1883, p. 577 sqq.), *A. Motais* (Déluge p. 238 sq.), *F. Vigouroux* (Manuel I. 489 sq.), *A. Schoepfer* (Geschichte des A. T., p. 69).

Rationes sunt hae. Verba *omnis terra* 11,1 non necessario designare omnem terrae ambitum aut universos homines, sed ad summum orbem primo narratori notum vel potius eius unam regionem, ex iis, quae de diluvio disseruimus, sufficienter colligitur. Et si universum v. 1 genus humanum intelligeretur, at non is est v. 1 et 2 nexus, ut iidem omnes, qui v. 1 dicebantur unius labii, v. 2 necessario intelligendi sint in campum Sennaar descendisse. Dicat quis, 11,1-9 fusius eundem narrari eventum, qui 9,19; 10,5. 18. 32 succincte indicabatur, dispersionem omnium gentium e Noe prognatarum. Verum id gratuito fingitur. Potuit ea dispersio fieri successive, ut cap. 11 sola tandem Semitarum narretur dispersio, sive omnium sive aliquorum. Imo id contextus omnino suadet. Timor, quem v. 4 prodit *ne dividamur in universas terras*, suggerit aliquas iam ante dispersiones obtinuisse. Illi homines videntur fuisse non vagi nomades, sed fixis sedibus assueti. Videntur v. 3 iam ante novisse domos e saxis cum caemento exstructas. Illico de condendis domibus cogitant, ut crediderit eos e pristinis sedibus ab aliis quibusdam pulsos novas fixas sedes circum-

spicere. Consilium magnae urbis et turris aedificandae longe facilius intelligitur, si supponantur alibi iam tum, v. g. in Aegypto, urbes et pyramides exstitisse et si aliae gentes supponantur circum incoluisse : tum enim urbs cum turri aedificanda, imperii firma sedes et defensio, reapse cohibitura erat populares, ne inter gentes dispergerentur, iis commiscerentur, ab iis absorberentur. Quodsi tota late terra vacua supponatur fuisse hominibus, non perspicitur, quomodo ea urbs cohibitura fuerit homines, quominus tractus fertiles atque incolis vacuos occuparent liberamque procul vitam agerent.

2. *Linguarum divisio neque primum neque unice dicenda est eventu* Gen. 11,1-9 *esse effecta, neque homines usque ad illud tempus censendi sunt locuti esse lingua primitiva.*

Linguae natura evolvuntur, mutantur, dividuntur. Classes linguarum distinguuntur tres : 1) *radicales*, quae solis constant radicibus integris certoque ordine iuxtapositis, cuiusmodi dicitur esse lingua sinensis; 2) *agglutinativae*, quae radices nominis et verbi semper servant intactas, sed praefixis et suffixis significationem modificant; quae primitus radices et ipsae erant distinctae, postmodum vero corruptae et confusae non iam uti distinctae voces adhiberi queunt, sed tantummodo ut terminationes vel praefixa; cuiusmodi sunt gentium incultarum linguae vix non omnes, et praeterea eae quae a viris doctis chamiticae audiunt (aegyptiaca etc., cf. *Hommel* p. 94 sqq.); 3) *inflectentes*, quae non solum praefixis utuntur et suffixis, sed praeterea ipsas radices immutant. Quibus accensentur tam *semiticae* quam *indogermanicae*.

Porro vel ipsa rei natura patet, inflexionem ex agglutinatione, hanc e sermonis forma pure radicali esse profectam; quae sunt tria stadia necessaria evolutionis et simul corruptionis humani sermonis. Praeterea docti viri linguas chamiticas et semiticas e communi fonte fluxisse iam satis libentes concedunt, cum ob alias rationes, tum quod pronomina et aliae quaedam, quae constanter in ore hominum sunt, voces itemque terminationes aliquae eaedem esse deprehendantur. Concedunt item plures communem semiticarum et indogermanicarum originem, nondum tamen satis efficaciter demonstratam. At illud indubie constat, linguas semiticas e communi inter se fonte processisse, itemque linguas indogermanicas. Illud item multiplici constat experientia, non cultiorum tantum populorum literis consignatas, sed imprimis barbararum gentium linguas constanter mutari; et has quidem tanto citius atque penitius, quanto minus verba et formae scriptura immutabilitatem quamdam et perpetuitatem nanciscuntur. Scriptura quippe linguae corruptio retardatur. Quare

exinde, quod linguae, quae scripta habent monumenta, lentius mutentur inferre nefas est linguas populorum scriptura carentium et generis humani linguam primitivam non esse multo celerius transformatas.

Haec porro principia cum prima generis humani historia conferamus. Qualis fuerit lingua Adami, utrum pure radicalis an quadamtenus iam agglutinativa aut inflectens, ignoramus : neque enim necesse est illam in imo veluti linguarum ordine fuisse constitutam. At illud nulla ratione affirmare licet, naturalem mutationis et evolutionis legem in ea lingua exceptionem esse passam, qua eadem immutata ab Adam ad Noe perseveraverit. Quoad alias vero praeter Sethitas et Cainitas gentes ex Adamo ante diluvium derivatas, quae longius etiam a primis sedibus, moribus et sacris recesserunt, concedet sensatus quisque earum varias exstitisse linguas.

A Noe ad dispersionem Gen. 11 aliquod certe effluxit tempus, quo aliquas huc illuc dilapsas esse gentes supra suggerebamus; quarum linguas brevi a lingua Noe evasisse diversas, nulla est ratio infitiandi.

Neque dicere fas est, nullam *post* Gen. 11 narrata obtinuisse linguarum divisionem; quod et a natura linguarum prorsus est alienum atque ab iis, quae certo facta esse comperimus, discordat.

Antiquam Iudaeorum fabulam, primitivam linguam fuisse hebraeam, explodere h. l. non iuvat. Cf. *Lamy*. Inter semiticas assyro-babylonica videtur esse hebraea antiquior; dum chananaea, qua inscriptiones Tell el Amarna plures sunt exaratae, eidem est perquam affinis.

3. *Linguarum divisionem apud gentes, quae Babylone in turrim exstruendam conspiravere, auctores catholici alii subito atque miraculo, alii paulatim et sine miraculo effectam esse affirmant.*

Quomodocumque verba textus exponantur, certum est homines in Sennaar collectos *unica* omnes usos esse lingua eaque 11,4 sua discussisse consilia. Item certum est brevi post *diversas* habuisse, nam ii certe, qui Babylone substitere, non habuere hebraeam, quam posterorum Abraham fuisse scimus. Certum tandem est ex 11,3. 8 illos homines in consiliis, quae in terra Sennaar agitabant inter se, fuisse primum *unanimes*, postea *discordes*. Haec, inquam, facta indubia sunt, de quorum tamen inter se nexu dissentiunt auctores, aliis defendentibus primum miraculo effectam esse subito linguarum divisionem atque inde natam discordiam, aliis divinitus inductam esse discordiam affirmantibus atque inde dispersas gentes linguasque paulatim et sine miraculo divisas.

A. — Igitur antiqua Iudaeorum traditio illud utique habebat, subito miraculo in-

ductam linguarum divisionem causam exstitisse dispersionis gentium. Ita *Ios.*: itemque *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* etiam addentes: « Lingua sancta loquebantur (Gen. 11, 1), qua creatus est mundus a principio ». « Quin et Cabalistae notant in Baal Hatturim, שפת אחת i. e. *labium unum* per gematriam significare לשון הקדש, *linguam sanctitatis* i. e. hebraicam, quia numeri utrobique iidem sunt » (*Bochart.*, Phaleg I. 15). Imo vel ipsis Iudaeis traditio de linguarum confusione antiquior esse deprehenditur, cum eadem etiam a *Beroso* recitetur: cf. *Euseb.* Praep. evang. IX. 14 sq. (*M.* 21.701 sqq.). Eam secuti sunt *Chald. Syr.*, שפה Gen. 11 constanter vertentes לשון; item *Vulg. LXX* eandem vocem, praeter *labium*, *vox*, χεῖλος, φωνή etiam vertentes *lingua*, γλῶσσα. Consentiunt Patres, quorum tamen pauci admodum locum ex professo interpretati sunt. Ita *Or.* (In Num. Hom. 11; *M.* 12.648 sq.) angelos ait uni homini impressisse linguam babylonicam, alii aegyptiam etc., lingua Adae apud Hebraeos permanente; hoc ultimum tuetur item *Ephr.*, dum *Theodoret.* linguam primitivam adstruere videtur syram, hebraica postmodum Moysi divinitus revelata. Linguas miraculo exortas item docuere *Chrys.*, *Proc.*, *Cyrill. Alex.* (Contra Iulian. IV et VII; *M.* 76.705 sqq. et 857); apud latinos *Aug.* (De Civ. Dei XVI. 4; *M.* 41.482 sqq.), *Isidor.*, quem fere sequuntur *Beda* (*M.* 91. 229), *Ps. Beda* (*M.* 93. 299), *Rup.*; item *Ps. Aug.* (De Mirab. S. Scr. I. 9; *M.* 35. 2160), quem sequitur *Ps. Eucher.* (*M.* 50.940 sq.), qui septuaginta duas linguas ortas scribunt pro numero populorum in Sennaar adunatorum; *Cl. M. Victor* in carmine *M.* 61.959 sqq. Obiter quaestionem attingunt *Bas.* (Lib. de Sp. S., 29.74; *M.* 32. 208), *Ps. Ambr.* (in Phil. 3,5-7; *M.* 17. 414 sq.), *Hier.* (Quaest. hebr.), *Ps. Iuvencus* in carmine *M.* 19.355, *Hugo* aliique. Miraculi rationem ita explicat *Alcuinus* (*M.* 100.533 sq.), cui assentitur *Walafr.*: « Non in hac divisione linguarum novum quid condere creatorem aestimatur, sed dicendi modos et formas in diversis loquelarum generibus divisit. Unde easdem syllabas et eiusdem potestatis literas (licet) aliter coniunctas, in diversis gentium linguis inveniemus; saepe etiam eadem nomina vel verba aliud significantia in alia lingua, atque aliud in alia. Ubi dicimus in Psalmo « in virga ferrea », in graeco habetur ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ: igitur in latino *sidera* non *ferrea* significat, sicut in graeco, sed *astra* ». Alii cautiores missa, quam revelatio non suppeditat, explicatione facto insistunt Gen. 11 narrato. Funditus hanc totam quaestionem tractatam invenies apud *F. Kaulen:* Die Sprachverwirrung zu Babel, Mainz 1861.

B. — Praeter hanc antiquam sententiam alia nuper in lucem prodiit, quae textum ait non necessario intelligi oportere de confusione *linguarum*, sed intelligi posse de confusione *sermonum* seu consiliorum, ob quam intermissum sit aedificandae turris opus sintque dispersae gentes. Cf. *A. Motais* et *de Harlez* ll. cc., *Ch. Robert* (La non-universalité du déluge p. 66 sqq.; etiam in Muséon), *F. Vigouroux* (Manuel I. 493). Quae sententia cum non in doctis commentariis delitescat, sed in libris circumferatur omnium usui destinatis, eius nobis h. l. argumenta sunt recensenda.

1) Primum igitur haec sententia auctoritatem appellat *Greg. Nyss.* (Contra Eunom. XII; *M.* 45.992 sqq.). Qui totus est in demonstranda thesi, verbis non divino interventu sed naturali evolutione suas affixas esse significationes. « Quemadmodum motrici animali data facultate non iam singulos gressus efficit Deus (ubi enim semel ab auctore suo initium sumpsit natura, seipsam movet atque dirigit, ad id quod cuique lubet energiam applicans: nisi forte dicas hominis gressus divinitus determinari), sic postquam loquendi, sonos edendi ac placita enuntiandi facultatem a Deo accepit natura, proprio iam instinctu medias fertur per res, signa quaedam rebus exsistentibus secundum sonorum differentiam imponens. Quae a nobis dicuntur verba et nomina, quibus rerum indolem significamus ». Perspicit vero Greg., contra

hanc doctrinam exceptionem ex Gen. 11 proferri posse. « Quod si quis confusionem, quae in exstruenda turri accidit, ut dictis contrariam profert, neque illic linguas hominum facere Deus dicitur, sed eam quae erat confundere, ut cuncti cunctos non audirent ». Quae cum sint ipsius LXX expressiones, intimam Gregorii mentem nondum pandunt. Pergit ipse : « Quamdiu enim una omnes vivebant necdum in multas gentium differentias dispertiti erant, omnis hominum plenitudo univoca cohabitabat. Quando autem per Dei voluntatem oportuit universam ab hominibus incoli terram, tum divulsi alius alio secundum vocis communionem dispersi sunt atque, in alium et alium verborum et vocis characterem transmutati, nacti sunt homophoniam quamdam communis unanimitatis vinculum. Consonam habebant rerum cognitionem, sed nominum forma differebant. Non enim aliud quid apud alias lapis aut lignum videtur, sed apud singulos materiae nomina differunt ». Et immediate concludit : « *Quare fixa nobis manet sententia* », non obstantibus sc. iis quae Gen. 11 narrantur, « *quae voces humanas nostrae mentis inventa esse definit.* Neque enim a principio, quando unilingue erat totum genus humanum, homines divinitus verba edoctos esse e Scriptura discimus neque, ubi in varias linguarum differentias discissi sunt, divina quaedam lex, quomodo quisque loqueretur, praestituit. *Sed volens Deus homines diversis uti linguis, dimisit naturam pergere via sua* atque pro lubitu apud singulos articulare sonum ad nominum declarationem ».

2) Tamen hoc Gregorii effatum, quod unicum sit atque obscurius, nequaquam sufficit ad auctoritatem adversae traditionis infirmandam. Quare recentioris sententiae patroni hanc ipsam *traditionem* adoriuntur. Iudaeorum nullam hac in re veri nominis traditionem agnoscunt, quod illorum de confusione linguarum placita intime nectantur aliis duabus, indubie spuriis traditionibus, sc. linguam primam fuisse hebraeam, gentesque universas tempore dispersionis fuisse septuaginta numero. Neque ea, quae e Beroso aliisve traditionibus ethnicorum afferuntur, genuinum efficere traditionis argumentum concedunt, cum ea partim sint indeterminata et incerta, partim non ipsorum fontium sed auctorum sive christianorum sive iudaeorum verbis relata, neque tandem plus efficiant, quam antiquissimis temporibus divisionem linguarum cum populorum dispersione populorum traditionibus fuisse connexam. Quomodo vero nexus ille, si fictus supponatur, potuerit antiquitus affirmari atque affirmatus a tam multis credi, non ita difficile explicari censent. Litera sc. textus, qui populorum dispersionem referebat, poterat, licet minus apte, de linguarum etiam divisione exponi. Ut autem exponeretur illud impellebat, quod et populorum dispersio ex uno et linguarum ex una multiplicatio omnium oculis paterent, illa divino interventui adscriberetur effecta, huius naturalis evolutio penitus ignoraretur : quid igitur magis erat pronum, quam ut linguarum multiplicatio eidem divino interventui effecta adscriberetur, qui populos dispersisset? Neque Patrum tandem auctoritatem hac in re concedunt traditionis efficere argumentum : non enim ut testes genuinae, inquiunt, hac in re traditionis loquuntur, sed ut privati interpretes, quique textum, ut plurimum, non Hebraeum sed Vulgatae aut LXX interpretentur, quae versiones Iudaeorum expresserant placita. Urgent, paucos numero Patres hanc quaestionem attingere, perpaucos ex professo eandem discutere.

3) Tandem ad ipsum *s. textum* totam revocant disputationem. *Hebr. Sam.*, inquiunt, 11, 1-9 semper utuntur voce שפה, dum 10, 5. 21. 31, quibus locis indubie de *lingua* sermo est, constanter habent לשון. Facitque illud discrimen tanto maiorem admirationem, quod utrobique agatur de re vix non eadem, cap. 10 de gentium omnium inter se distinctione, cap. 11 de gentium quarumdam dispersione. Iam diversarum illarum in duobus hisce capitibus tam constanter adhibitarum vocum, ni cum pseu-

docriticis diversos auctores adstruere lubeat, ratio nequit assignari alia, nisi agi reapse de diversis rebus. Atque de diversis rebus illae voces sat facile exponuntur. Quippe לשון, quod sensu proprio illud membrum, quod *linguam* vocamus, designat, sensu vero translato *sermonem* (« Imitaris linguam blasphemantium », Iob 15, 5), communissimo non apud Hebraeos tantum, sed apud Semitas universos tropo ad significandam *linguam* (Sprache, language) derivatur; cf. *Chald. Syr.*, qui Iudaeorum de confusione linguarum traditionem sequuntur, Gen. 11, 1-9 constanter pro שפה substituentes לשון. E contra שפה sensu nativo *labium* sonat; saepe hoc membrum designat tamquam humani sermonis sedem (Iob 11, 2; Prov. 10, 18; 26, 23; Ps. 119, 2; Ez. 36, 3); inde ipsum exprimit *sermonem* (Is. 33, 19). Contendunt vero, e nullo textu significationem *lingua* indubie pro voce שפה erui.

Textus h. l. examinandi veniunt sequentes. Ps. 80 (81), 6 : « linguam, quam non noverat, audivit ». Sed vocem h. l. interpretantur *Aug.*, *Ps. Hier.* (Breviar. in Ps.; *M.* 26. 1059) *verba*, melius etiam *Theodoret.* aliique *vocem*. Scilicet cum exiret Israel de Aegypto, audivit in monte Sinai vocem Dei, quam reapse antea nondum audierat. — Is. 19, 18 : « In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua (שפה) Chanaan ». Omnes docent sensum esse, non civitates illas Aegypti locuturas esse lingua hebraica, sed imitaturas esse sensus populi electi. Atqui is sensus e consueta vocis שפה significatione facile eruitur, quin ad insuetam significationem *lingua* recurratur : loquentur labio, sermone, animo Chanaan. — Is. 28, 11 : « In loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum ». Verbotenus : In balbutio labii et lingua aliena etc. Is. 33, 19 : « Populum impudentem non iam videbis, populum profundi labii, qui nequeat exaudiri, balbutientem lingua, qui nequeat intelligi ». Ez. 3, 5 sq. : « Non enim ad populum profundi labii gravisque linguae tu mitteris, ad domum Israel, neque etc. ». Quibus textibus sine dubio de lingua sermo est : at non ideo vox שפה *linguam* sonat, sed *labium*, membrum sc. corporis. Populi alienis, quae ab Hebraeis intelligi nequeant, linguis (language) loquentes exhibentur tamquam labiis balbutientes et profundos i. e. inintelligibiles sonos edentes, item tamquam balbutientes linguis gravibusque utentes linguis, quae sonos Hebraeis auribus familiares edere nequeant. Ergo, licet de linguis (language) gentium reapse sermo sit, tamen vox שפה his textibus labium sonat, utique qua instrumentum est edendae linguae.

4) Neque *contextu* sibi auctores laudati adigi videntur, ut שפה de lingua potius, quam de sermone, mente, consiliis interpretentur. Expressio *unius esse labii* secus in scriptura non legitur; per se intelligi potest de unitate sermonis, hinc mentis et consiliorum. Ea v. 1 copulatur alteri expressioni *et sermonum eorumdem*. Cuius expressionis sensum poteris cum *Chrys.* pluribusque aliis intelligere eundem esse, atque praecedentis expressionis *unius labii*. At tum neutra, inquiunt, unitatem linguae significat, cum דבר, דברים non linguam designet, sed verbum, sermonem, unitas vero sermonis prodat unitatem mentium, concordiam. Alii cum *Or.* (Selecta in Genesin; *M.* 12.112) expressiones distinguunt. Et ipse quidem coniicit, דברים ad sermonem pertinere, et שפה ad cogitationem, aut vice versa; *F. Kaulen* p. 12 ait שפה designare linguae structuram grammaticalem, דברים partem eiusdem lexicalem. — Expressioni, quam modo discutiebamus, parallela est altera v. 6 : « Ecce unus est populus, et unum labium omnibus ». Annon ea idem edicit atque 10, 5. 20. 31, ubi dicebantur *populi* distingui secundum *linguas?* Tamen laudati auctores discrimen demonstrant vocum שפה et לשון, hunc que suggerunt sensum : Ecce unus est populus et unus sermo, una mens omnibus. — *Unitati labii* opponitur v. 7. 9 *confusio labii* בלל (*Syr.* פלג, *LXX* συγχέω; cf. Os. 7, 8), eaque explicatur v. 7 : « ut non audiat unus-

quisque vocem proximi sui ». Ubi conferantur, quos supra describebamus, textus Is. 33, 19 et Ez. 3, 6, in quibus *non audire* idem est atque non intelligere linguam alienam. Verum respondent, expressionem varium pro vario contextu sensum admittere. Non auditur i. e. non intelligitur *lingua*, quae ignoratur; *verba* non audiuntur i. e. non intelliguntur balbutientis; *sermo* discordantium non auditur, eorum *mens* sermone expressa non perspicitur vera esse, ob animorum discordiam.

CAPUT IV.

GENERATIONUM FILIORUM NOE COMMENTARIUS.

Pericope, quae Generationum filiorum Noe titulo in nostris bibliis inscribitur, praeter Generationes proprie dictas continet 11, 1-9 additamentum quoddam. De utroque seorsim agendum.

1. *Genealogia populorum Gen.* 10.

Cap. X v. 1 « *Hae sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham et Iaphet* ». De nomine *Iaphet* diximus ad 9,27. Item de nomine *Sem* monuimus ad 9,26, uti Deum paronomasia petita a voce שם, qua significet *nomen, gloria :* cf. Slavorum nomen a *slava,* quod etiam significat gloriam. Nomen שם utique a שבה *altum esse* videtur derivari atque ideo fieri potuit, ut nomen patriarchae imponeretur ab altitudine regionis ei tributae depromptum. Cf. *F. Hommel* in : Atti del quarto Congresso internazionale degli Orientalisti, I. 219 sqq.; *Len.* II. 1. 195 sqq. Tamen cum primitivam nominis formam ignoremus, imo vel linguam ad quam illud primitus pertinebat, prudenter sistamus in eo, quod 9,26 docemur. *Cham* sonat *calidum* חם, quae vox cum חום *niger* sat facile potuit permutari. Perperam tamen aliqui tribus filiorum Noe nominibus putavere designari tres illas magnas populorum familias (*gall.* race), quae colore cutis distinguuntur albo, nigro, rubeo (*Hitzig* ap. Dillm. p. 167). Sunt utique, quae ante demonstrabamus, colorum discrimina, at non qualia ab his auctoribus describuntur : Semitae non sunt rubei neque Chamitae nigri. Aliunde Aegyptii antiquitus suam regionem appellabant *keme-t* i. e. terram nigram, quod nomen hebraicae linguae adaptatum reapse sonat חם; hincque Aegyptus Ps. 77 (78), 51; 104 (105), 23. 27; 105 (106), 22 vocatur « terra Cham », quod nomen Hebraeis, potius quam vocem *keme-t,* in memoriam profecto revocabat Cham patrem Mesraim Aegyptiorumque proavum. At perperam inde *Len.* II. 1. 195 infert, patriarcham Cham

esse ipsam Aegyptum personnificatam. Cham est unus ex octo illis hominibus, qui in arca salvati sunt. Conferenda h. l. etiam est, quae *Beroso* tribuitur narratio de Zerovano, Titano et Iapetosthe. « *Natique sunt eis filii post diluvium* »; non quod ante diluvium non genuerint (*Cai.*), de hoc enim nihil traditum habemus, sed ut meminerimus, nullos eorum liberos, si qui ante nati sint, in arca esse salvatos.

Post *titulum* sequuntur

a. Iaphetidae.

v. 2 « *Filii Iaphet: Gomer et Magog et Madai et Iavan et Thubal et Mosoch et Thiras.* » v. 3 « *Porro filii Gomer : Ascenez et Riphath et Thogorma* ». v. 4 « *Filii autem Iavan : Elisa et Tharsis, Cetthim et Dodanim* ».

A notioribus hic procedendum ad minus nota, illis sane praeprimis accensendum est *Madai*, quod indubie in scriptura *Medos* designat. Primum post Pentateuchum commemorantur 4 Reg. 17,6; 18,11, ubi Salmanassar IV narratur captivos regni Israel transtulisse in civitates Medorum. Cf. Is. 13,17; 21,2; Ier. 25,25. In libris posterioribus frequens, uti patet, est Medorum mentio. In Assyriorum annalibus Medi hoc nomine (*Ma-da-ai*) primum commemorantur tempore Rammannirar regis (812-783), credunturque esse iidem atque *Ma-ta-ai* ab eius praedecessore Samsiramman et *A-ma-da-ai* ab eius avo Salmanassar II commemorati. Cf. *Schrader*, *Len.* II. 1. 504 sq. Cf. etiam *Schrader* KG p. 172 sq. Cum iis Assyrios antiquitus nonnisi rarius congressos esse, docent haec Sennacherib verba : « Revertens amplum tributum accepi a Medis dissitis, quorum sub regibus antecessoribus meis ne nomen quidem regionis auditum fuerat, eosque meo imperio subieci ». Incolebant utique tum Medi nonnihil magis orientem versus, variis aliis nationibus montes Gordyaenos obtinentibus. At alia h. l. se offert quaestio. Constat quippe Medorum postmodum gentem e duabus nationibus coaluisse, sc. ex Indogermanis Persarum maxime affinibus et ex tribubus subactis, quae ante ipsos videntur regionem obtinuisse et satis apte *protomedicae* appellantur. Quae duae nationes diversas omnino habent linguas in inscriptionibus trilinguibus Achaemenidarum. Unde oritur quaestio, nomen *Mada* fueritne primitus Indogermanorum et inde, ceteris ab ipsis subactis, commune omnium evaserit; an fuerit nomen gentis protomedicae ab ipsis eorum subactoribus susceptum, simili ratione atque Anglorum gentis subactae nomen vel ipsorum Normannorum nomen evasit. Et *Hommel* quidem p. 256 nomen *Mada* a protochaldaico *mada* i. e. regio repetebat; sed p. 506 se correxit fassus

vocum consonantiam dicendam potius videri fortuitam. Reapse illud iam tamquam probabilius tenendum (cf. *Len.* II. 1. p. 504 sqq.), nomen primitus Indogermanorum fuisse. Neque tamen hinc sequitur, quod vult idem auctor p. 499, Gen. 10 nonnisi post subactos in Media ab Indogermanis Protochaldaeos fuisse concinnatum.

Etiam quis *Iavan* sit, indubie constat: sunt sc. *Graeci* (cf. Dan. 8,21; 10,20; 11,2) recteque monet *Ios.*, nomen idem esse quod secus *Ionia* scribatur, scribebaturque antiquitus reapse digammate Ἰάϝων. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* vertunt Macedoniam, quod in idem recidit. Hethaeis contra Ramsen II opem tulere *Yevanna*, quorum antea nomen erronee legebatur Mavanna (Maeonii!) vel Ilunna (Ilion!). — Cf. *M. Müller*, Asien u. Europa p. 369 sqq.). Sargon, rex Assyriorum, gloriatur « se expulisse uti pisces incolas terrae Iavan, qui habitent in medio mari », et Sennacherib classi in Sinu Persico collectae imposuit « nautas de Tyro, Sidone et Iavan, quos duxerat captivos ». Ubi conferas, quod refert *Euseb.* Chron. I. 9; *M.* 19. 123) ex Abydeno, Sennacherib prope oram Ciliciae devicisse Graecorum classem. Agitur in his sane de piratis graecis, cf. Ioel 3,6. Pluries vero in monumentis Darii Hystaspis commemorantur *Iavanu*. Cf. *Schrader*, *Len.* II. 2. 1 sqq. — Porro filiorum Iavan unum sc. *Cetthim* recte *Ios.* interpretatum esse *Cyprum*, evidenter colligitur ex inscriptione bilingui, ubi כתי vertitur Κιτιεύς, et ex titulo frequenter occurrente מלך כתי ואדניל, « rex (urbium) Citium et Idalium » (cf. Len. II. 2. 49). Naves e Tharsis reduces in via a Cetthim certiores fiunt de ruina Tyri Is. 23,1, dum Phoenices eadem conspecta ruina v. 12 in Cetthim se recipiunt. Cf. Ez. 27,6; Dan. 11,30; Num. 24,24. Posterioribus temporibus nomen latius sumebatur pro universa Graecia 1 Mach. 1,1; 8,5, quo indirecte demonstratur cum Iavan affinitas. Item Ier. 2,10 איי כתיים pro omnibus regionibus maritimis ad occidentem terrae sanctae scribitur. Cyprus apud Assyrios audiebat *Iatnan*, sed duobus textibus dicitur *mat* seu *ir Iavnai* i. e. *terra Iavan* seu *graeca*. In ipso urbis Citium situ reperta est inscriptio Sargon regis; tres post ipsum reges assyri tributum accepere plurium regum, qui eius insulae civitatibus praeerant, ubi nomina tam regum quam civitatum sunt omnino graeca rursumque demonstrant Cetthim cum Iavan affinitatem. Cf. *Schrader* KAT ad 4 Reg. 21,1 et KG p. 242 sqq. — Quae gens nomine *Tharsis* intelligatur, iam dubitabant et dissentiebant versiones (cf. *Knabenbauer* in Ion. 1,3). *Syr.* constanter retinet *Tharsis*. *Chald.*, praeter h. l. itemque 1 Par. 1,7; Ps. 71 (72), 10, constanter sed falso vertit *mare*, tamen Ier. 10,9 gratae mutationis ergo substituit *Africam*. *LXX* habet *Tharsis* Ion. 1,3; 4,2; Is. 66,19; Ps. 71,10, sed *Carthaginem* Is. 23,1.6.10.14; Ez. 27,12; 38,13. *Vulg.* an-

ceps haeret scribens *Tharsis* Ps. 71,10; Ion. 1,3; 4,2; Ier. 10,9; Ez. 38,13, *Carthaginem* Ez. 27,12 et *mare* Ez. 27,25; Is. 23,1. 6. 10. 14; 66,19. Errat *Ios.* scribens *Tarsum* Ciliciae, quae secundum textus cuneiformes et nummos תרז scribebatur, non תרשש (*Schrader* p. 241). Praeterea Tarsus nunquam tantum floruit mercatura, quantum Tharsis floruisse describitur, quae Is. 23 tamquam Tyri colonia omnium florentissima effertur. Ier. 10,9 et Ez. 27,12 narratur argentum, ferrum, stannum et plumbum suppeditasse, et Is. 66,19 et Ion. 1,3 describitur longissime abfuisse. Carthaginem nulla commendat ratio, nisi forte locorum immensa distantia; erat quidem Carthago colonia florentissima, at non Tyriorum sed Sidoniorum, neque ulla ratione ex Iavan derivari poterat. Vel id unum, Tyrios e Tharsis stannum comportasse, ostendit prophetarum certe aevo eo nomine designari consuevisse *Hispaniam*, ubi iam *Pineda* (De rebus Salomonis IV. 14) et *Bochart* (Phaleg. III. 7) demonstrabant *Tartessum* seu Baeticam. Cuius regionis incolae erant *Tart*essii, *Turd*etani, *Turd*uli, imo forma hebraicae vocis etiam affiniore *Ther*sitae, eratque ibi locus *Tars*eion (*Len.* II. 2. 112 sqq.). Tamen inde, quod prophetarum aevo nomen Tharsis etiam vel, si mavis, unice Baeticae proprium fuerit, minime sequitur auctorem Gen. 10 idem nomen scribentem Hispaniam cogitasse. Imo id minus probabile videtur, quod reliqua Gen. 10 nomina, quotquot definire valemus, omnino gentium sint aut Asiam aut prope Asiam incolentium, dum Hispania toto Mediterraneo Mari interiecto ab eadem dividatur. Tharsis, quod de progenie sit Iavan, procul dubio circa Asiam primitus incolebat potuitque nomen pluribus veluti gressibus et per successivas stationes ex Asia tandem in Hispaniam deferri. Quare non est spernenda sententia *Kn.*, *Len.* et aliorum, nomen Tharsis idem esse atque nomen *Tyrrhenorum*, cuius antiquae formae sunt *Turs*ani, *Tyrs*eni, *Turs*ni, unde postmodum derivatae fuere formae *Tursci*, *Tusci*, *Etrusci*. Quae gens eadem est atque *Turscha*, *Tuirscha* vel *Turischa* documentorum aegyptiorum, qui regnante Ramse II cum uxoribus et liberis navibus appulere ad Libyae ora, aliis gentibus sibi foedere sociatis. Erant hi de genere *Pelasgorum*, ab Aegyptiis *Pelesta* nominatorum (cf. *H. d'Arbois de Jubainville* : Les premiers habitants de l'Europe, Paris 1877, p. 52 sqq.), neque tamen Pelasgi omnes Tursi erant (*Len.* II. 2. 127 sq.). Tursi quondam totam fere Graeciam obtinuerant : Atticam, Peloponnesum, Lemnum, montem Athos. Inde in Italiam transvecti sunt. Utrum iidem in Hispaniam traiecerint, ambigitur. Quod ut cum *Kn.* affirmes, praeter nominum consonantiam illud suadet, reapse a pluribus antiquis auctoribus (cf. *Jubainville* p. 19 sq.) Tartessios ab Iberis distingui, ut Indogermanos

illos fuisse defendere queas, licet hi non fuerint; deinde Tartessios (ib. p. 39 sq.), uti Tuirscha et Tyrrhenos, rei nauticae fuisse peritos et classe contra Phoenices dimicasse. Poteris tamen etiam cum *Len.* II. 2. 139 sq. dicere, nomine Tharsis Phoenices antiquitus designasse regionem maxime occidentalem, ad quam ipsi tum penetraverint, Tyrrhenorum sc. Italiam; postmodum longius occidentem versus progressos, idem nomen in Hispaniam transtulisse simili ratione, atque Hispani antiquum Indiarum nomen Americae recenter detectae applicaverint; consonantiam vero nominum *Tartessus* etc. cum *Tursorum* nomine esse fortuitam. Primas porro sedes habuerant Tursi in ea, quae postea Lydia est appellata, unaque cum Maeonis erant gens; unde fame compulsi emigrarunt (*Herod.* I. 7. 94).

Dodanim interpretabatur *Ps. Ion.* דרדניא, *Dardanios.* Plura affert *Kn.* nominum propriorum exempla, in quibus *ar* mutetur in *o*, v. g. Bomilcar pro Barmilcar, Sobal pro Sarbal, Himilco pro Himilcar, Auvergne pro Arverni. Cf. *Len.* II. 2. 144. Erant Dardanii Macedoniam inter et Illyriam, imprimis autem circa Troiam. Cum aliis gentibus contra Ramsen II dimicavere. Erant tamen de cognatione Thracum ideoque Gomer potius adscribendi quam Iavano. — Pro דדנים *Sam.* et *kethib* ad 1 Par. 1,7 habent רדנים, *LXX* Ῥόδιοι. Verum est *Rhodios* (cf. *M.*, Patrol. lat. 27.274.295.297.303.313.319.323.329.335.347) inter thalassocratores a *Diodor. Sic.* recenseri, colonias fundasse, ab antiquis auctoribus cum laude nominari (cf. *Len.* II. 2. 154 sqq.) : tamen tam insignem parvae ceteroquin insulae locum tribui, iure miraberis. Quodnam vero eius insulae nativum fuerit nomen ignoramus : Rhodus potius a Phoenicibus videtur esse appellata eodem, quo a Graecis Ὀφιοῦσσα, nomine, sc. a יוד, quod syr. et chald. *serpentem* designat : cf. *Bochart,* Chanaan I. 7. Neque in Rhodi nomine ullatenus invenitur illud ד, quod in רדנים. Neque hanc fuisse hebr. nominis formam inferre licet ex *Hier.* (Lib. de Nom. hebr., *M.* 23.783) : « Rhodii; quod hebraice dicitur Rodim vel Rodanim ». Quin potius hanc alteram formam videtur Hier. secutus LXX ex Gen. 10,4 esse mutuatus, priorem vero e communi usu. Illud vero praecise quaeritur, quo iure LXX Rodanim verterint Rhodios. — Si nomen quaeras nomini Rhodanim adamussim correspondens, illud habes in nomine gentis *Rotennu* seu *Roden,* qui Pharaonibus 19ae-21ae dynastiae tributa solvere (*Brugsch* II. 39) et tempore Thutmes III ab oris Orontis fluminis ad torrentem Cison et inde ad Euphraten plurimas urbes foederatas obtinebant. Nomina censet *Len.* II. 2. 320 sqq. esse non semitica. Verum est, in picturis hos Rotennu cutis colore modo Phoenices imitari modo Semitas, vestitu vero esse omnino Assyrios aut Phoenices (*Brugsch*

p. 25.37 sqq.; *Hommel* p. 154 sqq.), neque dubium est, quin in eorum regionem a meridie incursibus patentem et Semitae e Mesopotamia et Chananaei penetraverint, urbes plures occupaverint, retento tamen antiquo confoederationis nomine. Praeterea, si advertas, quam fünditus simul et indubie, testibus non scriptura tantum sed item monumentis, Chanaanitae Semitis permixti fuerint Semitis assimilati, nihil est cur mireris, Rhodanim item Iaphetidas penitus in Semitas esse transmutatos. Tandem, qui coloribus depicti cernuntur Rotennu, vix non omnes sunt de numero *Rotennu superiorum* i. e. eorum, qui Palaestinam aut prope Palaestinam incolebant : verum hanc regionis partem tempore Thutmes III iam totam in potestatem transiisse Semitarum et Chamitarum, haud negamus. Qui tempore Ramsis III (*Lepsius*, Denkmäler III. 207) repraesentantur *Rotennu inferiores*, vestitu quidem et barba Phoenices imitantur, at vittas capitibus non gerunt neque cincinnos, neque oris conformatione Semitas imitantur.

Tandem *Elisa*, quod omisso ה finali *Sam.* scribit אלוש, *Ios.* interpretatur *Aeoles*. Transformatio formae Αἰολεῖς in אלישה durior quidem apparet (*Del.*), admitti tamen potest (*Len.* II. 2. 37 sqq.). Rem vix non certam reddit Ez. 27,7 : de insulis sc. *Elisa* accipiebant Tyrii purpuram; iam vero post Phoeniciae litus regio nulla purpurae feracior Laconia et insulis obiectis. Alii suggessere Ἐλευσίς, Ἠλίς, Ἑλλάς, quae tamen explicationes sola nominum similitudine eaque valde imperfecta nituntur.

Thubal et *Mosoch*, uti in Genesi, ita etiam alias intime copulantur Ez. 38,2 sq.; 39,1, ubi iidem coniunguntur Magog; praeterea Ez. 27. 13, ubi coniunguntur Iavan; item Ez. 32,26. Ez. 38,6 iisdem foedere iunguntur Gomer et Thogorma, haeque omnes nationes describuntur incolere « ad latera aquilonis », i. e. ad septentrionem Palaestinae. Iamvero in annalibus Assyriorum constanter commemorantur *Muski* et *Tabal* tamquam invicem confines, quorum hi ad septentrionem incolebant Cilicum (Chilakku; cf. etiam *Cicero*, epist. ad famil. 15,4 : « his [Eleutherocilicibus] erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani »), illi prope hos et Euphraten, ad septentrionem Commagenae et Melitenae. His rursum finitimi erant *Kaski*. Porro auctores antiqui (cf. *Herod.* 3,94; 7,78) commemorant *Tibarenos* et *Moschos*, *Colchis* finitimos. Dubitari haud potest, eas gentes easdem esse, ut Tibarenis correspondeant Thubal et Tabal, Moschis Mosoch et Muski, Colchis Kaski. Sed adverte tempore imperii Assyriorum eas gentes Amanum et Cappadociam obtinuisse, dum serius Pontus Euxini litora incoluerint : aut primitus ab Amano ad Pontum totam obtinebant regionem, aut postmodum e pristinis sedibus septentrionem versus commigrarunt, iis

tamen, quos Cicero commemorat, Tibaranis in antiquis sedibus relictis. Cf. *Schrader* p. 155 sqq.

Obscurior de *Gomer* quaestio. Ex Ez. 38,6 finitimi videntur fuisse Thubal et Mosoch. *Ios.* dicit *Galatas*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* אפריקי i. e. *Phrygiam*, dum *Ges.* monet *Cappadociam* apud Armenos audire *Gamir*. Reapse eum tractum post Assarhaddonem obtinuere *Gimirrai* seu *Cimmerii*, quorum etiam meminit *Herod.* 4,11; 4,99 sqq. Et ipse quidem narrat, eos antea Scythiam incoluisse ab occidente fluminis Tanais et a septentrione Paludis Maeotidis, inde in Asiam anteriorem saeculo septimo irrupisse. Quae si concedas, non illud tamen concessisti, caput nostrum saeculo fere septimo primum esse concinnatum. *Kn.* e Cimmeriis etiam derivat Cimbros a Mario exstinctos, Hibernos etc., sed haec audaciora. — *Ascenez* Ier. 51,27 exhibetur sociatus Ararat et Menni opemque ferens Cyro contra Babylonem : ergo et eam gentem credideris Asiam Minorem aut Armeniam incoluisse. *Ios. Rheginos* interpretatur, sed qui ii sint ignoramus. Alii suggerunt, Πόντον Εὔξεινον, qui ante Ἄξενος vocaretur, nomen accepisse ab Ascenez; potuit utique nomen inde derivari. *Kn.* suggerit *Asas*, Germanorum maiores, potestque comparari *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* אסיא; idem *Scandinaviam* appellat, quae proprie Scandia, Scanzia vocabatur, dum *Bochart* (Phaleg III. 9) *Ascaniam* Phrygiae in medium affert. Haec omnia sunt perquam incerta. — Pro *Riphath* mendose sane 1 Par. 1,6 legit דיפת. *Ios. Paphlagones* scribit, merito utique ratus, hanc gentem uti Ascenez et Thogorma in Asia anteriore esse collocandam. Alii *Montes Rhipaeos* proponunt, non aliam sane ob rationem, nisi nominum similitudinem. — *Thogorma* Ez. 27,14 Tyriis mercatoribus equos et mulos suppeditabat. *I. Halévy* (Revue critique 1881 p. 483) et *Del.* Par. p. 247 putavere nomen idem esse atque, quod in annalibus Assyriorum legitur, *Til-garimmu*, contra quam opinionem cf. *Schrader* KAT; *Ios. Phryges* suggerit. Sed cum ipsi *Armeni* originem se ducere protestentur ab hoc Thogorma, eos sane exprimi probabilissimum est. Hi vero Armeni non semper Armeniam Maiorem obtinuerunt, sed tempore regum Assyriorum censendi sunt partem Armeniae Minoris obtinuisse, dum *Urarda*, i. e. Ararat (Ier. 51,27) seu Herodoti Allarodii montana Ararat obtinerent.

Magog Ez. 38,16; 39,3 erant equites iaciendarum sagittarum periti. Post *Ios.* plerique *Scythas* explicaverunt incolentes trans Caucasum. — *Thiras* item post *Ios.* plerique interpretati sunt *Thraces*. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* תרקי. Sed nota, Thraces primitus etiam in Asia fuisse. Thraces erant Bythinii, Thraces incolebant Samothracen etc. Tamen תירס et Θρᾷκες vel Θρᾴκες unum esse, difficile demonstratur

(*Len.* II. 2. 251 sq.), quare post *Libr. Iubilaeorum* aliqui rursum h. l. introducunt *Tyrsenos* seu *Tyrrhenos*. Adverte, quod ait *Dillm.*, horum nominum aliqua fortasse nec unica fuisse gentium nomina neque ab omnibus adhibita, quaedam cum suis gentibus periisse, alia in diversa esse mutata : non ergo necesse est, ut de singulis quibusque valeamus reddere rationem.

v. 5 « *Ab his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis* ». *Ilgen, Del., Dillm.* putant aliquod h. l. membrum excidisse atque legendum esse ad instar v. 20. 31 : « Ab his divisae sunt insulae gentium. *Hi sunt filii Iaphet* in regionibus suis etc. ». Aiunt, Madai et Magog haud posse attribui insulis gentium, primum membrum evidenter solos respicere filios Iavan, quod alterum etiam *Hier.* sentiebat. אִיִּים primarie non tam insulas significat quam *litoralia;* lacus Armeniae et Mare Caspicum Assyriis nota erant et *maria* vocabantur; ea autem maria seu litoralia attingebant Madai et Magog; poterant ergo sat commode Medi et Scythae describi tamquam in litoribus gentium habitantes. Ceterum אִיִּים latiori sensu usurpatur pro regionibus; cf. Is. 24,15 etc. Etiam Aegyptii (*M. Müller* p. 363. 369) Sardinios, Tyrrhenos, Pelasgos, Danaos (?) aiunt incolere insulas maris, vel in medio mari versari. Cum initio huius versus verbotenus idem est v. 32 : « Ab his divisae sunt gentes in terra » ; h. l. *in terris* seu *regionibus suis*. Et additur explicationis causa *unusquisque secundum linguam suam :* regiones ex linguis distinguuntur; ubi alia est lingua, alia censetur esse regio. לִלְשֹׁנֹתָם habet athnach, sola *Vulg.* post eam vocem scribit copulam : ergo sequentia sunt explicatio quaedam priorum. Regiones distinguebantur secundum linguas et simul secundum originem, singularum tribuum homines eandem servaverant linguam : hinc *secundum familias suas in gentibus suis*. Nonnihil aliter v. 20. 31 : *secundum familias suas, secundum linguas suas, in regionibus suis, in populis suis*. Singulae istae familiae proprium sibi populum et linguam fecerunt et proprias unaquaeque sedes post generalem secessionem occupavit (*Ephr.*).

b. Chamitae.

v. 6 « *Filii autem Cham : Chus et Mesraim et Phuth et Chanaan* ». *Chus* post 2,13 in s. scriptura semper significat *Aethiopes* a meridie Aegypti potens nactos regnum. Iidem ab Assyriis *Kus,* ab Aegyptiis *Kes* nuncupantur. Antiquitus Pharaones contra solos Nigritas in Nubia dimicaverant; primus Usertesen I, 12mo dynastiae Pharao, ibidem Cuschitas offendit ex Arabia illuc transvectos (c. 2300 a. C.).

Hic videtur esse locus inquirendi, quorsum in Babylonia etiam affirmandi sint exstitisse Cuschitae, quorum nomen cum nomine Cossaeorum et Chaldaeorum comparavere plures. Babyloniam antiquitus duae gentes obtinebant : Protochaldaei, quos etiam Accadios et Sumerios vocant, et Semitae qui in textibus creduntur expressione « capita nigra », i. e. nigram habentes comam, designari. Hae duae gentes linguis funditus diversis utebantur. Lingua protochaldaica insuper differebat ab indogermanis, a lingua gentis Kassi et lingua Susianorum. Protochaldaei Semitas docuere varias artes, praeprimis scripturam cuneiformem, quae certissime primitus pro lingua aliqua non semitica fuerat excogitata. Nondum tamen plane in comperto est, invenerintne eas artes ipsi Protochaldaei, an ab alia aliqua gente sint mutuati. Cossaeos auctorum Graecorum, gentem per Babyloniam, Susianam et Gordyaeos montes dispersam, eosdem esse atque Cuschitas, nullo alio hucusque argumento, quam nominum similitudine suadebatur. Tamen constat Cossaeos eosdem esse atque Kassi inscriptionum cuneiformium, et valde probabile est, Cossaeos seu Kassi eosdem esse atque Kasdu seu Chaldaeos stricte dictos. Item valde probabile est, artes seu quam vocant culturam a Sinu Persico septentrionem versus esse propagatam, sed simul certissime falsum est, culturam aegyptiacam per Cuschitas in Babyloniam esse invectam ; quin potius Babyloniae cultura eius, quae in Aegypto floruit, aut coaeva censenda est aut antiquior. Tandem licet lingua protochaldaica e numero semiticarum non sit, accuratiore studio manet definiendum, annon ea fortasse semiticarum affinis sit et ad familiam linguarum chamiticarum (aegyptiacae, libycae, aethiopicae) pertineat. Quod si unquam demonstretur et simul Gen. 10, 8 sqq. attendatur, illico patebit fere universam orbis antiqui culturam a Chamitis processisse auctoribus : in Aegypto a Mesraim, in Babylonia a Cusch, in Phoenicia a Chanaan. Cf. *Tiele* p. 62. 70 sq. 486 sq. 490.

Mesraim est *Aegyptus*, assyrice *Musur* vel *Misir*. De duali nominis forma dicebamus p. 292 — *Phuth* constanter copulantur cum Ludim et Chus Nah. 3,9; Is. 66,19 (ubi cum *LXX* corrigas פוט loco פול, et etiam cum *Vulg.*, quae hic uti Nah. 3,9 vertit *Africa*); Ier. 46,9; Ez. 27,10; 30,5; 38,5. *Vulg.* *LXX* intelligunt *Libyes*, i. e. populum aliquem intra fines Libyae latiori sensu acceptae et ad occidentem Aegypti inferioris incolentem, nam Libyes proprie dicti להבים audiunt vel לובים. Appellat *Ios.* Mauritaniae flumen aliquod Φούτης, nominum potius similitudinem quam certam traditionem secutus. Probabilissimum est, Phuth reapse alicubi prope Aegyptum aut Aethiopiam incoluisse, potuit tamen ea natio quondam florens postmodum fere aut omnino exstingui. Post *Ebers* p. 63 sqq. fere constat Phuth esse gentem *Punt*, quae in litore Africae Somali et in obiecto Arabiae litore sedes habebat. Quos, similiter atque prophetae, Darius in inscrip-

tione Naks-i-Rustam Aethiopiis copulat : Putiya Kusiya, *babyt.* Puta Kusu. Cf. *M. Müller* p. 114; *Del.* Par. p. 251. Nominis formam primitivam adstruunt *Puna,* unde effloruit quorumdam opinio parum probabilis hos Puna esse *Poenos;* quae pro hac opinione proferuntur, congesta reperies apud *Hommel* p. 136 sqq. Poenos seu Phoenices certe non intelligebant prophetae, quando Phuth commemorabant. Admirationem porro facit, formam Puna in Phuth transformatam penitus supprimere consonantem radicalem *n,* religiose retenta terminatione feminina *t.* Ubi affirmat *M. Müller* in nominibus propriis Africae Orientalis consuevisse Aegyptios retinere eam terminationem. At *Ebers* p. 64 negat illud *n* esse radicale aut nomen a forma Puna fluxisse; sed nasalem *n* ait introductam esse in formam primitivam *Put,* quod nunquam pura dentali uterentur Aegyptii, sed illam praemisso *n* mollirent, v. g. *Ndarius* pro *Darius.* Quo admisso longe facilius conceditur, idem esse Punt quod Phuth. Cf. *Knabenbauer* in Nah. 3,9. — De *Chanaan* vix est, quod addamus. Eo nomine Aegyptii (*M. Müller* p. 205 sqq.) Palaestinam cum Phoenicia appellabant. Palaestina in textibus cuneiformibus *Mat Acharri* audit, i. e. Occidens.

v. 7 « *Filii Chus : Saba et Hevila et Sabatha et Regma et Sabatacha. Filii Regma : Saba et Dadan* ». De his plura sunt incerta, tamen incoluisse omnes Aethiopiam aut Arabiam in comperto est. Prius Saba (סבא) est regio longinqua Ps. 71 (72), 10 producens procerae staturae homines Is. 45,14. *Ios.* (Ant. II. 10. 2) interpretatur *Meroen,* quae tamen regio in monumentis nunquam סבא audit; *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* סיניראי i. e. Sennaar, regionem sane ad Nilum intelligentes. Alii hoc Saba collocant magis ad orientem, in litore maris, ubi *Strabo* 16,4. 8. 10 novit Σαβαϊτικον στόμα, λιμὴν Σαβά, Σαβὰ πόλις εὐμεγέθης, *Ptolem.* 4,7. 7 sq. Σαβὰτ πόλις ἐν τῷ Ἀδουλικῷ κόλπῳ. — *Hevila,* fortasse eadem gens atque 2,11 : habetur κόλπος Αὐαλίτης vel Ἀδαλίτης et gens Ἀδαλῖται in extremo litore Maris Rubri, a parte Africae (Peripl. Maris Erythr. 7 sq.; *Ptolem.* 4,7,10. 27. 39; *Marcian. Heracl.* 1,2; *Plin.* 6,34). *Ios.* quomodo in *Gaetulos* inciderit, ignoratur. — *Sabatham* idem dicit *Astaboras,* gentem incolentem prope eam Nili partem, quae Astaboras, nunc Atbara, dicebatur. — De *Sabatacha* nihil scimus omnino. — *Saba* (שבא) est regio ferax auri, thuris, gemmarum Is. 60,6; Ier. 6,20; Ez. 27,22; Ps. 71 (72), 15, cuius regina adit Salomonem 3 Reg. 10,1; 2 Par. 9,1 impositis super camelos thesauris. Item Sabaei Iob 1,15 latrocinia exercent in deserto sane non Africae, sed Asiae. Sunt ii *Sabaei* Arabiae antiquitus notissimi, in quorum inscriptionibus reperit *Halévy* (Journal Asiatique VI. 19, n. 535, 11 et 577,6) nomina רעמה et דדן.

Stephan. Byz. novit urbem Arabiae Ῥηγμα in ora Sinus Persici sitam. Cf. etiam *Schrader* ad Gen. 25,3.

v. 8 « *Porro Chus genuit Nemrod* ». Cum ex Cap. 11 constet, Noe progeniem ante dispersionem in regione Sennaar una habitasse, haud est mirum eosdem Cuschitas, qui postea Aethiopiam et Arabiam incoluerint, Nemrodi aevo in Sennaar sedes habuisse. Gratuito igitur *Schrader* KAT ad v. 6 adstruit fuisse Nemrod de tribu Kassi seu Cossaeorum, et s. auctorem confudisse hos Cossaeos cum Cuschitis v. 6 ob nominum similitudinem, ideoque scripsisse Nemrod filium Chus eiusque h. l. historiam inseruisse. Inseritur ea autem, non quod fuerit sextus aliquis Chusi filius (*Cai.*), sed quia, « quod credibilius est, seorsum de illo propter eius eminentiam scriptura locuta est » (*Aug.*). Textus minime dicit fuisse filium uti illos quinque v. 7 : si illi erant immediate geniti, potuit ille mediate tantum ex Chus trahere originem. Praeterea illi reapse sunt totidem populi, Nemrod certe est individuum, ut patet vel ex adiecto proverbio. Quem volunt esse eundem atque heroem illum et venatorem babylonium, cuius nomen legitur Izdubar (cf. *G. Smith :* Chaldäische Genesis, Leipzig 1876, p. 51 sqq.). « *Ipse coepit esse potens in terra* ». Dicitur *coepisse*, uti 9,20 affirmatur coepisse Noe plantare vineam, 4,26 Enos invocare nomen Domini; non tamen necessario absolute, sed post diluvium. גבר *Vulg.* vertit *potens* explicatque *Hier.* de arrepta primum tyrannide. Sed eadem vox bis in eodem contextu recurrens intelligatur oportet eodem sensu : ergo deberetur etiam v. 9 *potens venator* intelligi de tyrannide, quod absurdum est; neque dicas cum *Cai.* sermonem esse de venatione hominum. *LXX* γίγας referunt ad molem corporis. Plenius vocis sensum perspicies, si conferas alterum locum 6,5, qui eandem vocem habet : « Isti sunt heroes illi, qui antiquitus exstitere, viri famosi ». Iam post illos heroes antiquos et diluvio priores exsurgunt alii postdiluviani, praeprimis Nemrod. S. auctor inculcat, eum *heroem,* de quo tanta tamque exaggerata narrabantur, non fuisse nisi hominem, venatorem, regem quemdam. Simul vox *coepit* innuit, fuisse et alios praeter Nemrod eiusmodi heroas semideos : sed unius fecisse mentionem sat erat. Porro heroem se exhibuit Nemrod in duobus, primum venatione v. 9, dein imperio v. 10. Illud ad alterum fuit gradus : etenim venatio, in qua se heroem praestitit, non tam est ea quae mere cibum comparat (cf. 9,3), quam potius ea quae feras devincit : venatorem autem illum, a quo tam efficaciter a leonibus aliisque feris protegerentur, libenter eius aevi homines regem agnovere. Demonstrant haec aevum, quo nondum bellis se internecare homines assueverint. v. 9 « *Et erat robustus venator coram Domino* ».

Quid *coram Domino? Vat.* « sub coelo, i. e. fortissimus omnium hominum ». Significatio « sub coelo » arbitrarie affingitur. *Drus.* « divinum in modum potens », consentiuntque *Ku.*, *Del.*, *Dillm.* Respondeo, quando per לפני duae res comparantur inter se, non exprimitur aequalitas sed excessus, ergo « potens prae Deo » : cf. Iob. 34, 19 « qui non considerat nobilem prae (לפני) paupere ». Ceterum absurde comparatur Deus homini quoad artem venationis. Neque prodest appellare textus v. g. Ps. 35 (36), 7, nam « mons Dei » non est idem, atque si legeretur « mons coram Deo ». *LXX* ἐναντίον, vox anceps, movit quosdam, ut praetenderent fuisse Nemrod venatorem « contra Deum »; novere hanc interpretationem *Cai.* et *Sa,* qui explicat « Deo inspiciente et ferente (?) »; veram profitentur *Keil* et *Budde* p. 393. Reapse, quomodo ea venatio (nam de venatione agit v. 9, non de imperio) potuerit esse « contra Deum », non perspicio. Explanatio unice vera quamque tuentur *Sa, Menoch., Per., Bonfr.* est « vere » seu (*Tir.*) « revera et eximie, utpote iudicio Dei, qui falli non potest ». Cf. 4 Reg. 5, 1 « magnus coram domino suo », i. e. aestimatione domini sui; Prov. 14, 12 « rectus coram hominibus », i. e. eorum iudicio; Est. 5, 14 « et placuit verbum coram Aman », i. e. eius iudicio. Expressio illa sane, ubi de venatore agitur, nonnihil sapit hyperbolen, sed hyperbole non est sacri narratoris sed proverbii, quod explicandum suscipit.

« *Ob hoc exivit proverbium : Quasi Nemrod robustus venator coram Domino* ». « Cum demonstrare vellent aliquem fortissimum esse, dicebant esse alterum Nemrod » (*Per.*). Benedictionis formulam imaginatur *Ephr.* : « Esto sicut Nemrod robustus venator ». Sed hic nascitur quaestio, utrum haec laudem Nemrodi tribuant an vituperium. Laudem putavere *Ephr., Abenesra, Kimchi.* Tamen interpretes longe plures sinistre de Nemrod sentiunt. Ita iam *Ios.* Nemrod inducit iniuste tyrannide potitum exstruendaeque turris auctorem, quod quidem ex scriptura non habemus. Et *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*, nomen a מרד derivantes, hominem faciunt vel ipso nomine *rebellem :* « a die creati mundi non fuit sicut Nemrod potens in venatione et rebellis coram Domino ». Si nominis prima forma fuit Nemrod, haud probabile est habuisse significationem *rebellis :* quis enim pater filio nomen indat *rebellis?* Alii putant, nomen primitus nonnihil aliud fuisse, sed ob hominis insolentiam esse ita mutatum, ut *rebellem* denotaret. In quibus omnibus certi est nihil. An forte aliquid coniicere fas erit ex eo, quod Nemrod comparari videatur illis גברים, qui utique 6,4 Deo exosi describebantur? *Chron. Paschale* (*M.* 92. 145), *Cedrenus* (Hist. Compend., *M.* 121. 53) aliique (cf. *Budde*) tradunt, Nemrod post mortem inter sidera esse relatum iamque venatore Orione repraesentari : unde coniicit *Budde* credidisse homines atque proverbio expressisse, Nemrod

in poenam impietatis a Iahve in firmamentum esse translatum atque ibi inter astra venationem exercere. Etiam haec gratuito finguntur.

v. 10 « *Fuit autem principium regni eius Babylon et Arach et Achad et Chalanne, in terra Sennaar* ». *Erech*, Ὀρχή, assyr. Arku vel Uruk eo loco fuit, ubi nunc ruinae Warka nuncupatae exstant, in sinistra Euphratis ripa ad meridiem Babylonis (*Schrader*). *Accad* antiquitus Agade audiebat, nunc Abu Habba, solo interiecto flumine a Sippara dividebatur, unde ambae simul urbes Sepharvaim i. e. duae Sipparae dicebantur (*F. Hommel* I. 242 sqq.). *Chalanne* (cf. Is. 10,9; Am. 6,2) fortasse eadem est, quae assyr. Kulunu; situs est adhuc incertus, non videtur longius abfuisse Babylone. — *Sennaar* ex 11,2 et Dan. 1,2 et ex h. l. certe significat Babyloniam, urbe Babel minime excepta.

Igitur testimonio monumentorum falsum esse demonstratur interpretamentum, quo *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*, *Ephr.*, *Iac. Edess.* Arach, Achad et Chalanne pronuntiant esse Edessam, Nisibin et Ktesiphontem. — Admirationem facit illud, in textibus cuneiformibus urbem semper, vel Cyri tempore scribi *Agade*, regionem vero *Akkadu*. Aiunt nomen apud gentem Semitis antiquiorem consonante molliore pronuntiari consuevisse, cui Semitae suffecerint duriorem. Etiam urbem duriore consonante pronuntiari consuevisse, ostendit vel ipse textus Gen. 10, 10. Tandem vir literarum cuneiformium imprimis gnarus *G. Smith* affirmabat visum a se fragmentum textus cuiusdam bilinguis, hinc protochaldaei illinc assyri, in quo protochaldaeum *Agade* reddebatur assyre *Akkadii* (*Del.* Par. p. 198). Quod quidem fragmentum demortuo viro doctissimo repertum non est. At num ea est sufficiens ratio fidei eius dictis denegandae? Tandem *Hormuzd Rassam* apud Abu Habba invenit textum Nebukadnezar I, in quo mentio habetur urbis *Akkadi* (cf. *Schrader*). — *Regio Accad* septentrionem versus affinis erat Assyriae; explicite in monumentis ei attribuitur praeter Babel et Sipparam, uti Gen. 10,10, etiam Erech, urbs magis ad meridiem sita, nunquam vero regio maritima ad Sinum Persicum. Hinc oritur quaestio, quomodo a regione Accad distinguatur regio *Sennaar* seu *Sumir*. Tota quippe antiquitus Babylonia duos complectebatur tractus *Sumir* et *Accad*, quorum prior dialecto quidem septentrionali, quam accadicam vocant aliqui, dicebatur *Singir*, quod idem est atque שנער, dum dialectus meridionalis, quam sumericam vocant iidem, nomen corruperat in *Sumir*. Iam, quod regio a Babel ad Erech inclusive pertinuerit ad Accad, censuere aliqui (*Del.*, *Schrader*, *Hommel*) nomine Sumir intelligi tractum eum, qui ad meridiem et ad orientem Erech ad Sinum Persicum et ad Tigrin flumen procurrit, dum alii autumant nomen Sumir seu Singir idem esse atque illud Singara, cuius rex cum rege Assur tributum pendebat Pharaoni Thutmes III, cuius nomen cum Assyria, Naharina et Pattana (in montibus Gordyaenis) inscriptum legitur scarabaeis quibusdam aegyptiis prope Chaboram repertis, quodque utique ad septen-

trionem Babelis situm erat (cf. *Tiele* p. 139. 145). Quibuscum si conferas textus laudatos scripturae, fateberis nomen Sumir seu שנער primitus non ad tractum meridionalem solum, sed ad totam regionem a Sinu Persico ad Assyriam fere pertinuisse, cuius aliqua postmodum pars nomen Accad nacta sit. Confirmatur id exinde, quod Sumir in textibus cuneiformibus etiam exprimitur voce *kingi*, quae sermone protochaldaico significat *regionem*. Ergo nomen Sumir tum regioni inditum est, quando nondum variorum regnorum distinctio surrepserat; postea aliqua eiusdem pars nomen Accad nacta est. Neque exinde, quod textus antiquissimi in sola hucusque parte meridionali reperti sint, sequitur nomen Sumir solam tum eam partem designasse : invenientur fortasse alia in parte septentrionali nondum satis explorata. Praeterea concedi possunt urbes ad meridiem sitae antiquitus principatum regionis Sumir obtinuisse.

v. 11 « *De terra illa egressus est Assur* ». Communior inter antiquos erat explanatio faciens *Assur* subiectum sententiae vocemque accipiens aut de uno aliquo homine filio Sem, aut de Assyriis collective sumptis. Ita *Syr.*, *Targ. Hier.*, *Ios.*, *Hier.* Alii subiectum faciunt *Nemrod* et אשור accipiunt pro accusativo loci (cf. 4 Reg. 15,29; Ier. 4,17); ubi monet *Malv.* : « Cave probes hanc interpretationem, quae tibicine fulciente indiget ». At nonne robusti tibicines sunt *Chald.*, *Ps. Ion.*, *Bochart*, *Calm.*, *Lamy* totque alii, qui eandem sententiam iam nostro aevo effecere altera communiorem? Eam exigit contextus : regni Nemrod v. 10 *principium* enarrabatur, nunc *progressus* demonstratur. Hic non erat locus inserendorum actorum Assur filii Sem : quid tandem refert, unde *egressus* sit Assur, nam praeter egressus locum, si Assur facias subiectum, nihil de eo homine refert v. 11? De terra eadem porro egressi sunt non solus Assur, sed item alii, cf. cap. 11. Ita *Calm.* Ex textu inferas, quod confirmant monumenta, Assyriam non habitam esse partem regionis Sennaar, sed distinctam regionem.

Assur (cf. ad 2, 14) optime interpretabimur *urbem*, cuius nomen utique ad provinciam etiam circumiacentem extendebatur. Progressus Nemrod non per regiones describitur, sed per urbes. Hinc solvitur difficultas *Schrader*, sacrum auctorem ignorare urbem Assur (Kalat-Sherkat), antiquissimam regni sedem, ergo eo scripsisse tempore, quo haec urbs fere in oblivionem abierit, c. 800 a. C. — Urbs reapse non tam cito in oblivionem abierit, cum vel Cyri tempore floruerit (*Tiele* p. 84). Antiquissimi utique, quos novimus, Assyriorum principes in civitate Assur residebant : Ismidagan eiusque filius Samsiramman prior (c. 1814), Iluba et Iritak, qui tamen omnes titulo non *regum* insigniuntur, sed *isakku* vel *nisakku* (sacerdos?). Samsirammam vero non templum Assur tantummodo in civitate Assur exornavit, sed templum Istar in Ninive ipse exstruxit, quae igitur urbs eo iam rege

erat antiquior. Alii postmodum Assyriorum reges, quorum cum Babyloniis foedera et bella c. 1510-1110 tradita habemus, sedem habebant in Ninive, relicta Assur.

« *Et aedificavit Niniven* ». Nominis quae proponuntur derivationes, incertae sunt. Niniven eandem esse, quae in actis Thotmes III *Ni* appellatur, gratuito asseritur. Sed regis urbis Ur longe antiquioris Dungi in Ninive reperta est inscriptio. Licet antiquitus civitas Assur, non Ninive regni caput esset, tamen vel antiquissimi, quos novimus, Assyriae reges iam etiam Niniven obtinebant; e quibus Samsiramman duobus fere millibus ante Christum annis templum deae Istar ibidem condebat. Cf. *Tiele* p. 89 sq. 121.138.144. — « *Et plateas civitatis* ». עיר vertere civitatem etiam *LXX Chald. Syr.*, item *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* vertere *plateas*, sed *LXX* felicius, uti videtur, retinuit nomen proprium Ῥωσήθ: est enim auctor in enumerandis urbibus, et quid oportebat conditas commemorare « plateas » vel « fora » (quae sunt nominis רחב significationes), quando condita narrabatur ipsa urbs? sane urbs sine plateis condi haud poterat. Comparat *Del.* Par. p. 261 assyrium *rêbit Ninâ* i. e. « suburbium Ninive », sed id longius peti quis non videt? *Ephr.* pro רחבת habet חדיב *Adiabene*, quae Assyriae provincia a flumine חדיב vel הדיב nomen habuit. Reapse facile חדב in רחב commutari potuit. Neque absurde asseret quis, exstitisse perantiquam aliquam civitatem Rechoboth-Ir vel Adiab, quae florentibus imperii Assyriorum temporibus iam interierit aut primatu exciderit et hinc in monumentis non commemoretur. Quod moderni quidem difficilius concedent. — « *Et Chale* », assyrice *Kalach* ad confluentem Tigris et Zab superioris et ad meridiem Ninive sita, nunc Nimrud. Rex Assurnasirhabal 885 : « Antiqua urbs Kalach », inquit, « quam Salmanassar » eius nominis primus c. 1300, « Assyriae rex, antecessor meus, fundaverat, ea urbs conciderat et deperierat : eam urbem ego reaedificavi ». Tamen ne ex hoc quidem effato concludere licet, ante 1300 eam urbem nullatenus exstitisse : dicuntur reges eas etiam urbes fundare, quas iam exsistentes amplificant, muniunt. — v. 12 « *Resen quoque inter Niniven et Chale* ». Situs urbis sat accurate his describitur, debuit ea esse ad ripam Tigris vel certe haud procul ab ea. Nomen *Ephr.* explicat ריש עינא, « fontis caput », nomen, uti *Del.* Par. p. 261 monet, apud Semitas frequentissimum. *Schrader* suggerit civitatem *Risin* in actis Sennacherib commemoratam, quam *Del.* respuit, quod longius septentrionem versus abfuerit. — « *Haec est civitas magna* ». *Cai.* refert haec ad Niniven, itemque *Menoch.* adstruens ὕστερον πρότερον; *Eph.* ad Resen, sed Resen certe non fuit ita immanis civitas, ut comparatione Ninive dici

potuerit *magna;* ob eandem rationem excluditur Chale. Optime *Kn.* iudicat intelligi quatuor urbes simul. Sc. Ninive arctiori vel latiori sensu accipiebatur. Arctiori et nativo sensu designabat civitatem ex adverso Mossul sitam, ubi nunc Kuiundschik et Nabi Iunus; latiori sensu totum angulum, quo confluunt Tigris et Zab superior, aedificiis hortisque obsitum, licet muro inclusus fuisse demonstrari haud potest. Hoc sensu accepta Ninive etiam alias in scriptura vocatur « civitas magna » : Iudith 1,5; Ion. 1,2; 3,2 sq.; 4,11; et quidem Ion. 3,3 dicitur fuisse « civitas ingens itinere trium dierum ». Pronomen הוּא ad pluralem relatum habes item Ex. 6,26; quod autem offendit *Houb.* pronominis genus masculinum, id, si operae pretium videatur, substituta uti Lev. 25,33 punctatione feminina emendabis.

v. 13 « *At vero Mesraim genuit Ludim et Anamim et Laabim, Nephthuim* » v. 24 « *et Phetrusim et Chasluim, de quibus egressi sunt Philisthiim, et Caphtorim* ». Ex *Hebr.* clare perspicies, Caphtorim recenseri Mesraimo genitos, non vero uti Philisthiim de Chasluim egressos. In his quoque a notioribus ad minus nota procedemus. Et *Phetrusim* quidem seu *Phetros* aliis scripturae locis occurrit : Is. 11, 11, ubi collocatur inter Chus seu Aethiopiam et Mesraim, quod arctiori sensu Aegyptum inferiorem designat; Ier. 44,1 (cf. Ez. 30,14), ubi discernitur a Migdol, Taphni et Memphi; cf. Ier. 44,15 et Ez. 29,14. Iam eodem atque Is. 11,11 ordine Asarhaddon post subactum Aegyptum titulum assumit regis *Musur, Paturusi* (sillaba *ru* est lectionis incertae) *et Kusi.* Cf. *Schrader* KAT ad 4 Reg. 19,37 et KG p. 283 sqq.; *Del.* Par. p. 410. Apud Aegyptios *pa-to-ris* significat *regio australis,* et No seu Thebae eius caput recensetur; cf. *Knabenbauer* ad Is. 11,11. E. quibus merito colligas Phetros esse *Aegyptum superiorem,* inter Mesraim seu inferiorem et Chus seu Aethiopiam sitam. — *Laabim* לְהָבִים merito iidem censentur, qui לוּבִים, ה et ו invicem in medio vocum excipientibus : in exercitu Sesac 2 Par. 12,3; 16,8 reperiuntur cum Mesraim et Chus; item Nah. 3,9 et Dan. 11,43. Post *Ios.* communiter censentur esse *Libyes.*

Caphtorim interpretati sunt *Targumim* et *Syr. Cappadociam,* cuius nominis nativam formam ex inscriptionibus Behistun discimus esse *Katpatuka* (cf. etiam *Len.* II. 1.409). Sola nominum similitudo, eaque sat remota, hanc explicationem suggessisse videtur. Eam excludit Deut. 2,23 : « Hevaeos quoque, qui habitabant in vicis usque Gazam, Caphtorim expulerunt, qui eggressi de Caphtor deleverunt eos et habitaverunt pro illis ». Ergo Caphtor ita parum aberat a litore Philisthaeae, ut Caphtorim inde expeditionem illuc susciperent. Certe non erat Cappadocia; neque erat ipsa Philisthaea. Porro Ier. 47,4 vocatur

אי כפתור, « litorale Caphtor » seu « insula Caphtor » : erat ergo regio ad mare sita, fortasse mari cincta. Igitur *Ebers* p. 130 sqq. coniiciebat, Caphtor nomen fuisse ipsius litoris Aegypti septentrionalis, quod ab Aegyptiis vocabatur *aa* = אי *litus*, addito, ut ipse putat, *kabt, gabt* vel *kaft* a verbo *kab, gab* vel *kaf* = כף vel כבף, *rotundum esse;* unde *ai-kaft* idem sonet atque *litorale curvum*. A qua expressione primum ille nomen Αἴγυπτος derivat : verum, cum paucis quibusdam textibus Nilus vocatur *akab* ab *inundationibus,* hoc nomen facilius explicabis, ut sit *akabta* vel *akabt* = *regio fluminis inundantis*. Ab eadem porro illa expressione Ebers derivat *Kefa* vel *Keft,* quo nomine ab Aegyptiis appellati esse creduntur *Phoenices,* ergo *incolae litoris curvi*. Tandemque Caphtor nihil esse aliud ait quam *Kaft-ur,* i. e. *Phoenicia magna*. Ita sc. antiquissimam eam Phoenicum coloniam autumat vocatam esse Phoeniciam magnam, uti postmodum Italia meridionalis a colonis Graecis nomen accepit Graecia magna. Haec omnia perquam sunt ingeniosa, sed nomen *Kaft-ur* nullibi legitur et gratis permiscentur Phoenices et Caphtorim. — Alii Caphtor interpretati sunt *Cyprum,* at argumentum praeter nominum aliquam similitudinem est nullum; Cyprum monuimus v. 4 esse Cetthim. — Probabilior interpretatio *Cretam* demonstrat (*Calm.*), insulam vastam et perantiquis temporibus mercaturae laude florentem variarumque gentium colonis accessam. Porro intime iunguntur inter se hinc Philisthaei et Caphtorim, illinc Philisthaei et Cerethi, quos Cretenses esse haud imprudenter affirmabis. Sic Deut. 2,23 Caphtorim dicuntur occupasse Philisthaeae tractum aliquem; Am. 9,7 Philisthaei dicuntur ascendisse de Caphtor et Ier. 47,4, qui post cladem supererant Philisthaei, vocantur « reliquiae litoralis Caphtor ». Rursum intime copulantur « Cerethi et Phelethi » 2 Reg. 8,18 (cf. quae ib. diximus); 15,18. Ex 1 Reg. 30,14 Cerethi Philisthaeis erant contermini. Tandem Ez. 25,16; Sophon. 2,5 ita copulantur Cerethi et Philisthaei, uti alias Cerethi et Phelethi. — Adverte, gentem Kefa probabilius esse non Phoenices, sed *Cilices* (*M. Müller* p. 337 sqq.), qui in monumentis depinguntur coloris rufi, caligati, diademata gestantes, vestes cincti variegatas, artefacta portantes ex auro, aere, ferro, oris specie Chamitarum affiniores quam aut Semitarum aut Europaeorum. Quodsi ergo *Kaft-ur* reapse idem sonet atque *Kaft magna*, potuit Cilicia eo nomine appellari Cretae comparata, similiter atque Italia Graeciae comparata vocabatur Magna Graecia.

Chaslum doctius quam verius *Bochart* (Phaleg IV. 31) demonstrabat esse Colchios. De quibus nihil prorsus compertum haberemus, nisi textus adderet, de illis egressos esse Philisthiim. Expressio אשר

יצאו כושם eadem prorsus est atque altera v. 11 מן הארץ ההוא יצא, utraque habet sensum *localem* (cf. *Knab.* l. c. p. 265). Chasluim, quod in genealogiae contextu et propter formam pluralem nomen est populi alicuius, hoc additamento sumitur pro nomine regionis, quam populus ille incolebat. Textus vero minime dirimit controversiam, fuerintne Philisthaei Chamitae an Iaphetidae, an fortasse gens aliqua e diversis commixta. Quocum conferas Am. 9,7 : « Numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, et Philisthaeos de Caphtor, et Aram de Kir? » Etiam hic textus non affirmat Philisthaeorum e Caphtorim, uti neque Israelitarum ex Aegyptiis originem, sed merum egressum de Caphtor, quod rursus nomen deprehenditur fuisse et gentis et regionis. Deut. 2,23 utique narrantur ipsi Caphtorim regionem circa Gazam occupasse : at hi Caphtorim potuere esse iidem, qui aliis locis Cerethi dicuntur et, Philisthaeis quidem intime iuncti, ab iisdem tamen distinguuntur. Caphtorim igitur Cretam incoluere, Chasluim aut Cretam aut aliquem litoris aegyptii Palaestinam versus tractum. Ex utraque regione egressi Philisthaei eam, quae ab eis appellata est Philisthaea, subiugavere; erant autem in Philisthaeorum agmine Caphtorim plures, probabilius item Chasluim et fortasse alii.

Ergo cum *Kn.* duas admittimus Philisthaeorum immigrationes, unam de Chasluim, alteram de Caphtorim profectam. Neque necesse est cum *Dillm.* adstruere, inciſum nostrum de Philisthaeis insertum fuisse primitus non post *Chasluim* sed post *Caphtorim;* licet textus utique potuerit ita habere.

De *Ludim*, *Anamim* et *Nephthuim* valet, quod fatetur *Ios.*, « nos praeter nomina novisse nihil ». Et *Ludim* quidem perperam *Lydos* interpretati sunt non pauci; ceteris quippe Chamitis una habitantibus nefas est ob solam nominum assonantiam in Asiam Minorem excurrere, neque monumenta ullam Lydorum cum Aegyptiis affinitatem prodidere. *Ios.* certe non cogitabat Lydos, cum affirmet omnes Mesraimi filios obtinuisse tractum a Gaza ad Aegyptum inclusive. *Hier.* Ez. 27,10; 30, 5 utique intelligebat Lydos, at nihil suadet eum Lydos a Lud potius Chamita quam ab altero Lud Semita v. 22 repetiisse. In Quaest. Hebr. de sedibus Ludim silet; gentium Is. 66,19 enumeratarum ait (*M.* 24.667) solos Tharsis et Phuth a Sem et Cham trahere originem : ergo aut Ludim ib. Iaphetidas reputabat (?) aut, unde Lydi genus traherent, compertum non habebat. *Targumim* certe nostros Ludim prope Aegyptum collocabant, non in Asia Minore. Praeter textus laudatos commemorantur Ludim etiam Ier. 46,9 et bis cum Chus, semper vero cum Phuth copulantur, ob nominum utique assonantium, sed insuper sine dubio ob sedium affinitatem. *Ebers* l. c. p. 94 sqq. Ludim eosdem putavit, qui in textibus hieroglyphicis *Lutu* vel *Rutu* nominantur, i. e. *homines* κατ' ἐξοχήν, ipsi Aegyptii proprie dicti. Placet in hac sententia Aegyptios proprie dictos tamquam Mesraimi primogenitos recenseri. Gratuito omnino recentiores aliqui Ludim corrigunt Lubim et Libyes interpretantur, cum hi nomine להבים exprimantur textusque corrigendi nulla sit ratio. — *Nephthuim Kn.* interpretatus est *naphthah*, i. e. pertinentes ad Phthah deum Mempheos, ergo mediae Aegypti incolas. — *Anamim* eosdem putabat *Ebers*, qui in monumentis *Aamu* i. e.

boum pastores vocantur et primo post Rutu vel Lutu loco describuntur, homines rufi coloris, Semitarum haud absimiles.

v. 15 « *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum* ». Hic omnia sunt nota. Tota antiquitas primatum dignitatis inter Phoenicum civitates attribuebat Sidoni, quae diu floruit ante Tyrum et in nummis nomine « matris Tyri », « matris Aradi » honoratur. Imo vel postmodum, cum primatus ad Tyrios descendisset, Phoenices universim Sidonii dicebantur. Apud Homerum Sidon nominatur, non Tyrus. Sennacherib duas civitatis partes distinguit, « Sidonem maiorem et Sidonem minorem » ; prior illa sane eadem est, quae Ios. 11,8 « Sidon magna » audit. Nomen *piscationem* sonat.

De Sidone *primogenito* diximus supra. Reapse omnes hae Chananaeorum tribus ordine non geographico sed, uti videtur, originis recensentur, licet utique tribus simul natae haud raro sedes etiam obtinuere confines. Post Sidonem habes primum circulum tribuum Palaestinensium : « Hethaeum (nam Palaestinenses potissimum intelliguntur), et Iebusaeum et Amorrhaeum et Gergesaeum et Hevaeum ». Sequitur circulus Phoenicum septentrionalium : « Aracaeum, Sinaeum, Aradium, Samaraeum ». Agmen claudit « Hamathaeus », cuius sedes reliquis longius septentrionem versus protendebantur.

« *Hethaeum* ». חתי *Vulg. LXX Syr.* contra *Hebr. Sam. Chald.* חת, *assyr. Chatta, aeg. Cheta*. Regni robur a Gargamis prope Euphraten (non Circesium, sed loco prope Mabug sito), quae urbs regum Assyriorum tempore videtur fuisse caput gentis, usque ad Cades ad flumen Orontem protendebatur, sed fines variis temporibus modo longius patebant, modo arctius contrahebantur. Imagines et inscriptiones earum, quae certe Hethaeae sunt, affines variis per Asiam Minorem locis repertae sunt : in Lydia, Cappadocia et Lycaonia. Hethaeis contra Pharaones dynastiae 18^{ae} dimicantibus se iunxerant gentes Dardani, Masu, Ievanna, Pidasa, Leka, quos Dardanos, Mysios, Iones, Pedasis in Caria accolas et Lycos interpretantur docti viri. Regi Sargon I, qui antiquitus in Accad regnabat, bellum fuit cum Hethaeis. Cum Pharaonibus acriter dimicarunt, donec Ramses II honorificam illis pacem concessit, filia etiam regis Hethaeorum in uxorem recepta. Pollebant viribus tempore Ioram regis 4 Reg. 7,6. Praeter hos Hethaeos septentrionales alii ipsam terram sanctam incolebant, cf. Num. 13,30 (29), quorum quae novimus nomina omnino sunt semitica. E contra, inquiunt auctores aliqui, ea quae Hethaeorum septentrionalium accepimus nomina semitica esse haud videntur : ergo duas distinctas admittamus Hethaeorum gentes. Quibus respondeas, linguam Hethaeorum nos ignorare, nomina vero illa nos habere ex transcriptionibus imprimis

aegyptiacis : at hae, quantum a nativo vocum semiticarum sono recedant, neminem latet. Non ergo ex illis solis iudicium tuto efformare valemus. Cf. *A. H. Sayce :* Alte Denkmäler etc., p. 109 sqq. ; *Hommel* p. 175 sqq. ; *Schrader* KG p. 221 sqq. Ceterum ab hac controversia h. l. temperare possumus. Cum enim frequenter in Pentateucho (cf. 15,20 ; Ex. 3,8 etc.), uti h. l., una recenseantur Hethaei, Iebusaei, Amorrhaei, Gergesaei, Hevaei, etiam Pherezaei, atque iis locis semper intelligantur Hethaei illi soli aut certe praecipue, qui montana Iudaeae incolebant, ergo etiam h. l. eosdem aut solos aut certe praecipue intelligere fas erit.

v. 16 « *Et Iebusaeum* ». Hos ex sola scriptura novimus. Incolebant circa Iebus i. e. Ierusalem. Nomen regis Adonisedec Ios. 10,1 certe prodit idioma semiticum. — « *Et Amorrhaeum* ». Eorum cis Iordanem fines describuntur. Num. 13,30 : « Amalac habitat in meridie, Hethaeus et Iebusaeus et Amorrhaeus in montanis, Chananaeus vero moratur iuxta mare et circa fluenta Iordanis ». Cf. Ios. 5,1. Sed erant etiam Amorrhaeorum duo trans Iordanem regna, unum ab Arnon ad Ieboc Num. 21,13. 34, alterum regnum Basan Deut. 3,8 sqq. ; 4,46 sq. ; 31,4 ; Ios. 2,10 ; 9,10 ; 24,12. Cuius alterius regni incolae erant de stirpe Raphaim seu gigantum (cum Deut. 3.11 cf. Am. 2,9), ut et hi videantur fuisse Amorrhaei. Reapse Amorrhaeorum fines antiquitus multo longius videntur septentrionem versus excurrisse, cum annalibus aegyptiacis doceamur Cadesam ad Orontem, quae in finibus erat Hethaeorum, ipsam adhuc pertinuisse ad regionem Amorrhaeorum. Postmodum Iud. 1,36 Amorrhaei omnino ad meridiem terrae sanctae reiecti sunt. Cum ii antiquitus omnium gentium Chananaearum potentissimi fuissent, hinc eorum quandoque nomen pro Chananaeis universis prostat, uti Ios. 7,7 ; 24,15. Ios. 10, 5 rex Ierusalem regibus Amorrhaeorum accensetur, qui sine dubio fuit Iebusaeus. Ceterum adverte, vi etymi Amorrhaeorum nomen videri denotare « montium », uti Chananaeorum « planitiei incolas » : ergo minime mirandum est, modo Amorrhaeos dici eos populos, qui alias aliis designabantur nominibus. — « *Gergesaeum* ». Nomen aliquoties recensetur ; ubi ea gens habitaverit, ignoramus, nisi quod ex Ios. 24,11 videatur sedes habuisse cis Iordanem. — « *Hevaeum* ». Hevaei erant in Gabaon Ios. 11,19 et in Sichem Gen. 34,2, ubi Gen. 48,22 ; 2 Reg. 21,2 generaliori nomine vocantur Amorrhitae ; praeterea habitabant « in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath » (Iud. 3,3), seu « ad radices Hermon in terra Maspha » (Ios. 11,3). 2 Reg. 24,7 tota occidentalis terrae sanctae plaga a Sidone ad Bersabee vocatur « terra Hevaei et Chananaei », ut sc. Hevaeus a septentrione incoluerit prope

Sidonem et Hermon, Chananaeus meridiem versus, in campo maxime Iezrahel et reliquo maris litore. — « *Et Aracaeum* », ערקי, *Sam. LXX* ערוקי, *ass. Arka*, *Ptolem.* V. 15. 21 et *Plin.* V. 16. 74 *Arca*, urbs quinque millia passuum Tripoli distans septentrionem versus, ad radices montis Libani (*Hier.*), urbs tempore Romani imperii nobilis, patria Alexandri Severi, sedes episcopi, nunc Tell Arka. — « *Sinaeum* ». « A quo (Aracaeo) haud procul alia civitas fuit nomine Sini, quae postea vario eventu subversa bellorum nomen tantummodo loco pristinum reservavit » (*Hier.*). *Strab.* 16. 2. 18 novit arcem Σιννά in Libano, et *Del.* Par. p. 282 comparat locum *Sianna* « in litore maris » situm, qui in documentis ass. iungitur cum Simirra et Arca. — v. 18 « *Et Aradium* », ארוד. « Aradii sunt, qui Aradum insulam possederunt angusto freto a Phoenicis litore separatam » (*Hier.*). Sitne eadem civitas, quae in annalibus Thotmes III *Art'tu* vel *Art'ut*, in annalibus Ramses II *Arathu* audit, non certo constat. At frequens eius apud Assyrios mentio : *Arvada*. Cf. *Schrader* KAT. Refert *Euseb.* (Chron. Arm. II. 173; cf. *M.* 19,446) saeculo a. C. octavo Aradum fundatam esse a profugis Sidoniis. Id ad summum verum est de urbe in insula exstructa : urbs in objecto litore sita (Antaradus) certe erat longe antiquior, nam Teglathpalassar I c. 1113 conscendit Aradiorum naves. — « *Samaraeum* », *ass. Simir* vel *Simirra*, quae urbs post Sennacherib habuit praefectum assyrum; Σίμυρα vel Σίμυρος ad meridiem Aradi (cf. *Kn.*); nunc *Sumra*. — « *Et Amathaeum* », Hamath ad Orontem, civitas perantiqua, tam Aegyptiis quam Assyriis nota. Videntur Hamathenses antiquitus usi esse characteribus, quos supra dicebamus hethitis, et antiquiora regum Hamathensium nomina affinia videntur nominum, quae apud Hethitas septentrionales occurrunt, dum recentiora nomina sunt omnino semitica. Quibus docemur, potuisse quarumdam harum gentium linguas decursu temporum fieri magis semiticas.

« *Et posthaec disseminati sunt populi Chananaeorum* ». Cur soli Chananaei dicuntur esse *disseminati*, et quorsum praefigitur *posthaec?* Planius contra Masor. iungas : « Postquam vero » (cf. Iob 42,7; Lev. 25,48) « disseminatae sunt tribus Chananaeorum, facti sunt etc. ». Et nota, נפץ non tam habere sensum disseminandi, quam dispiciendi, dissipandi. Quo tempore Abraham Euphraten traiecit, Chananaei non iam contiguas omnes sedes obtinebant, aliae se gentes intra tribuum septentrionalium fines interposuerant : sola a Sidone ad Mare Mortuum regio tota a Chananaeis obtinebatur appellabaturque iure merito Chanaanitis. v. 19 « *Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram* », id directionem itineris universim exprimit, dein

in hac directione definitur terminus « *usque Gazam* ». Postea altera linea a Sidone ducitur magis orientem versus : « *donec ingrediaris* » (eadem vox, quae modo *venientibus* vertebatur) « *Sodomam et Gomorrham et Adamam et Seboim* » (cf. 14,2), et in hac linea definitur terminus « *usque Lesa* ». Quam urbem *Hier.* ait esse eandem atque Kallirhoen, in orientali Maris Mortui plaga sitam, haud procul Machaero. Alii Lusam (*Ios.* Arch. 14,1. 4) praeferunt, loco incerto ad meridiem Maris Mortui sitam. Gratuito alii לשע eandem esse censent atque ליש, i. e. Dan Lais. *Gerar* (cf. 20,1) idem hodiedum nomen servat, a meridie Gazae. Sequitur clausula totius genealogiae Chamitarum v. 20 : « *Hi sunt filii Cham in cognationibus et linguis (et generationibus) terrisque et gentibus suis* ». Sola *Vulg.* ubique habet *in;* reliqui bis ל et bis ב, *Sam.* ל etiam extremo loco. Igitur distinguuntur filii Cham secundum cognationes et linguas, quae distinctio aliam effecit distinctionem regionum et gentium. Cf. dicta ad v. 5.

c. Semitae.

v. 21 « *De Sem quoque nati sunt* » — supple « filii », — « *patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore* ». Initium genealogiae Semitarum, correspondens v. 2.6, habetur v. 22 « filii Sem » ; sed inseritur v. 21, primum idem, quod exprimitur verbis, « filii Sem », alia expressione « de Sem quoque nati sunt » enuntians, ac dein Semo duos affigens titulos, alterum a filiis et alterum a fratre petitos. עבר *Vulg. LXX* intellexere nomen proprium viri : neque tamen hinc efficitur solos exprimi Hebraeos (*Vat.*), quod emphatice adiecta vox *omnium* certe Iectanidas v. 26 sqq. cogat includere. Non ergo celebratur Sem praecise ut progenitor populi electi. At cur tandem ea clausula adiicitur? *Iarchi* עבר accipit tamquam nomen non proprium sed appellativum, « filii transitus ». Quo nomine vocari potuere vel ii, qui trans flumen incolebant, i. e. Transeuphratenses, vel qui trans flumen quondam habitaverant, sed iam flumen traiecerant et hinc Ciseuphratenses evaserunt. Quo sensu ipsi Israelitae dicebantur Hebraei : at Ciseuphratensium omnium non erat pater Sem, cum Chanaan quoque cis Euphraten habitaret. Ergo melius cum *Calm.* expressionem altero illo sensu interpretabere, sc. de Transeuphratensibus, quasi dicat s. auctor : En, o filii Israel, progenitor vester Sem parens exstitit non Abrahamidarum tantum et Iectanidarum, sed plurimarum et florentissimarum gentium, Transeuphratensium sc. universorum. Incolebant autem antiquitus trans Euphraten Semitae omnes, exceptis Phalegi posteris et fortasse Ludim. In ultimo inciso *fratre Iaphet maiore*

(cf. dicta ad 9,24) illud admirationem facit, solum Iaphet exprimi, non Cham. « Neque vocatur h. l. Sem frater Cham, quia resectus ex fratrum ordine et iure suo abdicatus fuerat. Tantum inter Sem et Iaphet manet fraternitas » (*Vat.*). Auctor, mox valedicturus narratione regionibus transeuphratensibus et in ipsam Chananaeam descensurus, quem locum inter varias has nationes Israelitae obtineant rursum inculcat : Semitae reliqui eodem gloriantur progenitore, vel Iaphetidae sunt fratres, natu utique minores, Chamitarum quaelibet repudiatur affinitas. Hic versus adscribi vix potuit aevo prophetarum, qui Assyrios, Babylonios, Aramaeos semper ut flagella Dei repraesentabant, non ut fratres communi parente prognatos.

v. 22 « *Filii Sem : Aelam* ». *Ass. Ilamtu* significat *montana,* quo nomine apte regio describebatur a Babyloniis planitiem incolentibus. *Pers. Uvaia.* Caput postmodum fuit *Susin* vel *Susun, ass. Susan,* unde regio circumiacens vocabatur *Susinak* seu *Susiana.* Eadem pars regionis orientem versus sita videtur nomen habuisse *Anzan,* et Cyrus in inscriptionibus babylonicis, semper titulo insignitur regis Anzan, nunquam regis Persarum. Lingua Susiana, qualem ex inscriptionibus novimus, affinis est Protomedicae. Sed plurima per totam Susianam reperiebantur loca, quorum nomina sunt omnino semitica (cf. *Del.* Par. p. 320 sqq.), unde sat probabile apparet regionem primitus, saltem magna ex parte, in Semitarum manibus fuisse. Cf. *Schrader* KAT, etiam ad 1 Esdr. 4,9. — « *Et Assur* », cf. v. 11. Assyrios fuisse Semitas et eorum lingua faciesque parietibus depictae abunde demonstrant. Imo Assyriorum nomen antiquitus pro quibusvis Semitis usurpabatur; formam inde abbreviatam *Syri* designandis Aramaeis *LXX* consecravit.

« *Et Arphaxad* ». Arphaxadi quos novimus posteri, Abrahamidae sc. et Iectanidae, certe fuere Semitae : unde probabile apparet, reliquos etiam esse Semitas. Post *Ios.* plerique interpretantur *Chaldaeos.* Reapse Chaldaeos seu Babylonios in hoc populorum elencho omitti, vix credibile apparet.

Nomen difficultatem facit. Illud idem reputabat esse *Bochart.* (Phaleg. II. 4) atque regionis, quae Arrapachitis audit ; id vero admitti nequit, cum hoc nomen petatur a nomine urbis Arbacha, Arbacha vero et Arphaxad sint diversa, licet prior forte utriusque nominis pars eadem sit. *Kn., Schrader* recurrentes ad radicem arab. et aethiop. *arp kasad* vertunt *fines Chaldaeorum* : at cur s. auctor de Chaldaeis loquens *finium* meminerit, cum de reliquis omnibus loquens *fines* non commemoret? Reapse vox כשד *Chaldaeus* in nomine latere videtur, at quid de priore nominis parte sit dicendum, ambigitur. *Del.* Par. (p. 256, cf. p. 124) recurrit ad titulum regum Babylonis perquam frequentem *sar kibratim arbaim,* rex quatuor regionum (coeli), comparatque expressionem *mat kibrat arbai,* terra quatuor regionum, in qua si pro *kibratu*

substituas synonymum *kisadu* (latus, directio), *Arphaxad* poteris interpretari *arba kisadi*, quatuor regiones, quod fuerit totius tractus a Babylonia ad mare nomen. Res est adhuc incerta. — כשד idem esse atque *Kaldu*, quae gens in inscriptionibus Assyriorum modo totam Babyloniam possidet, modo partem infra Babyloniam stricte dictam ad mare usque, tum aliis stabilitur argumentis, tum etiam illo, tempore Danielis prophetae utrumque nomen eosdem reapse designasse homines. Cf. *Schrader* KAT ad Gen. 11, 28; *A. Delattre*, Les Chaldéens, Paris 1877. Potest etiam fieri, ut כשד primitus idem fuerit atque *Kasda* (*Del.* Par. p. 129), pagus Babyloniae, quatenus eius pagi nomen totius postmodum gentis appellatio evaserit. At hoc *Kasda* explicandum esse per *Kas-da*, fines gentis Kas seu Kassu seu Cossaeorum gratuita plane est Del. etymologia. Aliud tandem a *Kaldu* vel etiam *Kasdu* nomen est *Kassu*. Hi lingua loquebantur, quae certe neque semitica erat neque indogermanica (*Tiele* p. 62.71), dum nomina principum Kaldu omnia sunt semitica.

« *Et Lud* ». Post *Ios.* plerique intelligunt *Lydos*. Sane, uti mera nominum similitudo non efficit Ludim Chamitas v. 13 esse Lydos, ita eadem neque demonstrat Lud v. 22 esse Lydos. Lydiam utique primum obtinuere Maeones indogermani, e quibus Pelasgi prodiere et Tyrrheni. Sed postmodum gens eandem regionem incolens aliud habebat nomen Lydi, regibusque gloriabatur Heraclidis (*Herod.* I. 7) a Belo Assyriorum deo prognatis. Nomine regibusque mutatis coniicere fas est, gentem ipsam simul mutatam esse atque in Maeonum locum successisse Lydos, non quidem proprie Assyros sed omnino Semitas. Qua usi sint lingua ignoramus, at eorum certe sacra semitica erant (cf. *Len.* Bérose p. 146 sqq.), luxuria talis, qualis antiquis illis temporibus apud Iaphetidas nondum obtinuerat. Neque necesse est supponere auctorem s., quando Lud nominabat, cogitasse eam quae postea Lydia appellata est regionem, aut post annum 1200 scripsisse, quo fere tempore Atyatibus in Lydia successere Heraclidae : sed potuit is antiquiores quasdam propiusque a Mesopotamia remotas Lydorum sedes in mente habere.

Obiicit *Del.* Par. p. 257, in textu Assurbanipalis dici, Lydos, quorum tum prima, quantum novimus, mentio habetur, locutos esse lingua ab omnium aliarum gentium linguis diversa, qua ab Assyriis haud possent intelligi. At textus solum edicit, reges antecessores Lydorum nunquam audisse nomen, quae est res toto coelo diversa. Idem Sargon de Cypro affirmat (*Len.* II. 1.342). Reges vero in suis victoriis celebrandis quandoque hyperbolis indulgent. — Alii Lud censuere esse eosdem atque *Rotennu* (v. s. ad Dodanim), quorum nomen etiam *Lutennu* legi potest : sed ne Lutennu cum Lud confundamus, eadem prohibet ratio, quae Rhodanim secernit a Rhodo, cae sc. explicationes nullam habent rationem literae *n*.

« *Et Aram* ». Hos esse *Aramaeos* constat. *Ass. Aramu, Arumu* vel *Arimu*. Plurimas Aramaeorum tribus norant Assyrii prope ripas Euphratis et Tigris, imprimis infra Babylonem, etiam prope ripas flu-

minis Uknu seu Choaspis. Cf. *Schrader* KG p. 105 sqq.; *Del.* Par. p. 237 sqq. 257 sqq. Ripa Euphratis prope Hethaeorum fines vocatur *Armaia* i. e. Aramaea. Vicissim Aegyptii regionem Euphraten inter et Chaboram appellabant *Naharina*, quod idem est nomen atque *Aram Naharaim* Gen. 24,10 et *Padan Aram* Gen. 25,20 etc. Cf. quae diximus ad Iud. 3,10. Scriptura novit varia cis Euphraten regna Aramaeorum, v. g. Aram Sobam, Aram Damascum, Aram Rohob etc. (cf. 2 Reg. 8,5 sq.; 10,6 sqq.); quae regna tempore Davidis intime iungebantur Aramaeis transeuphratensibus, ib. v. 16. Textus cuneiformes norunt haec regna, sed non vocant ea Aramaea. Lingua aramaica inde ab anno fere 500 a. C. in tota Mesopotamia, Syria, Palaestina adhiberi coepta est. v. 23 « *Filii Aram : Us* » — עוץ, *Sam.* חוץ — « *et Hul* » — חול. *Sam.* חויל — « *et Gether et Mes* » — מש. *Sam* מישא. Operae pretium non est, recentiorum recensere explicationes, qui gratuito supponentes, nomina haec omnia reperiri oportere cis Euphraten et in Syria proprie dicta, varia congerunt locorum nomina illorum quatuor plus minusve similia. E contra *Iac. Edess.* videtur supponere solos Us et Hul Syriam incoluisse. *Ios.* Uso assignat Trachonitiden et Damascum, Hulo Armeniam, quam facile interpretabere circa montem Masium tractum ab Aramaeis occupatum, Gethero Bactriam, Meso Mesanaeorum regionem, ubi postea fuerit Spasini Charax. Ultima duo explicatione indigent. Igitur Spasini Charax fuit oppidum, ubi Eulaeus iungitur Tigri, haud longe a Sinu Persico et in eo tractu situm, qui *Mesene* postmodum audiebat, nomine a *Mes* sat facile derivando, qui idem tractus apud Assyrios (*Del.* Par. p. 242 sq.) *terra Mas* audiebat, ad quem etiam totum desertum Euphraten inter et Aegyptum pertinebat. Hanc terram Mas *Del.* censet eandem esse atque משא v. 30; sed nota etiam v. 23 *Sam.* legere מושא, *Ios.* Μησᾶς, lectio vero 1 Par. 1, 17 משך saltem id confirmat, tres illud nomen habuisse consonantes. Censemus igitur Mes h. l. idem esse atque Messa v. 30, atque ibi auctorem Iectanidarum describere sedes inde a loco iam v. 23 nominato. *Bactria* habet quidem consonantes nominis *Gether*, falso tamen h. l. a *Ios.* appellatur. Eo videtur in errorem inductus esse, quod Getheri sedes haud longe a Iectanidarum sedibus abesse crederet, hos vero errore ad v. 30 exponendo in Ariam Bactriae confinem relegaret. Si quaeras, ubi tandem sedes Gether habuerit, eas illi libenter intra ipsam Mesopotamiam concederem, ea quippe regio Aramaeorum tribubus pullulabat.

v. 24 « *At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber* ». Hic versus utique adscribitur (*Dillm.*) respectu habito ad 11, 12 sqq. De *Cainan* apud *LXX* dicemus ad 11, 12. v. 25 « *Natique sunt Heber*

filii duo : nomen uni Phaleg, eo quod in diebus eius divisa sit terra ». *Iac. Edess.* et *Lib. Iubil.* referunt, Noe divisisse terram inter suos nepotes singulisque certas assignasse sedes ; idque eum fecisse iuremerito conieceris, etiamsi nullus id testis referret ; id factum esse, quo tempore quinta generatio (Phaleg-Iectan) nasceretur, etiam sat probabile est, quia tum iam ita creverant homines numero, ut haud diutius in uno loco contineri possent. Eam h. l. divisionem exprimi censet *Ew.*, dum antiquiores intelligebant divisionem confusione linguarum exortam. Utique בלג est verbum aliud a פוץ, quod de ea divisione 11, 4. 8 adhibetur : sed ad explicandum nomen Phaleg non alia radix nisi פלג invocari potuit. Cf. *Budde* p. 383 sq. « *Et nomen fratris eius Iectan* ». Eius nomen apud Arabes traditur קחטן putatque *Kn.* idem esse, quod pagi Kachtan prope Nedjran ad aquilonem Sabaeorum, et Katanitarum apud *Ptol.* 6. 7. 20 et 23.

v. 26 « *Qui Iectan genuit Elmodad et Saleph et Asarmoth, Iare* » v. 27 « *et Aduram et Uzal* » — *Sam* אוזל. *LXX* Λιὲήλ, sed *Ios.* Λίξελος — « *et Decla* » v. 28 « *et Ebal* » — *Hebr.* עיבל. *Sam* עיבל. *LXX* Εὐάλ (deest in Cod. Alex. pluribusque codicibus aliis, itemque apud *Aug.* de Civ. Dei XVI. 3), sed *Ios.* Ἡέλος — « *et Abimael, Saba* » v. 29 « *et Ophir et Hevila et Iobab. Omnes isti filii Iectan* ». Licet horum nominum aliqua explicare haud valeamus, ex reliquis tamen clare perspicimus tribus has Arabiam meridionalem incoluisse et reapse fines, qui v. 30 describuntur, obtinuisse. v. 30 « *Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar, montem orientalem* ». Igitur Messa est eadem, quae v. 23 Mes audiebat, Mesene ad ora Euphratis et Tigris ; ibi Iectanidae Aramaeos contingebant, inde protendebantur usque Sephar. Suggerunt urbem regiam Homeritarum et Sabaeorum Σάπφαρα (*Ptol.* VI. 7,25.41 ; *Plin.* VI. 26) ; erat et alia urbs Saphar haud procul litore, ad orientem pagi Hadramaut. Verum adverte, nihil in textu *urbem* demonstrare, neque Messa urbs erat sed pagus ; agitur de *monte*. Iamvero est etiamnum mons Zabura in ipso pago Hadramaut. Quem si h. l. intelligi defendas, sequetur v. 26-30 scriptos primum esse, quo tempore Iectanidae de Babylonia descendentes in medio pago, qui nunc Hadramaut audit, substitissent necdum in extremum Arabiae occidentalem angulum penetrassent, quem tum profecto Cuschitae v. 7 dicendi sunt obtinuisse. Potuit tamen et alius esse mons Saphar. Cf. Kn. Quamdiu vero, quis mons intelligatur, non accurate scimus, neque ubi singulae tum tribus incoluerint accurate definire possumus, licet pagos, quibus nunc tandem earum nomina adhaerent, demonstrare valeamus. Porro vocatur ille mons *mons orientis* קדם, quo nomine universim designari consuevit regio, quam obtinent nomades aramaei et arabes.

Igitur *Asarmoth* est regio notissima Hadramaut, Chatramotitae *Strab.* 16,4.2. Sed litus obtinebant Adramitae (*Ptol.* VI. 7,10.25.26), quos comparant nomini *Aduram*. Ad orientem simul et septentrionem et longe a mari incolunt Iobaritae (*Ptol.* VI. 7,24), quos *Bochart* eosdem esse censet atque *Iobab*. Pro *Saleph* comparat *Bochart*. Alapenos vel Salapenos (*Ptol.* VI. 7,23). Sanam, medio itinere inter Aden et Nedjran sitam, etiamnum antiquo nomine Arabes vocant Asal vel Usal (*Uzal*), ubi *Plin.* VI. 32; XII. 35 novit Ausaritas, auctor Syrus sexti p. C. saeculi Auzalios. Cf. *Kn.* Nomen Abil (*Ebal*) *Halévy* (ap. Dillm.) aliquoties in eo Arabiae tractu invenit. *Ophir* erat portus Arabiae, quo classes Salomonis appellebant et mercibus onerabantur ex Arabia, Africa et India conquisitis. *Saba* et *Hevila* poteris easdem tribus adstruere, quae v. 7 Cuschitis accensebantur : at hi postmodum cum Iectanidis in unam gentem coaluere, quam aeque Cusch et Iectano progenitam scribere fas fuit. — Mirabere *Ios.* Iectanidas omnes in Ariam Bactriae affinem et ad « Cophenem flumen Indiae » transferre. Sc. pro גפר הר videtur ipse legisse כפנהר : erat autem Κωφήν seu Κωφής (*Arr. An.* 4,22) illud flumen, quod Indo iungitur et hodie Kabul dicitur. Cuius fontes reapse Ariam attingebant.

v. 31 « *Isti sunt filii Sem secundum cognationes et linguas et regiones in gentibus suis* ». *Hebr. Sam. Chald. Syr.: secundum cognationes suas, secundum linguas suas, in terris suis, in gentibus suis.* Ultimum *in* secundum *Vulg. LXX Chald. Syr.* restituimus contra *Heb. Sam.* Licet nomina diverso ordine scribantur, ac v. 5.20, praepositiones tamen manent eaedem. Ergo non fortuito sunt selectae. v. 32 « *Hae familiae Noe iuxta populos et nationes suas* ». *Hebr. iuxta generationes suas in gentibus suis.* « *Ab his divisae sunt gentes in terra post diluvium* ».

2. *Turris aedificatio et confusio linguarum Gen.* 11,1-9.

v. 1 « *Erat autem terra* », i. e. incolae (*Chrys.*), *Hebr. omnis terra*, « *labii unius et sermonum eorumdem* ». Singula supra exposuimus p. 301 sqq. — v. 2 « *Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar et habitaverunt in eo* ». Defendit *Dillm.*, נסע h. l. non significare *proficisci,* sed *migrare :* tamen quos comparat textus 12,9; 20,1; 35,21; 46,1 significationem *proficisci* omnino admittunt. Hac autem admissa מקדם non potest cum *Dillm., Del.* verti *in oriente*, ut dicantur Noachidae in regionibus ad orientem Palaestinae sitis, ubi supponatur esse s. scriptor, migrationes instituisse; sed denotat profectionis terminum et vertendum est cum versionibus (excepto Chald.) *de oriente.* At quomodo scribuntur *de oriente* immigrasse, qui de Ararat descendere in Babylóniam. Respondeas primum, minime asseri de Ararat immediate, recto itinere et per abrupta montium in Mesopotamiam descendisse. Facilior de Ararat in Araxis vallem et in Mediam patebat accessus, inde per montium Gordyaenorum fauces et ab oriente in Ba-

byloniam descensus. *Bochart.* (Phaleg I. 6) coniicit, totum tum ad orientem Tigris fluminis regionum tractum nomen habuisse קדם seu *oriens,* hincque etiam Ararat ad *orientem* pertinuisse, licet a septentrione esset Mesopotamiae. Simili ratione aliquis e Moscovia in Palaestinam proficiscens dici potest proficisci in orientem. Sed praeterea cf., quae ad 8,4 dicebamus de nominis Ararat ambitu. De *Sennaar* vide 10,10; vocatur בקעה *vallis,* uti vallis Iordanis Deut. 34,3 etc., Coelesyria Am. 1,5. Notat *Kaulen,* verba esse hominum, qui ex montanis primum in planitiem figendis sedibus egregie utilem descenderint. Certe, quod *habitaverint ibi,* suggerit eam planitiem visam esse commodiorem iis, quos ante ad orientem tractus peragrassent; non erat ita nemoribus obsita, agrorum colendorum praebebat facultatem; ne ulterius progrederentur desertum prohibebat. Simul rariores arbores instigabant, ut aliam struendarum aedium materiam circumspicerent.

v. 3 « *Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro caemento* ». Nota assonantiam in singulis membris studiose quaesitam : נלבנה לבנים — ונשרפה לשרפה — הלבנים לאבן — והחמר חמר. Haec non sunt mera eventuum narratio a scriptore 11,1-9 primum enuntiata, sed sunt tetrastichon sua origine ipsa, quo haec agebantur, tempora attingens, quodque fortasse postmodum ab hominibus lateres coquentibus decantabatur. Similes perantiquos versus vide apud *Hommel* p. 314 sq. (sed cf. *Fr. Kaulen :* Assyrien u. Babylonien, Freiburgi. B. 1882, p. 175), quoad Aegyptios apud *Erman* p. 515 sq.; de alliteratione cf. ib. p. 528 sq. Tetrastichon exprimit utique *gaudium de re aliqua nova reperta* (*Kaulen,* Babel p. 154) : quaeritur, quae sit ea res. An erat ipsa tum laterum confectio novum quid et inauditum? Cui fere contradicit *Berosus* narrans homines vel ante diluvium usos esse lateribus pro inscriptionibus; neque id tamen multum ponderis habet, cum potuerit traditio babylonica, quam refert Berosus, aevo antediluviano genus inscriptionum attribuere, quod nonnisi post diluvium usuvenit. Aut novum erat laterum coctio? Sufficiet eam asserere novitatem, ut ars quidem compingendorum et coquendorum laterum fuerit nota, fortasse inde a temporibus ante diluvium, sed nunc primum post diluvium peregrinantibus se obtulerit in terra Sennaar praestantis ad id genus operis materiae copia. — Etiam hoc suggerit tetrastichon, homines pridem, aut ante aut post diluvium, calluisse artem aedificandi e lapidibus adhibito caemento, non meras quas dicunt cyclopicas structuras, e saxis sine caemento.

לבן h. l. est verbum denominativum derivatum a nomine לבנה *later :* utraque vox

apud Assyros eodem sensu usurpabatur (*Schrader*), apud quos radix non videtur habuisse sensum *album esse*, sed *firmum esse* (*Del.* Par. p. 144 sq.). Vel antiquissima, quae novimus, Babyloniae aedificia, v. g. recentissime reperta Sirburlae (*Hommel* p. 215), habent lateres coctos bitumine illitos. « Quisquis vel semel Babylonium laterem manu tenuit, oppido novit, quam vere s. textus rem describat » (*Schrader*). Utique plerumque lateres cocti et bitumine illiti murorum superficiei adhiberi consueverant, intervalla lateribus non coctis et caemento opplebantur. חֵמָר est *bitumen*, cf. 14,10; Ex. 2,3. Assyrice *kupur*, quod correspondet hebraeo כֹּפֶר *pix*, cf. 6,14. חֹמֶר est *argilla* Is. 45, 9; Iob 38, 14. Vox h. l. seligitur ob alliterationem cum חֵמָר.

v. 4 « *Et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem et turrim* », — non est singularis collectivus (*Aug.*), civitatem turres habentem; certe non plures in una civitate tam ingentis molis turres aedificandae erant; praeterea dicendum esset, etiam *civitatem* esse pluralem collectivum, quod admitti nequit, cum de una Babylone agatur — « *cuius culmen pertingat ad coelum* ». « Secundum hyperbolen dictum est » (*Aug.*); et cf. Deut. 1,28; 9,1. Hinc tamen nata videtur fabula de Titanibus montibus montes imponentibus atque coelum conscendere nisis. « *Et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras* ». Sed pro *antequam*, *LXX* πρίν, omnino corrigendum *ne*. Expressio עשה לו שם semper significat *facere sibi nomen*, nunquam vero *erigere sibi monumentum* (*Del.*), nam 2 Reg. 8,13 textus est corruptus, quod ibidem ostendimus. Conferri autem h. l. omnino oportet Gen. 6,4, ubi sermo erat de « gigantibus antiquis, *viris nominis* » seu « viris famosis ». Sc. eorum iam famosa facta aemulabantur gigantes nostri (cf. 10,8 sq.) postdiluviani.

Adverte porro in eorum verbis consilium et consilii finem. Est autem finis negativus : *ne dividamur etc.* Quem ignorat *Cai.* dicens aedificandae turris rationem fuisse, quo se ab inimicis defenderent; et *Ios.*, quo a futuri cuiuslibet diluvii aquis viverent securi, cum promisisset Deus (*Ephr.*), nullum iam diluvium esse futurum. Consilium duobus membris enuntiatur, aedificandae turris et celebrandi nominis. Quaeritur iam, quomodo haec duo media esse possint, quibus praepediatur dispersio. Absurde coniicit *Budde* p. 375 putasse illos homines, quod coelum ubique terrarum conspiciatur, turrim quoque, quae coelum attingeret, ubique terrarum fore adspectabilem atque indicis instar homines ex maxime dissitis regionibus ad commune centrum fore revocaturam. Cum tota antiquitate Babylonii floruerint laude scientiae astronomicae, quam documenta nuper cuneiformia egregie confirmarunt, quomodo supponemus eosdem rei opticae ita fuisse imperitos, ut unam aliquam turrim existimaverint, per totum orbem conspici

posse? An forte Ararat mons in terra Sennaar oculis cernebatur? Veram solutionem habet *Aug.*, aedificatam esse urbem, « ubi esset tamquam in metropoli habitaculum regni ». « Cupiebant illi simul esse omnes unamque velut rempublicam et societatem constituere » (*Per.*). Quos *Calm.* inducit loquentes : « Donec certa sede carebimus, difficile sociam vivendi rationem servabimus et nullo negotio dispergemur : communem igitur urbem pro communi sede aedificemus ». Igitur civitas futura erat *centrum imperii;* fama nominis, opum, aedificiorum inductura erat nationes etiam remotiores, ut auctoritatem agnoscerent penderentque tributum. Lege annales regum Assyriorum proclamantium, terrore *nominis* sui et reverentia deorum suorum adductos esse aliarum gentium regulos, ut arma deponerent, proni adorarent, tributa solverent. Turris quoque praealta, cuius similis in universo orbe haud cerneretur, ad gloriam urbis et imperii plurimum erat collatura. Praeterea adverte, pyramidas Babyloniorum per gradus assurgentes, qualis certe fuit nostra turris, omnes fuisse *templa :* ergo illa turris futura erat orbis centrum tam religiosum quam politicum, ipsa religio adhibebatur ut medium efficiendae unitatis et gloriae imperii. Iam facile perspicies, cur eius turris aedificationem Deus improbaverit atque perverterit.

Perquam probabile est, turrem Babylonicam alterutro loco fuisse, ubi nunc duorum sacrorum aedificiorum Babil et Birs Nimrud cernuntur ruinae. Babil Babylone erat creditur que esse ipsum celeberrimum Beli templum, cui nomen Isaggila i. e. « domus alti verticis ». Birs Nimrud antiquitus vocabatur « templum septem luminum coeli et terrae » eratque Borsippae, in litore Euphratis civitati Babylon obiecto : non tamen inde inferas non posse esse nostram turrim, cum haec non affirmetur Gen. 11 fuisse *intra* civitatem. Igitur hanc structuram, « quam prior aliquis rex erexerat produxeratque ad altitudinem 42 cubitorum, summitatem tamen non absolverat, quaeque inde a remotis diebus in ruinam abierat », Nabuchodonosor rex se restaurasse gloriatur. Putaverat *I. Oppert* aliquando, eundem regem *diluvii* quoque explicitam facere mentionem; id tamen textus ille non habet. Cf. *Schrader.*

v. 5 « *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam* ». בני האדם, eadem expressio atque 6,2.4 neque multum refert, vertasne *filii Adam* an *filii hominum* (*LXX Chald. Syr.*) : « non filii Dei » (*Beda*). Nunc, ubi maior Noachidarum pars ob superbiam est repudianda, inuritur illis nomen illud, quod Cainitarum reproborum fuerat proprium. Monet *Rup.*, Deum item 18,21 de Sodoma vindictam sumpturum dicere : « Descendam et videbo ». Est locutio anthropomorphica : « Non loco movetur Deus, qui semper ubique totus, sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam

quodammodo eius ostendat; nec videndo discit ad tempus, qui nunquam potest aliquid ignorare, sed ad tempus videre et cognoscere dicitur, quod videri et cognosci facit » (*Aug.*). v. 6 « *Et dixit* » *Dominus* : « *Ecce unus est populus et unum labium omnibus* », quae duplex unitas ratio est potissima, cur magna aggredi possint perficienda. « *Coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant* ». *Hebr. Neque cohibebuntur a quoquam, quod cogitaverint perficere,* nihil eis erit impossibile, non erunt limites audaciae (*Kaulen* p. 159). Cf. 3,22, ubi similiter Deus vereri se profitetur, ne ad ulteriora Adam lapsus progrediatur (*Chrys.*). Ex eo, quod homines illi dicantur ab ea aedificatione initium sumpsisse audaciae supponanturque eam aedificationem, ni impediantur, revera esse completuri, merito infert *Per.*, illos non intendisse turrim producere revera usque « ad coelum », quod nulla humana ars valuisset efficere. v. 7 « *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui* ». הבה, uti v. 3.4 : pluralitati aedificantium opponitur pluralitas descendentium. Pluralem explicat *Ephr.* de SS. Trinitate; item *Rup.* : « Non angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur Trinitas et unus Deus ». *Aug.* aliique verba censent dirigi ad angelos. Neque singularis *Dominus* v. 8 utrivis explicationi obstat. At quomodo v. 7 dicit *descendamus,* qui v. 5 iam *descendit? Dillm.* putat, Deum post *visum* v. 5 turris aedificium rediisse in coelum ibique consilium v. 6 sq. mente agitasse. *Calm.* turbatum suggerit sermonis contextum. *Menoch.* : « descenderat », inquit, « ut videret, nunc descendit, ut nova operatione sua linguas confundat ». Nota in descriptione anthropomorphica non oportere singula tam stricte ex ordine proferri, quam in narratione historica.

Effectus confusarum linguarum ne commemoratur quidem, sed solus ultimus et praecipuus eventus dispersionis. v. 8 « *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt aedificare civitatem* ». Addunt *Sam. LXX et turrim.* v. 9 « *Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est* » — *Hebr. confudit Dominus* — « *labium universae terrae; et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum* ». Ultimum membrum additur tamquam ulterior et praecipuus effectus, non (*Kn.*) ad suggerendam alteram vocis *Babel* significationem.

Antiquissimum et protochaldaicum urbis nomen est *Tintir,* quod sonat non « lucum vitae » sed « sedem vitae » (*Hommel* p. 414). Id non contradicit textui : potuit enim eo loco, antequam immanis illa civitas aedificaretur, vicus aliquis esse aut etiam urbs. Nomen semiticum atque recentius est *Babil*, quod protochaldaice vertitur

Kadingir vel *Kadimir*. Hoc autem nomen versione ortum esse ex illo, et non vice versa, inde infert *Hommel*, quod in Kadingir voces eo ordine copulentur, qui proprius sit linguarum semiticarum et status constructus audit, a lingua vero protochaldaica est alienus. Porro Kadingir significat « porta Dei » : ergo idipsum significat Babil. Aliunde, quam Gen. adstruit contractio nominis בבל ex בלבל a בלל omnino genio linguae hebr. consonat et ex syriaca et arabica confirmatur (*Ges.*). Una derivatio alteram non excludit : agitur enim de facto non etymologico sed historico. Qui consilium inierant urbis exstruendae, quae centrum esset et imperii et religionis, certe cogitabant Babelem i. e. Portam Dei. Qui eo consilio misere collapso sedes alio transferre cogebantur, idem nomen a בלל ironice repetebant, ut sensus esset Confusio. — Cavendum est ab aliis quibusdam interpretamentis minime certis, v. g. aliud urbis nomen E. KI significare « urbem linguarum », aut *Barsip* » turrim linguarum », cum tamen hoc nomen non videatur esse compositum semiticum, sed correptum e nomine protochaldaeo *Badsiaba*. — Cf. *Schrader* KAT, *Del.* Par. p. 212 sqq., *Hommel* 238 sqq.

GENERATIONES SEM

GEN. 11,10-26

CAPUT I.

CRITICA NUMERORUM GENEALOGIAE.

Certum est huius genealogiae numeros primitus, quocunque tandem sensu ab auctore sacro intelligebantur, fuisse *veros* et *erroris expertes* neque mythos solum expressisse, qui apud Hebraeos tunc temporis circumferrentur. Certum item est, hos numeros ad nos devenisse ex parte utique *corruptos*, cum diversi iam legantur apud Hebr. Sam. LXX. Unde primum interpretis officium illud est, ut lectiones *critice* comparet inter se et, qui numeri primitus fuerint scripti, probabili saltem coniectura definiat. Potest quidem nunc interpres, quae ex chronologia profana petuntur, obiectiones declinare demonstrata dubia biblicorum, quae nunc legantur, numerorum fide. Simul tamen meminerit, hos numeros novis aliquando accedentibus momentis posse evadere minus dubios vel etiam certos; et perpendat iam nunc, quaenam contra textum probabiliter emendatum opponi forte possint.

Ad sequentem tabellam nota haec. Numeros, qui apud *Hebr. LXX* non leguntur, sed ex additis vel subtractis aliis ib. numeris eruuntur, parenthesi includimus. Numeros vero retinemus omnes, quales in editionibus receptis leguntur, excepto pro Nachor *LXX* 125, cui substituimus lectionem 129 i. e. 69 + 60 (v. infra) necessario praeferendam, qua perspiciatur systema mutatorum apud *LXX* quorumdam numerorum. Tandem numeros columnarum A et B apud *Hebr. LXX* plures resolvimus in suas partes componentes (v. g. 235 in 135 + 100, 403 in 303 + 100), quo idem illud systema primo quemque intuitu percellat. Ad marginem adscribimus *annos a diluvio*, ita ut annus centesimus Sem, qui idem est diluvii annus (cf. 5, 31; 7, 6), sit annus 0. Numeri cap. 5 et 11 evidenter sunt eiusdem generis et invicem excipiunt. Quare h. l. omnino possumus ignorare verba 11, 10 « biennio post diluvium », suo loco explicanda. Quae si attenderemus, oporteret annos Sem ita scribi : 2 — 102 — 498 — 600 — 500, et computus maneret idem.

Negligimus numeros Libri Iubilaeorum, saeculo ante Christum exarati, quos *Dillm.* (Sitzungsbericht der Berliner Akademie der Wissenschaften 1883 I. 334 sqq.) interpreti Gen. 5 et 11 perpendendos esse pronuntiabat, sed in suo ipse 1886 Commentario vix attingit. Pro patriarchis antediluvianis illi numeri cum Sam. concordant, pro postdiluvianis omnino extra rhombum saltant.

	Samaritanus.				Hebraeus.				LXX.			
	A		B	C	A		B	C	A		B	C
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno
	diluvii	vitae		vitae diluvii	diluvii	vitae		vitae diluvii	diluvii	vitae		vitae diluvii
11 Sem.....	0	100	500	600 **500**	0	100	500	(600) **500**	0	100	500	(600) **500**
12 Arphaxad.	135	135	303	438 **438**	35	135-100	303 + 100	(438) **438**	135	135	300(?) + 100	(535) **535**
Cainan...	—	—	—	— —	—	—	—	— —	265	130	330	(460) **595**
13 Sale.....	265	130	303	433 **568**	65	130-100	303 + 100	(433) **468**	395	130	330	(460) **725**
14 Heber....	399	134	270	404 **669**	99	134-100	270 + 100 + 60	(464) **529**	529	134	270	(404) **799**
15 Phaleg...	529	130	109	239 **638**	129	130-100	109 + 100	(239) **338**	659	130	109 + 100	(339) **868**
16 Reu.....	661	132	107	239 **768**	161	132-100	107 + 100	(239) **368**	791	132	107 + 100	(339) **998**
17 Sarug....	791	130	100	230 **891**	191	130-100	100 + 100	(230) **391**	921	130	100 + 100	(330) **1121**
18 Nachor...	870	79	69	148 **939**	220	79- 50	69 + 50	(148) **339**	1100	179 (?)	69 + 60	(308) **1229**
19 Thare....	940	70	75	145 **1015**	290	70	(75 + 60)	205 **425**	1170	70	(75 + 60)	205 **1305**

Difficilior de Generationum Sem numeris disputatio et intricatior ea, quae de Sethitarum numeris cap. 5 habebatur : maior quippe, quae obiter inspicienti cuique patet, numerorum corruptio. Quoad *Sem* quidem omnes concordant. Quoad *Thare* ea habetur divergentia, ut *Sam.* ei post genitum Abraham solos 75 vitae annos (145 — 70 = 75) concedat, *Hebr. LXX* 135 (205-70 = 135). Ergo secundum Sam. Abraham (cf. 12, 4) eo ipso, quo mortuus est pater, anno atque sane post eius mortem egressus est de Haran, quod melius quadrat contextui. Cum enim 11, 31 narretur Thare consilio petendae Chanaanitidis Chaldaea excessisse, 12,4 sq. autem referatur Abraham 75 annos natus sine patre de Haran in Chanaanitiden esse progressus, obvia sane est conclusio, Tharen reapse tum in Haran fuisse demortuum, nisi mavis gratuito penitus supponere, Tharen pii petendae Chanaanitidis consilii immemorem multos in Haran annos perseverasse, et quidem solum, filio sc. et nepote cum universa substantia in Chanaanitiden progressis.

Cum igitur in Semo omnes consentiant, in Thare vero contextus suadeat numerum Sam. praeferre numero Hebr. LXX, cumque praeterea cap. 5 numeros Sam. prae Hebr. LXX genuinos deprehenderimus, suggeret fortasse quis, ob has solas rationes omnes cap. 11, quales a Sam. traduntur, numeros retineri oportere prae iis, quos ib. scribunt Hebr. LXX. Tamen cautius in hac re procedendum : potuit enim fieri, ut Sam., qui cap. 5 genuinum textum servavit, cap. 11 corruptionibus dederit locum, utque aut Hebr. aut LXX, quam cap. 5 passus sit, cap. 11 evaserit iniuriam. Singula igitur inspiciamus.

Igitur solus *Sam.*, praeter annos ante et post genitum filium elapsos, eorum annorum etiam summam tradit, quam nos columna C descripsimus et pro *Hebr. LXX* parenthesi supplevimus. Aut haec summa primitus in textu erat, postmodum in quibusdam codicibus excidit; aut a Sam. ad instar cap. 5 fuit suppleta. Item soli *Sam. LXX* ad instar cap. 5 addunt *et mortuus est.* — Columnam A lustrantem illico istud percellit, numeros in tribus textibus esse eosdem, sed apud *Sam. LXX* centenariis auctos, apud *Hebr.* iisdem carentes. Aut Hebr. detractis centenariis numeros diminuit, aut iisdem additis Sam. LXX numeros auxere. Minuendi ratio esse potuit, ne patriarchae postdiluviani viderentur provectiori plerique aetate genuisse atque antediluviani, qui vix non omnes centenariis in columna A carebant. Futilis certe ea ratio erat, cum numeri non tempus exprimant, quo singuli primum genuerint, sed illud quo filios Abrahae progenitores futuros genuerint. Non dicuntur antediluviani ad annos fere sexaginta usque omni prole caruisse, postdiluviani fere ad annos usque centum triginta. Ut autem viri, qui ad annos plus ducentos vitam produxerint, anno cir-

citer vitae centesimo trigesimo filios ediderint, ita mirum non est.

Sed est alia ratio, quae demonstrat, numeros ab Hebr. diminutos, non vero a Sam. esse auctos, sc. anni Nachor, quos *Sam.* scribit 79, *Hebr.* 29. Iamvero si Sam. augendis numeris supponatur indulsisse, nulla assignari potest ratio, cur non h. l. pro 29 scripserit 129. At facile res explicatur, si supponatur Hebr. centenos a singulis numeris subtraxisse : sc. 100 a 79 subtrahi non poterat, quod 79 sit numerus centenario minor. Subtraxit igitur Hebr. 50, nam 79 — 50 = 29; ut vero summam totius vitae (148) intactam servaret, annis vitae post genitum filium rursus 50 addidit : 69 + 50 = 119.

Nam hoc Hebr. semper agebat, ut diminutis columnae A numeris tamen immutata maneret totius vitae summa (columna C); quare detractos in columna A 100 (vel 50) annos religiose in columna B restituebat. Cf. Sale, ubi pro Sam. 130 + 303 = 433 Hebr. habet 30 + 403 = 433; cf. item Phaleg, Reu, Sarug, Nachor. Ob quam legem constanter servatam etiam crediderim, apud Arphaxad *Masor.* 403 prae *Vulg.* 303 repraesentare primaevam Hebraei artificiose recusi lectionem. Duas vero haec lex patitur exceptiones et eas quidem, quae clare demonstrent Hebraeum numeros artificiose mutasse, Sam. servasse intactos. Hebero sc., a quo Hebraeorum derivatum credebatur nomen, ad viri dignitatem amplificandam adiecti anni 60 seu sossus unus, ut is iam aetate post Semum maximus in tota serie deprehendatur (500, 430 et hinc 600,464). Neque ferendum videbatur, ut Thare Abrahae pater reliquis omnibus iunior (145) e vivis cesserit : quare et illi gratiose concessus est sossus unus seu anni 60, quo saltem Nachorem aetate superaret (148,205). Sane non invenietur quisquam, qui asserat Sam. tantis viris, Hebero et Thare, sexagenos annos *detraxisse!*

Comparabamus Sam. et Hebr. inter se, aliqua supersunt addenda de LXX, ubi et plures lectiones sunt incertae et, dum geniti filii anni cum Sam. concordant, anni post genitum filium aliquoties (Phaleg 209, Reu 207, Sarug 200, Thare 135) idem, quod Hebr., augmentum habent, quo annorum summa in columna C augetur. Thare sossum additum habet, non Heber. Textus generatim cum Sam. concordat, aliquoties tamen ex Hebr. apparet emendatus. Summam totius vitae (C) cum Hebr. non exprimit, sed cum Sam. ad instar cap. 5 addit *et mortuus est.*

Igitur in columna A *Lagarde* 134 pro Phaleg facillime subrepere potuit ex immediate praecedentibus annis 134 Heber. *Ios.* numeros Reu et Sarug (132. 130) transponit. Pro Nachor, praeter lectionem receptam 179, *Lagarde* aliam habet 79, quae et cum Sam. et Hebr. magis concordat et ob ea, quae de subtractis ab Hebraeo 50 annis diximus, indubie est praeferenda. *Ios.* 120 ib. nulla auctoritate fulcitur, uti neque

75, quos *Syr.* Tharae attribuit annos. — In columna B pro Arphaxad cum LXX recepta 400 cf. *Lagarde* et *Chald.* 430, *Hebr.* et *Syr.* 403, contra *Sam. Vulg.* 303 et aliam Vulg. lectionem (ap. *Vere.*) 330 : quae prima facie efficiunt maiorem probabilitatem, fuisse in illo numero quadringentos potius quam trecentos. Quae tamen opinio iis convellitur, quae supra ostendebamus, numeros Hebr. columnae B (ergo etiam Arphaxad 403) ortum duxisse e numeris Sam. additis 100 : ergo 303 praeferendum prae 403. Potest porro de eodem numero ambigi, legendumne sit cum *Sam. Hebr. Vulg. Syr.* 03, an cum *Chald. Lagarde* et lectione Vulg. 30 : sane illud longe probabilius. — Pro Sale *Sam.* habet 303, quod quoad priorem partem confirmatur *LXX* 330, quoad alteram partem *Hebr. Vulg. Chald. Syr.* 403 : quare ne hic quidem a Sam. recedere cogimur. Et nota, LXX tam pro Sale quam pro Arphaxad a numeris non rotundis delabi ad rotundos. — Pro Heber habet *Lagarde* 370; ergo iam hic, uti in sqq., *LXX* 100 ab Hebr. additos transsumpsisset; at non sossum, quem idem Hebero concedit. Verum rem attende mirandam : si pro Nachor sequaris lectionem, cuius meminit *Tischendorf*, sc. 129 loco 125, reperitur sossus huic patriarchae adiectus, nam 129 = 69 + 60. Duos igitur sossos tam *Hebr.* quam *LXX* computo inserunt, quorum alterum unanimes Thare, alterum diversis, Hebero sc. vel Nachoro, tribuunt.

In hoc autem potissimum a reliquis textibus dissonat LXX, quod inter Arphaxad et Sale inserat *Cainan*. Quem esse eliminandum critica ratio omnino suadet : quod is a reliquis textibus omnibus ignoretur, speciatim a *Sam.*, quem in hac genealogia maioris quam LXX auctoritatis esse demonstravimus; quod illi Cainan anni a LXX adscribantur iidem cum Sale, 130 et 330, quique videantur repetitione eorum numerorum esse suborti; quod addito Cainan decem habeantur a Sem ad Thare patriarchae, quot sc. ab Adam ad Noe numerabantur. Porro, cum sciamus e Matth. 1,17 ter quaternas denas ab Abraham ad Christum recensente generationes, Iudaeos posteriores generationibus biblicis certis numeris distribuendis indulsisse, neque illud mirabimur, LXX patriarchas bis denos ante Abraham numerasse. Neque tamen eadem est LXX et S. Matthaei ratio : aliud quippe est, nomina aliqua, quae ex V. T. facile quisque supplere poterat, supprimere, aliud nomen unum gratuito affingere. Cainan etiam ignoratur a *Ios.* et *Philone*, et 1 Par. 1,24 a plerisque codicibus *LXX;* quod autem legatur in ed. compl. Ald. et in codicibus III, 19,44,52,56,60,64,243 parum valet, cum generatim ob codicum LXX in his genealogiis describendis licentiam, tum speciatim quod item Gen. 10,24 et 1 Par. 1,18, et quidem certe falso, LXX legant : « Arphaxad autem genuit Cainan, et Cainan genuit Sale, et Sale genuit Heber. Porro Heber nati sunt etc. ». Cf. apud *Calm.* (ad Gen. 10,24) nomina antiquorum, qui cum LXX prae manibus haberent, tamen Cainanum ignoravere.

Difficultatem facit Luc. 3,36 hunc Cainan progenitoribus messiae adnumerans; neque, quod unus codex D nomen ignoret, ob id solum

fas erit critico nomen e Lucae textu tamquam spurium expungere. At quomodo solvenda difficultas? Alii, uti *Per.*, *Lamy* Cainan e textu quidem Genesis exsulare iubent, at difficultatis solutionem fatentur se habere nullam. *Cai.* evangelistam ab errore excusat, quod is sequi voluerit, quod apud LXX scriptum repererit. Accedit *Petavius S. I.* (De doctrina temporum IX, 17), *H. Colombier S. I.* (Études etc., 1872 I. p. 213 sq.) aliique. Lucas « evangelium scribens », ait Colombier, « non criticum agebat antiquarum historiarum, neque aliud probat nomen Cainan eius textui insertum, nisi hoc nomen infuisse codicibus LXX eius aevi ». *Lap.*, *Calm.*, *L. Cl. Fillion* (La Sainte Bible, Paris 1889) censent, nomen Cainan a S. Luca non esse scriptum, sed scribae errore in eius textum mature irrepsisse, idque tanto facilius, quod eius temporis christiani textus LXX gnari persuasum haberent, illud nomen reapse ad genealogiam pertinere. Quod vero praeter codicem D nullus codex nomen ignoret, non efficit absolutam probationem nomen ab ipso S. Luca scriptum esse, cum quorumdam in s. textu mendorum nos omnia iam vestigia latere possint.

Illud non ita facile dirimitur, irrepseritne in textum Geneseos primum *nomen* Cainan, cui dein tributi sint *anni* a Sale mutuati, an *annis* primum iteratis affixum postmodum sit *nomen*. Quaestio cum altera connectitur, unde nomen Cainan depromptum sit. In tres hoc nomen textus irrepsit. Brevissime commemoratur 10, 22 : « et Aram et Cainan. Filii Aram etc. ». Breviter item 10, 24 : « Arphaxad genuit Cainan, Cainan autem genuit Sale ». Fuse 11, 12, ubi anni vitae, filii et filiae, tandem mors recensentur. Hoc tertium mendum crediderim secundo esse recentius. Postquam sc. 10, 24 ille Cainan inter Arphaxad et Sale comparuit, censuit emendator aliquis eum aequo iure 11, 12 inter eosdem inseri oportere : nomen igitur introduxit iis formulis, quae in Generationibus Sem solemnes sunt, veluti vestitum adscriptisque iisdem, quos Sale habebat annis. Difficilius explicatur, quomodo error 10, 24 irrepserit, et utrum nexus aliquis sit inter errores 10, 24 et 22. Et prima quidem fronte videntur duo illi Cainan, quorum alter Arphaxadi frater, alter filius scribitur, prorsus esse ab invicem diversi. Potuit tamen vox καιναν primum margini semel inscripta, inde in duos versos 22 et 24 irrepsisse. At unde ea vox? Recurrunt fere auctores ad formam קינן : cur vero corrector noster ad hoc prae aliis cap. 5 nominibus recurrerit, nulla ratione explicatur. Verius fortasse in graeca forma καιναν sistemus. Silentibus interpretibus ceteris, liceat coniecturam suggerere. Potuit 10, 22 και αραμ in aliquo manuscripto corrumpi in καιναν, quod deinde margini alterius codicis adscriptum, e margine ab alio scriba translatum est in v. 22 : και αραμ (και) καιναν. και οι υιοι κ.τ.λ. Alius vero scriba in suo manuscripto illud καιναν transtulit non in v. 22 sed in v. 24, supplens paucas voces : και αρφαξαδ εγεννησε τον καιναν, καιναν δε εγεννησε κ. τ. λ. Mox utrumque simul mendum describi coeptum est. Rursum alius quidam scriba e corrupto v. 24 emendavit 11, 12. Tandem omnia haec simul menda in codicibus LXX sat multis conspiciebantur. Nomen Cainan tanto facilius recipiebatur, quod e cap. 5 tamquam alicuius patriarchae nomen iam esset notum.

Commenta quaedam recentiorem recensuisse sufficiat. *Wellh.* Prol. p. 330 et *Budde* p. 411 sq. censent exstitisse primitus genealogiam aliquam iahvistae antiquioris.

qui ad instar septem patriarcharum Cainitarum noverit septem tantummodo patriarchas Semitas : secundum ipsum sc. Heber (10, 21 !) est Semi non abnepos, sed filius, ignorabantur Arphaxad et Sale. Quibus insertis ac praeterea Noe, qui ultimus antediluvianorum numerabatur, simul iterum postdiluvianis accensito, iahvista posterior numerum patriarcharum denarium complevit. Iidem auctores Nachor, patrem Thare, et Nachor (11, 26), fratrem Abrahae, confundunt, priorem illum eliminant, ut primitus hi tantum numerarentur patriarchae septem : Noe, Sem, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Thare.

Pro conclusione describimus numeros *Sam.*, quos genuinos esse demonstravimus, adscriptis non diluvii sed mundi annis. Annos autem a creatione ad diluvium cum *Sam.* statuimus **1307**.

	A Genuit anno		B Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	
	mundi	vitae		vitae	mundi
11 Sem.....	1307	100	500	600	1807
12 Arphaxad....	1442	135	303	438	1745
13 Sale.....	1572	130	303	433	1875
14 Heber	1706	134	270	404	1976
15 Phaleg.....	1836	130	109	239	1945
16 Reu.....	1968	132	107	239	2075
17 Sarug.....	2098	130	100	230	2198
18 Nachor.....	2177	79	69	148	2246
19 Thare	2247	70	75	145	2322

CAPUT II.

GENERATIONUM SEM INDOLES ET COMMENTARIUS.

Auctores antiquiores, secuti vel Hebr. vel LXX, varia excogitaverunt systemata chronologica. Quorum in opere « L'art de vérifier les dates, avant l'ère chrétienne » (ed. 1820 p. IX-XII) iam recensebantur centum et octo; sed numerus ab eo tempore non parum crevit. Verum inter recentiores illa maxime quaestio agitatur, quatenus possit ex illis numeris omnino computus chronologicus legitime confici.

Et primum quidem auctor Geneseos inspiratus has Generationes inseruit tamquam documentum *vere chronologicum et genealogicum*, i. e. quod et Abrahae ex Noe originem et temporum inter illos rationem, sive complete sive incomplete, at certe vere describeret. Etenim

Generationes Sem annulus veluti sunt in catena illa, quae per Generationes Adam (5,1 sqq.), Noe (6,9 sqq.), Thare (11,27 sqq.), Isaac (25,19 sqq.), Iacob (37,1 sqq.), originem gentis electae demonstrat, itemque ut documentum genealogicum tam ab auctore 1 Par., quam a S. Luca recipiuntur. Anni vero patriarcharum Semitarum eiusdem profecto sunt indolis atque anni patriarcharum Sethitarum et speciatim annus ille sexcentesimus Noe (7,11; 8,5. 13. 14), qui utique fuit annus lunaris 354 dierum.

Dicebamus p. 207 de opinione quorumdam antiquorum, qui ad longaevitatem patriarcharum eliminandam *annos* adstruebant annis vulgaribus multo breviores. Quod systema resuscitavere *Cherallier* : L'année religieuse dans la famille d'Abraham ou Chronologie antique, Paris 1873; et post ipsum *V. Dumax* : Révision et reconstruction de la Chronologie biblique et profane. Époque antédiluvienne. Paris 1886, p. 184 sqq. Hi viri illam opinionem ita reconciliandis Hebr. Sam. LXX numeris discordantibus applicuere, ut a creatione ad diluvium reapse effluxerint, quos habet Hebr., anni 1656 iique anni solares, aut secundum textum emendatum LXX anni 2256 novenorum mensium, aut secundum Sam. 1307 anni septenorum mensium, et illi tres numeri re unam eandemque durationem exprimant. Imo vel lectiones variantes, sc. 2242 anni textus LXX non emendati et lectio quaedam 1356 Samaritani haud fide digna, similiter ex computo aliquo explicantur. At aliter res habet quoad patriarchas postdiluvianos. Ibi *Dumax* (2e Époque p. 15) non aliam numerorum Sam. LXX ab Hebr. discordantium explicationem affert, nisi voluisse illos epochae istius durationem augere; omnium igitur textuum annos solares intelligi agnoscit. E contra Gen. 12,4 annos 75 Abrahae interpretatur annos septenorum mensium, qui aequivaleant 43 annis solaribus. Ad haec respondeas:

1) tempora diluvii certe describuntur secundum menses et dies anni lunaris : ergo non est verum, textum Hebr. intelligere annos solares.

2) Si summarum 1656, 1307, 2256 discrepantia e diversis suppositis annis explicanda sit, ergo correspondens discrepantia deprehendatur necesse est in singulis numeris, quibus illae summae in textu sacro non expressae coalescunt, numeris sc. annorum quibus singuli patriarchae genuerint. At nihil eiusmodi cernitur : illi numeri apud Sam., tribus exceptis, continuo sunt iidem atque apud Hebr. Ergo summarum discrepantia non e computo, sed e quibusdam mutatis numeris ortum duxit.

3) Fide non satis dignum videtur systema chronologicum, quod in antiquissimis temporibus discutiendis non solum numeros textuum receptorum quosvis, sed vel ipsas lectiones variantes e certo aliquo computo derivare novit. Nihil explicat, qui nimium explicat.

4) Unius rationis sunt numeri cap. 5 et cap. 11 : unde si illos pro Sam. LXX ex annis septenorum vel novenorum mensium repetas, oportebit hos item indidem repetere. Ut autem soli 75 anni Abrahae sint septenorum mensium, reliqui vero solares, ridiculum plane est.

Postquam stabilivimus, genealogiam et vere esse documentum chronologicum et veris annis lunaribus coalescere, illud venit examinandum, sitne eadem *continua*. Nostratum quippe plures affirmavere definiri haud posse, annon eius genealogiae plura membra aut a s. auctore

consilio fuerint omissa aut librariorum negligentia interciderint. Cf. inter alios *H. Valroger :* L'âge du monde et de l'homme d'après la Bible et l'Église, Paris 1869, p. 70 ; *I. Knabenbauer S. I. :* Bibel u. Chronologie, in : Stimmen aus Maria Laach VI. 164 sqq. 358 sqq., Freiburg i. B. 1874 ; *F. Vigouroux,* Manuel I. 443 sqq. ; *I. Brucker S. I. :* La chronologie des premiers âges de l'humanité, Lyon 1886 (Extrait de la Controverse et du Contemporain) ; *E. A. Pannier :* Genealogiae biblicae p. 251 sqq., Insulis 1886.

Ubi primum illud concedendum est genealogias biblicas haud raro tradi incompletas, neque solum librariorum incuria sed auctorum inspiratorum consilio : exemplum habes notissimum Matth. 1,17. Reapse voces *filius* et *genuit* apud Hebraeos de generatione adhibentur tam mediata quam immediata. Imo neque numeri annorum adscripti per se efficiunt, genealogiam esse completam et continuam. Cf. Ex. 6,16 sqq. : « Et haec nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gerson et Caath et Merari. Anni autem vitae Levi fuerunt 137. — Filii Caath : Amram et Isaar et Hebron et Oziel. Anni quoque vitae Caath 133. — Fueruntque anni vitae Amram 137 ». Quibus numeris non obstantibus fas sibi esse censent exegetae, defendere Ex. 12,40 Israelitarum in Aegypto commorationem 430 annorum. Reapse his numeris non voluit auctor continuam tradere chronologiam, quae ex illis confici minime potest, quamdiu quo vitae parentis anno natus sit eorum virorum quisque ignoramus ; voluit autem auctor vel longaevitatis in ea familia aliqua tradere specimina, vel eorum virorum quas norat aetates describere, aliorum et nominibus et aetatibus suppressis.

At quaestio est, patianturne formulae Gen. 11 adhiberi solitae eam genealogiam dici non continuam. Et hic quidem cernere est quandoque aliquid haud dissimile eius, quod in disputatione de Hexaemero observatur. Ubi exinde, quod vox *dies* indeterminatum quandoque tempus designet, inferunt Periodistae posse de infinitis periodis explicari formulam : « Et factum est vespere et mane, dies x ». Similiter h. l. facilius supponunt aliqui, quod vox *genuit* quandoque de mediata generatione usurpetur, de eadem exponi posse formulam : Vixit A annis x et genuit B ; et vixit A, postquam genuit B, annis y, et genuit filios et filias. Et vixit B etc. ». Quae sunt res toto coelo diversae.

Igitur ut de mediata generatione ea formula exponatur, necesse est ut in ea formula aut *nomina* patriarcharum aut verbum *genuit* accipiantur indeterminate.

Illud suggerit *Brucker* p. 19 sq., nomina eorum, qui geniti esse recensentur, interpretatus indeterminate, ut vel ipsos viros, qui iis appellati sint nominibus, vel eorum virorum patres aut avos etc. no-

mina designent. Accipe exemplum : « Phaleg vixit 30 annis et genuit *patrem aut alium aliquem antecessorem* Reu. Vixitque Phaleg, postquam genuit *patrem aut alium aliquem antecessorem* Reu, 209 annis et genuit filios et filias ».

« Age », exclamat auctor, « cernisne vel minimam in hac interpretatione impossibilitatem aut contradictionem? » Absurdam equidem censeo. Primum adverte, eam utique admitti non posse 11, 26 : ille enim, quem Thare genuit Abraham et postea v. 31 « tulit » secum in Haran, non est veri et historici Abrahae *pater aut antecessor aliquis*, sed ipsissimus Abraham, cuius deinceps acta narrantur. Item nomine Sem v. 11 ipse Sem designatur, cum inter Sem et Noe nulli *antecessores* intercesserint. Si autem genealogiae nomina primum et ultimum sensu unice obvio accipiantur, cur non item et reliqua? Praesertim, cum illud interpretamenti genus quaestionem tandem chronologicam linquat plane intactam : sc. Sem anno 0 genuit A, qui A anno 135 genuit B, qui B anno 130 genuit C, qui C anno 134 genuit D, et ita porro, ut a diluvio ad natum Abraham effluxerint anni omnino 940. Dicat fortasse aliquis : Sem, cum centum esset annorum, genuit Arphaxad, quo nomine h. l. supponamus intelligi veri Arphaxad avum; dein Arphaxad, hac vice non avus sed ipse Arphaxad, cum 135 esset annorum, genuit Sale. Verum istud admitti nullo pacto potest. Nomen Arphaxad, sive determinate sive indeterminatius accipiatur, in eodem contextu eodem sensu est intelligendum : ille Arphaxad, quem genuit Sem, elapsis a nativitate 135 annis genuit Sale.

Alio modo interpretatur patriarcharum nomina *Dumax*, 2e Époque p. 136 sqq., secutus Hebraei numeros. « Sem genuit Arphaxad, futurum haeredem promissionum, biennio post diluvium. *Stirps* Arphaxad post natum Arphaxad perseveravit 500 annis successione directa. Qua exstincta perseveravit eadem stirps in ramo aliquo secundario 35 annos usque ad genitum Sale. Qui ramus evasit stirps Sale et successione directa perseveravit 303 annis. Qua exstincta stirps Sale perseveravit in ramo aliquo secundario 30 annis usque ad genitum Heber etc. ».

Respondeas, textum sacrum non permittere, ut anni ante genitum filium et anni a genito filio hoc modo permisceantur; id speciatim repugnat Sam., qui ex utraque numerorum serie summas annorum vitae conflat, neque ita brevi manu confici potest; idipsum repugnat analogiae cap. 5, quam nefas est ignorare. Tota haec explanatio non alio fine excogitata est, quam ut maior annorum numerus a diluvio ad nativitatem Abrahae obtineatur, sc. 2709 (ib. p. 207) loco 290 : magnum utique augmentum, sed pretio interpreti haud ferendo comparatum.

Missis igitur his et similibus *nominum* interpretamentis videamus, num in formula, quae in genealogia usurpatur, liceat verbum *genuit*, similiter atque aliis quibusdam locis, de mediata exponere generatione. Sensus tum erit fere hic : « Sem anno 0 genuit Arphaxad, vel immediate vel mediate, aut ipsum aut aliquem eius antecessorem.

Quo facto Sem superstes fuit annis 500. Quandonam genitus sit ipse Arphaxad, ignoramus; illud vero compertum habemus, eum 135 annos natum genuisse filium aliquem, qui fuit aut ipse Sale aut certe aliquis Sale antecessor. Quo facto superstes fuit Arphaxad 303 annis etc. ».

Ad haec reponas primum, eam interpretationem plurimum recedere a narrationis sensu obvio et naturali. Unde merito aliqui eiusdem interpretationis patroni movere quaestionem, quem tandem ob finem s. auctor rem hoc modo narraverit. *Pannier* p. 267 suggerit, eum « tempora cum ante tum post diluvium elapsa ad numerum denarium duxisse esse contrahenda, aut mysticis de rationibus, aut maioris brevitatis et facilioris memoriae causa ». Itemque *Brucker* p. 21 demonstrat numerum patriarcharum *denarium* tam ante quam post diluvium. At numerus ille denarius non reperitur nisi apud LXX, suffecto Cainan. Abram, Nachor et Aran 11, 26 tam parum in altera genealogia includuntur, atque Sem, Cham et Iaphet 5, 31 in priore. Habentur decem ante et novem post diluvium patriarchae : non rotundis numeris res absolvitur. Aliam igitur rationem p. 22 *Brucker* suggerit, ideo auctorem annorum numeros adscripsisse, non ut aevi postdiluviani tempora definiret, cum tempora reapse in genealogia definiantur nulla : sed quo nobis indicaret, quantam quamque accuratam illius aevi notitiam haberet ipse, qua profanos quosque historiarum scriptores longissime antecelleret. Itane vero? Ecquae tam obscura genealogia apud ullum legitur profanum scriptorem? Nonne altius de s. auctoris scientia sentiremus, si genealogiam nobis magis completam et accuratam tradidisset, ea, qualem illi exegetae interpretantur?

Praeterea, in adversariorum hypothesi, plura in hac genealogia apparent otiosa. Traditur utique Abrahae genealogia aliqua novem nominibus circumscripta : at cur non eorumdem novem virorum natales anni describuntur, sed potius aliorum quorumdam ignotorum, innominatorum? Numeros vix ad alium finem adscriptos diceres, nisi ut discamus aliquos eo aevo exstitisse homines anonymos, qui sat provecta aetate genuerint, alios nominatos, qui vitam solito diutius produxerint : res utique narratu dignissima in historia revelationis! Annon absurde describitur annus, quo quis *mediate genitus* est? Ergone anno mundi 1442 mediate genitus est Sale? Nonne aequo plane iure idem dicatur mediate genitus esse anno mundi 130, 235, 325, 395, 1207, quibus annis Adam, Seth, Enos, Cainan et Noe genuerunt? Nonne patriarchae omnes mediate geniti sunt, imo nos ipsi cum illis, quo anno Adam genuit Sethum? Absurde texuerit quis chronologiam generationum mediatarum. Merito *I. Corluy* (La science catholique 15. Déc. 1886, p. 65) : « Haec hypothesis », inquit, « semper mihi visa est veluti deus ex machina expediendae difficultatis causa effictus ».

Repugnat ea expositio etiam sensui literali, qui est : B *a tempore*, quo genitus sit ab A, vixisse annos z, sicut A a tempore geniti B narratur vixisse annos y. Sicut in altera formulae parte inseritur incisum « postquam genuit B », ita in tertia omnino supplendum est incisum « postquam genitus est ab A », quod ideo solum supprimitur, quia evidens est. Vox autem *postquam* utrobique immediatam neque tantum mediatam exprimit connexionem. Hic unus est sensus literalis et verus, alii sunt fictitii et ex metu difficultatum profecti.

Si, quod fieri omnino debet, una contempleris genealogias cap. 5 et 11, reperies plurium patriarcharum indubie referri generationem immediatam, nullius demonstrari mediatam tantum : recte igitur praesumuntur omnes fuisse immediatae. Sane Seth 4, 25 immediate genitus est ab Adam, qui « cognovit uxorem suam ». Mitto,

Henoch Iud. 14 vocari « septimum ab Adam », quae expressio non est omnino stringens; sed Noe dicendus erit immediate esse genitus a Lamech, nisi forte lubeat verba 5, 29 adstruere a Lamech esse dicta non immediate seu proprio ore, sed mediate, labiis sc. nepotis cuiusdam. Quod interpretandi genus si semel admiseris, aequo iure, quod mihi videtur, defendes, factum cap. 3 narratum non fuisse ab Adamo et Eva immediate actum, sed mediate ab aliquo eorum nepote et nepte. Sem immediate genitus est a Noe; item Arphaxad a Sem, brevissimo post diluvium tempore; item Abraham a Thare.

Negamus igitur ob allatas rationes genealogiam dici posse consilio s. auctoris esse incompletam; sed neque *librariorum incuria aut consilio* decurtata esse sufficienti ratione a quibusdam affirmatur.

Ubi ratio princeps haec est, ex Luc. 3 effici omissum esse apud Sam. Hebr. Cainan, potuisse igitur omitti et alios. At lectionem LXX in hac re esse minime probabilem ostendimus p. 345. Porro dempto Cainan nulla iam e sacro textu habetur ratio, cur genealogia dicatur esse manca; rationes omnes extrinsecus petuntur, a difficultatibus sc. chronologicis. Verum hae ut solvantur, non necessario requirunt extendi aevum patriarcharum, qui post diluvium vixere : possunt alio modo dilui, v. g. extenso tempore, quo in Aegypto commorati sunt Hebraei. Suppeditat vero s. textus rationes, cur plures excidisse patriarchas negemus : nam plures excidisse necessario affirmandi sunt, quo difficultates chronologicae reapse eludantur. Sc. singuli patriarchae excidere haud potuere, nisi notabili adstructa textus et imminutione et corruptione. Age enim, contuere formulam : « Vixit A annis x [et genuit B. Vixitque A, postquam genuit B, annis y genuitque filios et filias. Vixitque B annis z] et genuit C. Vixitque B, postquam genuit C, etc. ». Iam quaero ex te, si ex hac formula eliminandus sit v. g. B, num sufficiet, quae parenthesi inclusimus verba sat multa, omitti? annon praeterea textum corrumpere oportebit, ut in fine pro « Vixitque B » corrigatur « Vixitque A »? Idque contigerit necesse erit toties, quoties patriarcha aliquis excidisse supponatur. Verum tam gravem cum imminutionem tum corruptionem in s. textu, et quidem iterato factam, sine positivis rationibus adstruere viro critico plane est indignum.

Ergo si per librarios genealogia contracta esse supponatur, id *consilio* ab ipsis factum esse tueri oportebit. Quod sensisse videtur *Vigouroux* p. 449 : « Sicut S. Matthaeus plura in genealogia Christi nomina omisit, ut ter quaterdena traderet nomina, ita patriarcharum ante Abraham generationes potuere symmetrice contrahi ob similem mnemotechnicam rationem, quo decem traderentur generationes ante itemque decem post diluvium, numero digitorum, ut aliqui animadvertere, ambarum manuum, a quibus ortum duxit numerorum systema decimale ». Sed Gen. 11 recenset patriarchas post diluvium non decem, sed novem. Inaudita illa nulloque exemplo confirmanda textus corruptio acciderit oportet ante Pentateuchum a Samaritanis receptum : num Samaritani textum tam misere a Iudaeis decurtatum transsumpsissent?

Ostenso genealogiam esse continuam, patet quorsum verum sit, quod asserit *Colombier* l. c. p. 206, s. scripturam, quod primordia generis humani attinet, tradidisse primitus temporum rationem et erroris ex-

pertem et plane accuratam. Erat accurata, quatenus continua; non numeris constabat rotundis; tamen auctor non chronologum agit sed interpretem traditionis : uni eidemque anno natos attribuit hic Sem, Cham et Iaphet, illic Abram, Nachor et Aran. Patet audacius asseri a *Brucker* p. 23, « numeris genealogiae nullum certum limitem praefigi seriis chronologis ». Praefigeretur limes sat certus, si in illis numeris consentirent Hebr. Sam. LXX. Patet merito cum plurimis defendere *Meignan* (Le monde et l'homme primitif, Paris 1869, p. 166), « ne ut probabilia quidem nos posse admittere geologorum quorumdam aliorumque illustrium figmenta, hominem affirmantium ducentis vel trecentis saeculis in terra exstitisse ». Et nota, hos numeros et alios etiam immaniores tum tantum efficaciter te posse repudiare, si genealogiam continuam esse defendas. Ubi quippe semel concesseris excidisse nomina aliqua, quo duo vel tria annorum millia fas sit adiicere chronologiae receptae, quomodo efficaciter prohibebis tot omissos dici patriarchas, quot annorum millionibus sufficiant?

Pauca pro commentario supersunt dicenda.

v. 10 « *Hae sunt generationes Sem : Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium* ». Ex 5,31 et 7,6 habes annum centesimum Sem non esse secundum post diluvium, sed ipsum diluvii annum : contradictionis explanandae causa variae tentatae sunt viae. *Mar.* censet non uno anno quingentesimo vitae genuisse Noe tres filios, sed tum coepisse illos gignere : natu maximum utique diluvii anno fuisse centenarium, sed Semum nonnisi biennio post. Similiter neque Thare dicendus est uno vitae septuagesimo anno genuisse Abram, Nachor et Aran, sed tum coepisse gignere. Perquam probabile utique est non trinos filios uno anno tres illos patriarchas genuisse : at omnino evidens est unico anno genitos a s. textu attribui. Semum fuisse natu maximum effici videtur ex 9,24 ; 10,21. — Neque iuvat cum *Cai.* ita sententiam construere : Sem erat filius centum annorum, — sc. tempore diluvii ; et biennio post diluvium genuit Arphaxad. At quorsum, immediate post Generationum titulum, inseritur ea de Semi tempore diluvii aetate animadversio? Quis eius h. l. usus? Nonne eam aetatem lector ex ante narratis iam novit? Praeterea adverte uniformem genealogiarum cap. 5 et 11 structuram : ex qua sequitur idem omnino esse sensus sententiae « Sem erat filius centum annorum et genuit etc. », ac sententiae « Vixit vero Enos nonaginta annis et genuit Cainan », aut sententiae « Arphaxad vixit triginta quinque annis et genuit Sale ». Quare merito v. 10 *Vulg. LXX* ver-

tunt *quando*. — Aliam explicationem suggerit idem *Cai.*, Arphaxadum *conceptum* quidem esse anno diluvii, *genitum* autem sequente seu secundo anno. Etiam haec explicatio a simplicitate genealogiae recedit et versui 10 sensum assignat ab aliis versibus, qui eundem atque ille indubie sensum exprimunt, diversum. *Kn.* Arphaxadum scribit natum secundo post *coeptum* diluvium anno, ergo revera anno post absolutum diluvium. Respondeo, anno post diluvium fuisse Sem proprie virum centum et unius anni. Praeterea merito monet *Dillm.*, expressionem *post diluvium* necessario hic significare idipsum, quod 10,1. 32, sc. post finitum diluvium. Cf. *Budde* p. 108 sq.

Reapse difficultas non est in vocibus אחר המבול, quarum sensus planus est; sed in una voce שנתים, quae a structura genealogiae dissonat, seriori manu adiecta dignoscitur, tempore utique perantiquo, cum in omnibus legatur textibus. Ubi duplex se offert hypothesis. Prima est, vocem additam esse ab auctore non inspirato (*Budde* p. 109), qui illud censuerit admitti nullo pacto posse, Arphaxadum in arca aut conceptum esse aut natum : alterutrum autem vel utrumque erit concedendum, si vere centesimo Semi i. e. diluvii anno genitus sit Arphaxad. Reapse apud Iudaeos (cf. *Lib. Adami*) invaluisse videtur opinio, maris et feminae commercium in arca fuisse a Deo prohibitum, et scriptura Noe filios cum uxoribus, non vero filiorum filios ex arca narrat esse egressos. Altera hypothesis vocem additam censet ab auctore aliquo inspirato. Ubi cogeris fere cum *Bonfr.* admittere, in hac genealogia scripturam non exprimere praecisum numerum annorum.

v. 11 « *Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, et genuit filios et filias* ». v. 12 « *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale* ». v. 13 « *Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, et genuit filios et filias* ». Mortuus est sexaginta duos annos ante patrem Sem. v. 14 « *Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber* ». v. 15 « *Vixitque Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, et genuit filios et filias* ». v. 16 « *Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg* ». v. 17 « *Et vixit Heber, postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, et genuit filios et filias* ». v. 18 « *Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu* ». v. 19 « *Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis, et genuit filios et filias* ». Phaleg mortuus est (sec. Sam.) triginta et unum annos ante patrem Heber. Sem vita functus est, quando Phaleg numerabat annos vitae centum et unum : an forte Semo demortuo, ergo fere anno mundi 1808, divisae sunt gentes, quod 10,25 narrabatur esse factum « in diebus

Phaleg »? v. 20 « *Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug* ». v. 21 « *Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, et genuit filios et filias* ». v. 22 « *Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor* ». v. 23 « *Vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis, et genuit filios et filias* ». v. 24 « *Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare* ». v. 25 « *Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem et novem annis, et genuit filios et filias* ». Nachor mortuus est uno anno ante Abram nepotem natum. v. 26 « *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram et Nachor et Aran* ».

v. 10 non habetur eadem, quae in sequentibus, formula ויחי sed בן : sc. illa formula, quae praecedentem aliquam de eius patriarchae nativitate narrationem supponit, non ita erat apta immediate post titulum *Hae sunt generationes Sem* (*Del.*). — Arphaxad, sive diluvii anno sive biennio post natus scribatur, videtur Semi filius natu maximus fuisse. Ergo enumeratio « Aelam et Assur et Arphaxad » 10, 22 non fit ordine aetatis. Ceterum de nomine Arphaxad, cf. quae diximus ad 10,22. Utrum Hebraeorum nomen ab Heber derivatum sit, an simpliciter a gentis e regione transeuphratensi migratione, cf. dicta ad 10,21. Nomina horum patriarcharum certe non ita evaserunt nomina populorum, uti nomina cap. 10, quae primarie populos designant, non individua. Patriarchae e contra certe et primarie sunt individua. Sane individui homines sunt Sem, unus eorum qui in arca fuerunt, Phaleg (10,25), Thare (11,31 sqq.) et similiter Nachor (cf. Ios. 24,2), Abram : ergo item reliqui. Singulorum patriarcharum recensentur anni vitae ante et post genitos filios transacti. Licet igitur nomen Arphaxad et fortasse etiam nomen Heber nomina evaserint gentilicia, tamen otiosum est reliquorum item nominum vestigia in variorum locorum et tribuum nominibus prosequi : uti *Kn.* Sale comparabat cum loco quodam Salach septentrionalis Mesopotamiae, Phaleg cum Phaloga prope Chaborae fluminis ostium, Reu cum Roha, quo nomine Arabes Edessam appellant etc.

GENERATIONES MAGNORUM PATRIARCHARUM

GEN. 11,27-50,25

CHRONOLOGIA AEVI PATRIARCHARUM.

Produximus biblicam chronologiam usque ad Abraham secundum numeros sacri textus critice discussos : ea nobis iam producenda est ad finem Geneseos. Quoad annos commorationis Iacob in Haran annosque Ioseph cf.. quae dicemus initio cap. 27 et ad 29,27. Lectio genuina 37,2 est 17 loco 16. Adstruimus primum fertilitatis annum fuisse eundem atque illum, quo Ioseph stetit ante Pharaonem, et Iacobum in Aegyptum descendisse eodem, quo Ioseph a fratribus agnitus sit, anno. Quibus concessis concordant numeri.

Abraham	Sara	Ismael	Isaac	Iacob	Ioseph		Anno mundi
						Abraham nascitur	2247
10						Sara nascitur 17, 17	2257
75	65					Thare moritur, Abraham migrat ex Haran 11, 32; 12, 4	2322
						Expeditio Chodorlahomor	
85	75					Abraham ducit Agar 16, 3	2332
86	76					Nascitur Ismael 16, 16	2333
99	89	13				Promittitur Isaac, instituitur circumcisio 17, 1. 24. 25	2346
						Sodomae ruina : cf. 17, 21 et 18, 10	
100	90	14				Nascitur Isaac 21, 5	2347
137	127	51	37			Sara moritur 23, 1	2384
140	——	54	40			Isaac ducit Rebeccam 25, 20	2387
160		74	60			Nascuntur Esau et Iacob 25, 26	2407
175		89	75	15		Abraham moritur 25, 7	2422
——		114	100	40		Nuptiae Esau priores 26, 34	2447
		137	123	63		Moritur Ismael 25, 17	2470
		——	138	78		Iacob proficiscitur in Haran 31, 38. 41	2485
			145	85		Iacob ducit Liam et Rachelem 29, 18. 27	2492
			152	92		Nascitur Ioseph 30, 25; 31, 41	2499
			158	98	6	Iacob redit ex Haran 31, 38. 41	2505
			169	109	17	Ioseph a fratribus venditur 37, 2	2516
			180	120	28	Isaac moritur 35, 28	2527
			——	122	30	Ioseph coram Pharaone sistitur 41, 46	2529
						Anni septem fertilitatis	2529-2536
						Nati Ephraim et Manasse 41, 50 ante	2536
						Anni septem sterilitatis	2536-2543
				130	38	Ioseph a fratribus agnoscitur 45, 6	2537
				130	38	Iacob in Aegyptum descendit 47, 9	2537
				147	55	Iacob moritur 47, 28	2554
				——	110	Ioseph moritur 50, 22. 25	2609

Porro in hac simul aetate offertur primum opportunitas chronologiae biblicae cum profana comparandae. Regis Chodorlahomor expeditio secundum ea, quae ad cap. 14 dicturi sumus, videtur collocanda anno a. C. 2250-2000. Hinc iam possumus nostram chronologiam biblicam cum profana conferre. Ingressus igitur sit Aegyptum Iosephus, si annos biblicos consulas, anno a. C. 2064-1814, quo tempore reapse Pastores in ea regione regnasse creduntur. Item collatis annis biblicis diluvium erit collocandum a. C. 3300-3000, creatio primi hominis 4600-4300. Quaestio h. l. unice examinanda haec est, an quidquam habeant monumenta, quo cogamur longius tempus concedere ante Abraham vel ante diluvium effluxisse. Pro dynastiis tam aegyptiis Manethonis quam babylonicis Berosi, exclusis dynastiis mythicis, censent viri docti plures haud multo plus quam annorum tria millia requiri. Sed omnia hic sunt perquam incerta et incompleta. Exstat textus cuneiformis, secundum quem Naram Sin filius Sargon I a. C. circiter 3750 urbi Accad imperaverit. Verum cum ipsi assyrologi plures ob rationes nullatenus e s. scriptura petitas ei textui fidem denegent, res dubia manet. Inter omnes quaestiones Genesin attingentes vix alia tantum, quantum quaestio chronologica incerta est atque confusa. Nos annorum numeros, quos textus sacer nunc habet, critice definire atque inter se componere studuimus. Antequam vero definiamus, hi numeri sintne integri, truncati an corrupti, plura ex antiquissima chronologia, Babyloniorum imprimis atque Aegyptiorum, illustrentur oportet. Quae cum ita sint, maluimus rem in medio relinquere, quam novo systemate infinitum paene systematum agmen augere. Tot profecto controversiis, ex iis quae de Genesi sunt, nostro hoc aevo novum et insperatum lumen affusum conspeximus, ut merito confidamus disputationem item chronologicam tandem, imo fortasse brevi, expeditum iri.

In Introd. p. 41 sq. statuebamus, trium magnorum patriarcharum vitas primitus unam fuisse continuam narrationem, quae intextis postmodum Generationibus Ismael et Esau fuerit in partes distincta. Ib. p. 28 sqq. idem Abrahae actorum tres demonstrabamus esse partes; eius in terram promissam ingressum 11,27-14,24; eius fidem 15,1-22,19; supplementum 22,20-25,11. Ceterum sequentibus, gravioribus iam de Cosmogonia, Diluvio etc. expeditis controversiis, *capita* introductoria non adscribimus, sed solum tradimus *commentarium*.

COMMENTARIUS.

I. GENERATIONES THARE GEN. 11,27-25,11.

A. Abrahae in terram promissam ingressus Gen. 11,27-14,24.

1. *Iter ab Ur usque Haran Gen.* 11,27-32.

Arg. — Cum Thare duce stirps electa Chaldaea excesserit, apte narratio inscribitur Generationes Thare, non Abrahae. Qui tamen simul titulus antiquissimam prodit originem : cui auctor Iudaeus utique substituisset titulum « Generationes Abraham ». Narratur porro Thare cum Abram, Lot et Sarai profectio de Ur iterque in Haran, ubi supremum diem obiit Thare.

v. 27 « *Hae sunt autem generationes Thare : Thare genuit Abram, Nachor et Aran* ». Repetitur his v. 26, uti 6,10 repetebatur 5,31, et 5, 1 sq. repetebatur 1,27. Filii non utique ordine aetatis recensentur, cum Aran, qui filiam Melcham Nachori concessit uxorem, sane Nachore fuerit aetate maior; et, cum veri simillimum sit etiam Saram fuisse Arani filiam, ea autem Gen. 17,17 fuerit decem annis iunior quam Abram, sane Aran pluribus ante Abram annis natus sit oportet. Ergo annus septuagesimus Thare v. 26 ille est annus, quo Abram, non vero quo praeter ipsum etiam Nachor et Aran nati sunt. Similiter neque uno anno nati fuere Sem, Cham et Iaphet. Dices, scripturam affirmare, illo septuagesimo anno tres illos filios natos esse. Respondeo, scripturam supponere sapientem lectorem, qui perspiciat non bis, decursu undecim generationum, tres filios uno partu editos affirmari. Scriptura *non vult* nobis annos dare nisi patriarcharum. « *Porro Aran genuit Lot* ». v. 28 « *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suae, in Ur Chaldaeorum* ». Soli LXX (non *Ios.*) pro *Ur* habent χώρα, pro אור sc. repetentes praecedens ארץ (etiam Gen. 15,7 et 2 Esdr. 9,7). Bene vero LXX *Syr.* כשדים reddunt χαλδαίων. *Mât Kaldi* apud Assyrios nomen erat Chaldaeae, i. e. regionis ad meridiem Babylonis sitae; Sinus Persicus audiebat *tidmtuv sa mat Kaldi*, mare Chaldaeum. Sed Chaldaei apud Babylonios vocabantur *Kâsdû*, quo patet vocem hebraeam immediate e Babylonia fuisse acceptam. Quodsi vero Ur in Chaldaea sit quaerendum, tum alia non est nisi celebris illa urbs *Uru*, nunc Mughair, sita haud procul ab occidentali Euphratis ripa ad Pallacopam, habens antiquissimum Lunae templum. Ibi regnabat viginti quinque circiter a. C. saeculis Urbagas, qui toti videtur Chaldaeae imperasse et in pluribus urbibus templa exstruxit; eius inscriptiones lingua quam dicunt accadica sunt exaratae. Sed filii

eius Dungi reperta est inscriptio assyriaca in Ninive. Cf. *Schrader* et *Tiele*.

Cum אור etiam sonet *ignem*, hinc nata est fabula rabbinica de Abram apud Chaldaeos in fornacem misso (*Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*), quam etiam *Hier.* (cf. *Rahmer*) expressit 2 Esdr. 9,7 vertens « eduxit eum de igne Chaldaeorum ». In eodem igne fingitur Aran periisse. Mirum est, hac in re *Iac. Edess.* rursum afferre nomen illud קינן, nunc quidem tamquam nomen idoli Chaldaeorum, quod tamen h. l. corruptum crediderim ex כיון Am. 5,26, quod apud Arabes nomen traditur fuisse Saturni.

v. 29 « *Duxerunt autem Abram et Nachor uxores : nomen uxoris Abram Sarai, et nomen uxoris Nachor Melcha, filia Aran, patris Melchae et patris Ieschae* ».

Nomen *Ieschae* secus non recurrit. *Ios.* Sarai et Melcham dicit sorores, suppresso Ieschae nomine. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ei nomini adscribunt verba « haec est Sarai ». Consentiunt *Ephr.*, *Iac. Edess.*, *Hier.* (cf. *Rahmer*). Gen. 20, 12 dicit Abram de Sarai : « Vere soror mea est, filia patris mei est et non filia matris meae ». « Filia patris » sensu Hebraeorum vere erat, si erat ex eodem avo progenita, avus quippe est pater mediatus ; « filia matris » vere non erat, sive matrem intelligas genitricem aut aviam. Ex 24, 4 ; 28, 2 patet, patriarchas consuevisse uxores accipere e proximis cognatis. Hinc duo sunt, quae in textu nostro admirationem faciunt, et Sarai cognatae genus taceri et Ieschae inutile nomen recenseri. Communiter igitur iam sentiunt auctores, eandem esse Iescham quae Sarai. Alii binominem fuisse aiunt : sed, inquit *Per.*, « non est credibile voluisse Moysen eo loco ludere ambiguitate verbi ». *Raschi* ait יסכה a נסיך idem sonare quod שרי, sc. « dominam ». Si nominis י initiale supponas e praecedente voce reduplicatione ortum, literae סכה et שרי in antiqua scriptura ita sunt similes inter se, ut facile potuerint permutari.

v. 30 « *Erat autem Sarai sterilis nec habebat liberos* ». v. 31 « *Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan* ». Facti rationem accuratius docemur Ios. 24,2 sq. : « Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiae finibus ». Item Iudith 5,6 sqq. ait Achior : « Populus iste ex progenie Chaldaeorum est. Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldaeorum. Deserentes igitur ceremonias patrum suorum, quae in multitudine deorum erant, unum Deum coeli coluerunt, qui et praecepit eis, ut exirent inde et habitarent in Charan ». Ex his habes, maiores Abraham et nominatim Thare inter Chaldaeos « serviisse diis alienis », i. e. utique

non vero Deo soli. Venerati sunt sane lunam et solem et stellas, quorum in Chaldaeis urbibus tot inclita visebantur templa. Quatenus hac in re veri nominis idololatriae notam incurrerint, nostrum non est definire : censent enim antiquitatum babyloniarum peritissimi, habuisse illas gentes primitus supremi numinis ideam, quod supra reliquos deos plurimum emineret. Fortasse superstitionis potius naevum fuit. Habes ex iisdem textibus, non solam ex Haran, sed ipsam ex Ur profectionem Deum praecepisse, quod confirmatur Gen. 12,1 verbis : « Egredere de terra tua et de loco nativitatis tuae » ; locus siquidem nativitatis non erat Haran, neque apte dicebatur « terra sua » locus, in quo brevi tantummodo Abram substitit. Ex iisdem textibus cum 12,1 sqq. collatis etiam illud fit probabile, Deum *per* Abram Tharen iussisse emigrare; neque enim est in textibus, quo iure merito adstruamus, praeter revelationem immediate factam Abrahae, alteram immediate factam esse Thare.

Hebr. Chald. Targ. ויצאו אתם, « et exierunt cum eis ». Verius, uti videtur, *Sam. Vulg. LXX Syr.* ויוצא אתם, « et eduxit eos ». Egressus de Chaldaea dux est Thare. — Gen. 24, 10 Nachor iam non Chaldaeam incolit, sed Aram Naharaim et quidem, quod ex 27, 43 : 28, 10 ; 29, 4 colligo, ipsam Haran. Ex hoc non sequitur necessario illuc cum parente Thare commigrasse : quando migraverit, nescimus. *Sam.* quidem sequentem textum habet, cuius additamenta uncinis includimus : ואת שרי [ואת מלכה] כלותי אשת אברם [ונחור] בניו. Igitur pro sing. כלתו et בנו scribit pluralia. Ceterum textus corruptus esse dignoscitur. Oportebat *Nachor* aeque recenseri atque Melcham. Praeterea, licet semel Ez. 23, 44 legatur stat. absol. plur. אשות, at stat. constr. plur. אשת nullibi legitur neque grammaticae satisfacit.

« *Veneruntque usque Haran et habitaverunt ibi* ». ישב non necessario diuturnam edicit moram, quam affirmat *Schrader* KAT ; subsistendum saltem fuit eo in loco, quoad Thare extremum traheret spiritum. Quo aetatis anno Abram Chaldaea excesserit, non docemur, sed solum 12,4 qua aetate excesserit Haran. Erat haec nobilis urbs ad Beliam flumen, recto fere itinere inter Nisibin et Gargamis, saepius in textibus assyris appellata, eadem atque Κάῤῥαι, ubi victus est Crassus. v. 32 « *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran* ». Diximus in Generationibus Sem praeferendum esse *Sam.* 75.

2. *Iter ab Haran usque Sichem Gen.* 12,1-7.

Arg. — Abrahamum, itineris defuncto patre ducem, comitatura narratio primum totius itineris supplet causam, divinum sc. mandatum iam in Chaldaea acceptum, relicta nativitatis terra petendae regionis

a Deo monstrandae v. 1-4. Cui mandato si Abram obsequatur, insignem plane in semine suo nanciscetur benedictionem. Dein iter ab Haran Sichimam narratur, obsequio eiusdem divini mandati (*Bonfr.*) susceptum, quo procedere iubebatur, donec veniret ad terram, quam monstraret ei Deus. Hic vero hanc esse terram patriarchae promissam declarat, et ab eo vicissim sacrificio oblato honoratur.

Cap. XII v. 1 « *Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi* ». Cum dicat Apostolus Hebr. 11,8 de Abram : « exiit nesciens, quo iret », ergo reapse Deus, quam in regionem virum deducturus esset, non manifestavit primum, quo excellentior fuit viri obedientia. Sentiebat iam *Aug.* (De Civ. Dei XVI. 15; *M.* 41. 494), haec ante praecedentia evenisse, idque demonstrat Act. 7,2 sqq. : « Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, et dixit ad illum : Exi de terra tua etc. Tunc exiit de terra Chaldaeorum et habitavit in Charan ». Nos verteremus plusquamperfecto *Dixerat*.

מולדת *Vulg.* vertit *cognatio*, LXX γενείας; melius *Syr.* interpretatur uti v. 28 ארץ מולדתו, *de loco, ubi natus es*. Et ita expeditur nuga, quam veterum aliqui discutiebant, Abram non esse de cognatione egressum, qui Lot secum duxerit.

Sequens v. 2 sq. benedictio, uti advertit *Cai.*, septem membra habet, « ut hebraeo more universitas bonorum etiam ex ipso numero significetur ». v. 2 « *Faciamque te in gentem magnam* », numerosam (cf. 22,17), « *et benedicam tibi* », ditabo te (cf. 30,27; 39,5), « *et magnificabo nomen tuum* », celebre reddam nomen tuum et gentis ex te prognatae, « *erisque benedictus* », verbotenus *benedictio*. Pulchra in his quatuor membris gradatio. Abrahamo praeprimis promittitur numerosa progenies, in hac potissimum progenie bonorum et gloriae (non naturalium tantummodo) affluentia, quibus instructus ipse in sua progenie et per eam erit etiam aliis benedictio, i. e. abundantis benedictionis fons. Quam porro v. 3 describit : « *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi* ». Benedictio nonnisi volentibus attribui potest, quibus item confert bonorum et gloriae affluentiam; nolentibus aut repugnantibus vertitur in maledictionem. Non tamen in comminationem desinit divina Abrahami benedictio, sed, licet individuis bene multis (Luc. 2,34) futurus sit ipse maledictionis occasio, gentibus tamen universim spectatis erit benedictio omnibus : « *atque in te benedicentur universae cognationes terrae* », seu, ut clarius habet 22,18 : « benedicentur *in semine tuo* omnes gentes terrae ». *Syr.* h. l. additamentum habet : « in te et in semine tuo ». *In*

te poteris cum *Chald.* interpretari *propter te :* sed hoc cave ne cum *Targ. Hier.* interpreteris « propter innocentiam tuam », quin potius cum *Per.* interpretare « per te ». Adverte porro, totam hanc benedictionem a multiplicatione *seminis* proficisci, atque ita deprehendi protoevangelio esse intime connexam : benedictio ex Abrahae semine in omnes gentes derivanda est ipsa seminis mulieris de serpente promissa plena victoria. Hinc recte *Bonfr. :* « in semine tuo, qui est Christus »; ipse seminis Abrahae nobilissima pars.

v. 4 « *Egressus est itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot* ». Accuratius : *fuerat, iverat;* his enim absolvitur parenthesis veluti, quae v. 1 inceperat (cf. quae ad 11,31 dicebamus), et nota *Hebr.* non habere bis idem verbum (« egressus erat », « cum egrederetur »), sed verba diversa, quo facilius ab altera v. 4 parte novam pericopen ordiri possimus. Iam enarratur ex Haran profectio.

« *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran* ». Cum totidem secundum *Sam.* annis Thare nato Abrahae supervixerit, ergo immediate post mortem patris Abram egressus est ex Haran. v. 5 « *Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran; et egressi sunt, ut irent in terram Chanaan* », nondum gnari, eam sibi tandem regionem a Deo assignatum iri. « *Cumque venissent in eam* », v. 6 « *pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem* ». Melius *usque ad quercum Moreh,* qui sane idem est locus cum « quercubus Moreh » Deut. 11,30, quae erant prope Sichem (*Calm.*). Minime corrigendum cum *Syro* « quercum Mambre ». Monet vero *Ges.*, sine dubio hanc quercum nomen accepisse a possessore Chananaeo Moreh, uti alteram a viro Mambre. « *Chananaeus autem tunc erat in terra* ». Haec adduntur (*Per.*), quo ostendatur regio semini Abrahae a Deo destinata suos tum habuisse dominos. Non est cum aliquibus inserenda vox *adhuc* aut *iam* (cf. *G. Smith :* The book of Moses etc., London 1868, p. 381 sqq.).

v. 7 « *Apparuit autem Dominus Abram et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc* », eiectis, qui nunc obtinent, Chananaeis. Terram tacito nomine ante promissam digito demonstrat (*Cai.*). « Vide, quomodo promisso frequenti tamquam invalidum adhuc informet atque instituat » (*Ambr.* De Abr.; *M.* 14.422). Iam *Aug.* « semen » h. l. intelligebat arctiori quam v. 3 (cf. 22,18) sensu, ut de solo « carnali » (*Menoch.*) semine accipiatur. Restrictionis non est sufficiens ratio : Palaestina potiori etiam iure Messiae concessa esse putanda est. Sane 26,3 sq. et 28,13 sq. utraque promissio intime copulatur, unique et eidem semini et terra Chanaan et gentium benedictio attribuitur. « *Qui ae-*

dificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei ». Erat postmodum prope Sichem, inquit *Kn.*, locus sacer habitus : eum igitur putavere homines iam ab Abram fuisse consecratum. Facilis modus eliminandi facta biblica! At, num pro lubitu id putavere homines, an traditione nisi historica? Merito supplet *Bonfr.*, in hoc altari, uti in altero v. 8, obtulisse Abram sacrificium. Aevo praemosaico videntur patresfamilias sacerdotio functi esse (Iob. 1,5), aut certe tribuum civitatumve principes (Gen. 14,18). Alibi tamen sacerdotium haereditate intra quasdam familias transmittebatur, uti apud Aegyptios (47,22. 26) et fortasse apud Madianitas (Ex. 18,12).

3. *Iter Sichimis in Bethel Gen.* 12,8.

Arg. — Abram aliquamdiu prope Bethel moratus, ibi quoque altare Deo exstruxit.

v. 8 « *Et inde transgrediens* » — verbotenus *transferens*, sc. tabernaculum — « *ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel et ab oriente Hai* ». Hai etiam secus dicitur fuisse prope Bethel (nunc Beitin) Ios. 7,2; 8,12; 1 Esdr. 2,28; 2 Esdr. 7,32. Ios. 7,2 additur « iuxta Bethaven », sed lectio incerta. Alii suggerunt Tell-el-Hadjar, quae utique est ad orientem Bethel; sed obiicit *M. V. Guérin* (Description de la Palestine, Judée III. 56, Paris 1869), nulla ibi maioris urbis vestigia deprehendi. Ipse III. 57 sqq. praefert Kudera seu Khirbet el Koudeireh, quae etiam ad orientem Bethel, sed magis meridiem versus, sita est. Bethel hoc nomine per anticipationem (*Calm.*) h. l. appellatur : erat quippe nomen tum Luza Gen. 28,19. « *Aedificavit quoque ibi altare Domino et invocavit nomen eius* ». *Hebr. et vocavit in nomine Iahve;* cf. quae de hac expressione diximus ad 4,26. Auctor studiose recenset loca ea, quae ab Abram intra terrae promissae fines peculiari ratione fuerint consecrata.

4. *Iter e Bethel per Negeb in Aegyptum Gen.* 12,9-20.

Arg. — Abram posterorum fata praefigurans, fame compulsus in Aegyptum descendit, ubi Sara in Pharaonis gynaeceum asportata Dei ope servatur incolumis.

v. 9 « *Perrexitque Abram vadens et ultra progrediens ad meridiem* ». Verte *per Negeb,* quae vox utique *meridiem* sonat, sed facta est nomen proprium tractus meridionalis Iudaeae. Cf. quae diximus ad 1 Reg. 27, 10; 30,1. Non potest cogitari, qui tam accurate apud Sichem et Bethel

descripserit loca auctor, eum iam indeterminata omnino expressione « ad meridiem » futurum fuisse contentum. v. 10 « *Facta est autem fames in terra* », sc. in regione Negeb. Crediderim autem factam esse brevi post Abram in eam regionem adventum, quae causa esse potuit, cur nullibi diutius moratus esse referatur. « *Descenditque Abram in Aegyptum* », constans Chanaanitidis tempore famis subsidium, « *ut peregrinaretur ibi* », non ut perpetuam ibi sedem figeret (*Vat.*). Laudat virum *Rup.*, quod ne in tanta quidem extremitate reditum in Chaldaeam cogitaverit. Sed Chaldaea vasto interiecto deserto a Iudaea separabatur, et urgebat necessitas : « *praevaluerat enim fames in terra* ». Cum Abram descendit etiam Lot, cf. 13,1, sed nulla fuit occasio mentionis de eo faciendae, dum acta in Aegypto referebantur. Discimus e sequentibus, Sarai plus sexaginta quinque annos natam fuisse eximiae pulchritudinis, quaeque hominum libidinem provocaret, imo ipsius regis, qui formosissimis mulieribus uti consuevisset. Unde perspicis, eiusmodi fuisse patriarcharum longaevitatem, quae iuventutis florem et robur diutius praeservaret : quid enim proderat ducentorum annorum vita, si decrepitam senectutem octogesimus annus afferebat? Sunt ista duo natura inter se connexa, ut, qui unum admiserit, non possit alterum iuste respuere; sunt una interpreti proposita difficultas, non duae.

v. 11 « *Cumque prope esset, ut ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai uxori suae : Novi, quod pulchra sis mulier* » v. 12 « *et, quod cum viderint te Aegyptii, dicturi sunt : Uxor ipsius est; et interficient me et te reservabunt* ». Inquirit *Per.*, cur non sibi idem Abram timuerit a Chananaeis. Respondeo, quandoque reapse timuisse, teste cap. 20. At eum habebat servorum numerum Abram, ut singulorum regulorum vim vi repellere valeret. At Aegyptum armata manu intrare, ei minime licuit. v. 13 « *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te et vivat anima mea ob gratiam tui* ».

Iam monuere *Iac. Edess.* et *Aug.*, Sarai revere fuisse sororem, sensu latiore quo ea vox apud Semitas usurpari consuevisset. Ergo non mendacium suasit uxori Abram. Soror vero illa credebatur tanto facilius, quod liberis conspiceretur carere. At longe gravius in patriarcham profertur crimen, quod uxoris pudicitiae non consuluerit. « Iustus adnititur », inquit *Chrys.*, « nec quidquam intentatum relinquit, quo adulterium opere compleatur »; et tamen virum effusa oratione pergit laudare. « Ego non video », exclamat *Drus.*, « quo pacto excusari possit. Nam non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Prostituere uxorem aut ei occasionem dare scortandi, non leve crimen est ». Mitius *Aug.* : « Uxorem tacuit », inquit, « non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo et humanas insidias

cavens ut homo : quoniam, si periculum quantum caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quam speraret in Deum ». Et *Rup.* : « Quam potuit partem periculi sustulit, et cetera fideliter Deo curanda reliquit ». Sc. duplex imminebat periculum : Abrahae necis, si maritus agnosceretur; Sarai violentae oppressionis, et quidem sive maritus servaretur, sive interficeretur. Credenda quippe est Sarai, uti patriarchae reliqui, toto animo abhorruisse connubia cum alienigenis, maxime Chamitis, neque animo coniugali exceptura fuisse Aegyptiorum quemquam, sed invita passura, quod et quamdiu pati cogeretur. Imminebat igitur ipsi malum *idem*, sive maritus servaretur, sive necaretur. Elegit ipse minus malum ac propriae saluti consuluit. At, nonne ipsum oportebat pro vita sua fidere divinae promissioni? « Poterat cogitare, Deum impleturum sine dubio promissiones, non tamen sine opera sollicitudineque humana de conservanda vita » (*Est.*).

v. 14 « *Cum itaque ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptii mulierem, quod esset pulchra nimis* ». v. 15 « *Et nuntiaverunt principes Pharaoni* » — verbotenus : *et viderunt eam principes Pharaonis*, est gradatio ostendens Saram omnium in se oculos convertisse — « *et laudaverunt eam apud illum; et sublata est mulier in domum Pharaonis* ». Aegyptii, praeter alios titulos, regem honorabant appellatione *pero*, i. e. magna domus. Qua eadem utuntur Assyri de rege Aegypti loquentes, quandoque adamussim uti Hebraei, ut appellatio nomen proprium imitetur : *Piru sar mat Musuri*, Pharao rex Aegypti (*Schrader* ad Ex. 1,1). v. 16 « *Abram vero bene usi sunt propter illam* », quod fratrem putarent (*Menoch.*) eius, quae regio toro destinaretur. היטיב : *benefecit quis*, sc. Pharao; vel cum *Vulg. LXX* resolve in 3. pers. plur. *bene usi sunt*. « *Fueruntque ei oves et boves et asini, et servi et famulae, et asinae et cameli* ». v. 17 « *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis* », extraordinariis neque ulla ratione negligendis, « *et domum eius* », quae laudando Sarae venustatem in nefas committendum conspiraverat (*Ephr.*), « *propter Sarai uxorem Abram* ». « Adest praesul coniugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat. Vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum, antequam faciat quod paraverit » (*Ambr.*). Finis flagellantis Dei non tam est, ut puniatur scelus, quod commissum nondum fuerat, sed ut Pharao attentus reddatur et scelus praepediatur. Iam vel ipse Saram interrogavit, vel ipsa tempus rata opportunum accessit et rem explicavit. v. 18 « *Vocavitque Pharao Abram et dixit ei : Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? quare non indicasti, quod uxor tua esset?* » v. 19 « *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam et vade* ». « Neque enim ulla

in re deturpavi coniugium vestrum » (*Chrys.*). v. 20 « *Praecepitque Pharao super Abram viris, et deduxerunt eum et uxorem illius et omnia, quae habebat* ». Monet *Ephr.*, Saram in Aegypto iniuria affectam ac tandem immissis plagis liberatam et honorifice dimissam praefigurare populi ex ipsa nascituri in Aegypto fata futura.

5. *Reditus in Bethel atque a Lot discessus Gen.* 13.

Arg. — Abram in Bethel reversus ibidem rursus sacrificium offert Deo. Pastorum iurgia suadent separationem a Lot; qui optione data feracissimum seligit tractum orientalem, ubi Pentapolis florebat. Abram in Chanaanitide perseveranti confirmat Deus promissionem totius regionis illi dandae seminisque infinitum multiplicandi. Prope Hebron moratus Abram rursum altare Deo exstruit. Qua religione constanter repetita vir eximius exhibetur exstitisse solius veri Dei cultor assiduus.

Cap. XIII v. 1 « *Ascendit ergo Abram de Aegypto, ipse et uxor eius et omnia, quae habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam* », seu potius *in Negeb* (cf. 12,9). v. 2 « *Erat autem dives valde* » (cf. 12,16) « *in possessione auri et argenti* ». *Hebr. : in possessione, in argento et in auro.* Item *Syr.* Sed licet מקנה secundum etymologiam utique *possessionem* sonet, tamen h. l. cum LXX omnino praeferenda significatio derivata *pecora* (cf. 4,20 et infra v. 7) : haec divitiarum Abram potissima pars, neque ullo iure reticenda. « *Reversusque est per iter, quo venerat* », — למסעיו *secundum itinera sua, i. e.* per easdem stationes — « *a meridie* », seu *a Negeb*, « *in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai* », v. 4 « *in loco* », seu potius *ad locum* « *altaris, quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini* ».

למסעיו elohistae censent esse proprium. Quare *Del.* suggerit, C ex A expressionem illam aptissimam « transsumpsisse » ; dum *Dillm.* autumat, R eam vocem ex usu loquendi A suam fecisse. Expressio rarius occurrit in Genesi, ubi de stationibus itinerum vix agitur; frequentius in sequentibus libris (Ex. 17,1; 40,34. 36 — hebr. 36. 38; Num. 10,2.6.12.28; 33, 1 sq.), ubi eiusmodi itinera describuntur.

v. 5 « *Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium et armenta et tabernacula* ». Habuit etiam Lot servos (cf. v. 7), non tamen eos crediderim cum *Del.* voce *tabernacula* includi, sed ea enumerantur solum, quae latius spatium occuparent fuerintque causa, cur duo viri non potuerint una permanere. Similiter tacetur Lot argentum et aurum, quod non fuerit rixarum occasio. v. 6 « *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul* ». *Hebr. : neque ferebat eos terra* (cf. Is. 1,14; Mich. 7,9) *quoad habitandum simul;* non poterat sat pa-

buli proferre : « *Erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter* ». v. 7 « *Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot* ». « Vide, quomodo facultatum abundantia illico causa evasit dissidii, et separationem effecit, et concordiam subvertit » (*Chrys.*). « *Eo autem tempore Chananaeus et Pherezaeus habitabant in terra illa* ». Pherezaei videntur habitasse ad septentrionem Iezrael et Bethsan : cf. ad Iud. 3,5. Sed cur harum gentium h. l. fit mentio? Ut melius perspicias, inquit *Chrys.*, quomodo non potuerit regio illos continere, aliis sc. gentibus eandem obtinentibus. At tum mentio inserenda fuerat v. 6. Melius *Per.*, quia minus etiam decet « fratres » coram extraneis rixari; et *Malv.*, *Menoch.* addunt timorem, ne Abram et Lot rixantes illae gentes invaderent atque opprimerent. v. 8 « *Dixit ergo Abram ad Lot : Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus* ». Celebrat *Chrys.* viri mansuetudinem, qui senior iuniorem, dignior humiliorem, patruus nepotem tamquam fratrem et aequalem alloquatur eique permittat ut, quod placuerit, sibi seligat. v. 9 « *Ecce universa terra coram te est : secede a me, obsecro* ». « Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia » (*Ambr.*). « *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam* ». Quorsum suo semini regionem Deus destinaret, ignorabat tum Abraham; forte supponebat, Lot suae benedictionis fore participem.

Elohistae tribuunt v. 6. 11^{b}. 12^{a} ob analogiam cum 36, 7 sq. Tamen רכוש (cf. 12, 5) etiam legitur 14, 11 sq. 16. 21 et 15, 14, quos locos Dillm. p. 230 non tribuit elohistae; neque alia Hebraeis praesto erat vox, qua possessiones, quas quis secum circumfert, distincte exprimerent (*Del.*). — ככר, « circulus » evasit nomen proprium regionis prope ostia Iordanis, speciatim Pentapoleos, et hinc usurpatur, ubi de ea regione sermo est. — Piget de ארץ כנען, ישב, נשא dicere, quae expressiones sunt perquam frequentes neque ullius scriptoris prae ceteris propriae. Similitudo inter v. 6. 11^{b}. 12^{a} et inter 36, 7 sq. inde facillime explicatur, quod auctor sacer, qui 36, 7 sq. narrandum nactus sit eventum omnino similem eius, qui 13, 6 sqq. narrabatur, priorisque narrationis expressiones alte mente infixas haberet, iisdem et ipse usus sit expressionibus. Sic orator quandoque christianus stilo evangelii et prophetarum loquitur. Sed quid dicamus *Del.*, qui aliquam etiam insertorum v. 6. 11^{b}. 12^{a} rationem in eo deprehendit, quod ii versus salvo contextu commodissime omitti queant!

v. 10 « *Elevatis itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quae universa irrigabatur* », — melius vertit LXX *quod tota esset irrigua*. Eo tum constiterant loco (*Per.*), quo aspectus in eam regionem patebat et imprimis in totam vallem Siddim. Adiicitur parenthesis pro iis, qui eam vallem norant nonnisi post ruinam ibidem divinitus effectam — « *antequam subverteret Dominus Sodomam et*

Gomorrham, sicut paradisus Domini et sicut Aegyptus, venientibus in Segor », civitate proleptice sic appellata, nam eius tum nomen 14,2 erat Bala. De situ dicemus ibidem. Illud באכה צער aliqui iungebant cum *Aegyptus :* sicut Aegyptus, qualis ea regio obtutui offertur venientium de Segor. Sed Segor longius abest ab Aegypto, cum sit ad Mare Mortuum sita, neque satis apparet, cur Aegyptus magis percellat oculos venientium de Segor, quam de quolibet alio Palaestinae loco. Hinc melius cum *Per.* plures verba trahunt ad priora : tota irrigua, usque dum venias Segor.

Lectio *Syri* צוען, Tanis, sufficienti auctoritate destituitur. — *Hortus Iahve* per se potest etiam hortum quemque cultissimum designare. At hic designari ipsum *paradisum* (*Calm.* et cf. Is. 51, 3; Ez. 28, 13; 31, 8 sq.), infero ex sequenti comparatione ab Aegypto petita. Comparatur sc. vallis Siddim duobus locis *concretis* summopere amoenis, hinc Aegypto, illinc paradiso. Ex his perspicias, quomodo post viginti generationum traditionem veteres illi sibi paradisum cogitaverint, sc. tamquam tractum Aegypti inferioris similem. Coniectura item assequeris, quomodo sibi finxerint flumen illud paradisi in quatuor capita divisum, quod sc. fingebant Nili simile in tot ramos diffluentis et Iordanis in valle Siddim plurimos rivos sibi adiungentis. — כבר הירדן (cf. 3 Reg. 7, 46; Matth. 3, 5) seu brevius הככר (Gen. 19, 17. 25. 28; Deut. 34, 3; 2 Reg. 18, 23) designat tractum in utraque Iordanis ripa a lacu Genesareth ad extremum Mare Mortuum.

v. 11 « *Elegitque sibi Lot* » — reliqui inserunt *totam* — « *regionem circa Iordanem et recessit ab oriente* », orientem versus, « *divisique sunt alterutrum* » — i. e. unusquisque — « *a fratre suo* ». v. 12 « *Abram habitavit in terra Chanaan, Lot vero moratus est in oppidis, quae erant circa Iordanem, et habitavit in Sodomis* ». Verbotenus *et fixit tentoria usque Sodomam.* Per *oppida* intelliguntur urbes cum suis pagis; postea 19,3 Lot in ipsa Sodoma domum habuit. Ex nostro versu collige, incolas vallis Siddim non fuisse de stirpe Chanaan. v. 13 « *Homines autem Sodomitae pessimi erant et peccatores coram Domino nimis* ». Expressio *coram Domino,* quam perperam *Hier.* putabat a LXX fuisse « superflue additam », idem sonat atque *vere* (*Bonfr., Per.* et cf. quae diximus ad 10,9). Lot promissionum, uti videtur, potius incurius regionem « amoenam elegit, quae cito praedonum oculos incurrit » (*Ambr.*), unde aegre captivitatem effugit ipse; elegit ob scelera Deo exosam, unde communi ruina fere absorptus est; elegit sibi, non attributam a Deo recepit.

Merito ambigit *Cai.*, utrum quae sequuntur, immediate post discessum Lot acciderint, an aliquo interiecto tempore. Reapse locus, e quo Lot vallem Siddim proxime subiectam pedibus conspexerat, non videtur esse idem, unde Abram totam aut fere totam Palaestinam contuitus est. v. 14 « *Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo*

Lot : Leva oculos tuos et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem ». Recte monet *Bonfr.*, intelligi Abram constitutum in excelsiori aliquo monte : sunt autem eiusmodi in terra sancta montes, e quorum vertice aliquis regionem fere totam contueri queat, e. g. Mons Olivarum et Thabor. Obiiciebant iam antiquitus, habuisse Deum in mente totam semini Abram Chanaanitiden tradere, at totam ex uno monte simul conspici haud posse. Respondet *Aug.* (In Heptat. I. 28; *M.* 34.555), promitti totam quam videret regionem, sed non eam solam. Simplicius dicas rem non sumi oportere mathematice. v. 15 « *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum* », i. e. pro longissimo tempore; semini ipsi post paucas generationes, tibi mediate in semine. Prima 12,1 sqq. promissio sequentibus promissionibus distinctius explicatur. Promiserat ibi Deus terram aliquam; 12,7 declarat Deus, eam terram fore Chanaanitiden; h. l. fines veluti regionis semini Abram attribuendae accuratius describit. Similiter ante dicebatur « faciam te in gentem magnam »; iam eius gentis magnitudo v. 16 grandius praemonstratur (*Cai.*) : « *Faciamque semen tuum sicut pulverem terrae; si quis potest hominum numerare pulverem terrae, semen quoque tuum numerare poterit* ». Hyperbole utique est (*Aug.*), cum vel totum genus humanum non tot complectatur individua, atque pulvis numerat particulas. Et Num. 23,10 utitur Balaam eadem pro Israelitis tum viventibus hyperbole, quorum tamen numeri in ipsis sacris paginis descripti leguntur. Ceterum haec interpretare de semine non carnali tantum, sed etiam spirituali. v. 17 « *Surge et perambula terram in longitudine et in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam* ». Cf. Act. 7,5 : « Et non dedit illi haereditatem in ea nec passum pedis, sed repromisit dare illi eam in possessionem et semini eius post ipsum, cum non haberet filium ». « Si vis scire, quanta sit haec terra et qualis, perambula eam, miraberis et gaudebis » (*Menoch.*). Compara cum ea, quam sibi elegit Lot (*Calm.*). v. 18 « *Movens igitur tabernaculum suum Abram venit et habitavit iuxta convallem* », seu verius, « *quercum Mambre, quae est in Hebron* », nomen habens ab Amorrhaeo Mambre 14,13. 24, ad quem videtur pertinuisse. « *Aedificavitque ibi altare Domino* ».

6. *Victoria de regibus Euphratensibus relata Gen.* 14.

Arg. — Reges Euphratenses quatuor Pentapoleos reges adorti fugant atque, cum reliqua praeda, etiam Lot captivum abducunt. Quos Abram cum sociis insecutus inopinantes opprimit, praedam et captivos recipit, a Melchisedech sacerdote rege benedicitur.

Hic nobis se tandem documenta *historiae profanae* comparanda offerunt. Assurbanipal rex Assyriae gloriatur octava sui regni expeditione, quae intra annos 660-645 a. C. locum habuit, se ab Elamitis cum sacra plurima tum sanctissimum quoddam deae Nanae simulacrum recuperavisse, quod 1635 annis ante, i. e. ab anno 2295 ad 2280, Kudurnanchundi rex Elam direptum in Elamitiden abduxisset. Habes hic primum Elamitas perantiquo tempore Babyloniae imperantes. Nomen Chodorlahomor seu Kudurlagamar, licet in monumentis nondum fuerit repertum, est genuinum nomen Elamiticum, *kudur* quippe frequenter nomina propria Elamitica appensis variorum deorum nominibus componit, et *Lagamar* revera est idoli cuiusdam Elamitici nomen. Aliquanto post Kudurnanchundi regnavit Kudurmabug, Elamita et ipse, qui ut alii quidam eius aevi principes titulum assumpsit « domini occidentis ». Qui titulus cum alias principatum Syriae et Palaestinae exprimat, et Gen. 14 doceamur principatum regis cuiusdam Elamitae reapse usque ad Palaestinam pertigisse, non est pro Kudurmabug arbitrarie restringendus, quasi principatum occidentalis cuiusdam ipsius Susianae provinciae exprimat. Idem rex narratur « imperium civitatis Ur auxisse ». Filium *Eriaku* ipse constituit regem civitatis *Larsa,* quam demonstrabamus a Babyloniis habitam esse eandem atque antiquam 4,17 civitatem Henoch. Iam nomen *Eriaku rex Larsa* unum idemque est cum nomine 14,1 *Arioch rex Elassar*. Regni sedem hic habebat in Ur imperabatque ibidem pluribus urbibus, non tamen Babyloni neque Erech : erat igitur locus omnino, praeter ipsum, alicui regi *Sennaar,* qui his aliisque urbibus imperaret. Neque tamen hinc fas est inferre, eundem esse Chodorlahomor atque Kudurmabug : nomina quippe sunt diversa et a diversis numinibus deprompta. Sed Chodorlahomor credirem fuisse Kudurmabug filium et fratrem Eriaku. Porro ob haec et alia quaedam Elamitica regum nomina iam censent viri docti, tertiam Berosi post diluvium undecim regum dynastiam, quae anno a. C. 1976 defecit, fuisse Elamiticam. Ultimus eius dynastiae rex fuit Rimsin, qui post faustum plus quam triginta annorum regnum a rege Babylonis Chamurrabi oppressus est. Cf. *Tiele* p. 95. 118 sqq.; *Brunengo* I. 247 sqq. Quae omnia simul perpensa reapse egregie confirmant narrationem Gen. 14 et, cum primus dynastiae rex Kudurnanchundi scribatur diu regnasse, efficiunt expeditionem Chodorlahomor intra annum a. C. 2250 et 2000 esse collocandam. Eadem aliquibus annis post septuagesimum quintum vitae Abraham annum, seu post annum mundi 2322 (secundum computum critice probabiliorem), erit collocanda. Habes hic synchronismum aliquem utique satis vagum, quo creatio primi hominis alicui annorum a. C. ab anno 4572 ad annum 4322

videtur assignanda. Ne tamen assignemus, ea nos movet ratio, in disputatione de antiquissima chronologia biblica tot esse incerta, ut interpreti longe tutius sit exspectare, quam innumeris systematibus novum addere systema mox emendandum atque abdicandum

Hanc pericopen *Ew.* I. 80 declarabat esse « perantiquam et praemosaicam ». *Dillm.* eam pronuntiat esse « singularem ». Illud ea habet peculiare, quod missis parumper domesticis patriarchae actis in patentem historiae campum progrediatur regumque bella, clades et acta recenseat. Verum errat *Wellh.* Comp. p. 25 narrationem declarans « neque priora neque sequentia contingere, quae uti Melchisedech dici queat esse ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος ». Ea cum reliquis intime cohaeret. Et primum quidem cum actis Lot (*Kuenen* p. 137). Elegerat is sibi tractum regionis amoenitate locorum illectus haudque consulto Deo : mox in periculum captivitatis et postmodum in praesentissimum vitae discrimen incidit, nacturus tandem semen incestuosum, maledictum, exstirpandum. Discrepant haec a promissionibus Abrahae factis, quantum discrepant tenebrae a luce, illasque promissiones egregie illustrant. Intime item haec pericope connectitur cum ipsius Abrahae historia, quae gentis ex eo progignendae fata anticipat atque adumbrat. Nonne potioribus, ubi posteri sacra facturi erant, locis altaria ipse consecravit? Nonne in Aegypto adversa passus spoliis tandem Aegyptiorum et ipse onustus excessit? Similiter idem iam praeludit bellis, quae posteri gesturi sunt adversus imperia trans Euphraten imperatura. At, demus etiam hoc capite narrata non plane necessario nexu cum reliqua narratione connecti : nonne sufficiens ratio tantorum eventuum referendorum potuit esse eorumdem veritas, e documentis cuneiformibus iam indubie stabilita? Acta sunt, ergo narrantur.

Si rationalistarum consuetam nec tamen satis tutam argumentandi rationem imitemur, plura in cap. 14 deprehendimus, quae illud ab eodem atque cap. 13 et 15 auctore concinnatum esse evincant. 14, 12 explicite provocat ad 13, 12, et 14, 13 ad 13, 18. De רכוש cf. dicta post 13, 9. — At, inquiunt, pericope habet plures expressiones et constructiones, quae secus non leguntur, atque hinc deprehenditur alterius esse scriptoris. Pro *circulo Iordanis* iam scribitur *vallis Siddim*. Respondeo, non eadem adamussim loca intelligi. Circulus Iordanis audiebat non sola vallis, quae nunc est Mare Mortuum, cuius extrema versus meridiem pars erat vallis Siddim, ubi erat Pentapolis, sed vel ipse tractus ex utraque fluminis parte inde a Mari Tiberiadis. — Abram v. 13 efferri ut *Hebraeum* (cf. 39, 17 et 10, 21) admirationem non facit eo loco, ubi is tempore belli in campum prodit : multum quippe interest scire in bellicis expeditionibus, cuius quisque gentis sit. Alias, dum Abram regionem pacifice peragrans describitur, sufficiebat eum describi simpliciter ut *peregrinum* 23,4. — Movet etiam adversarios v. 19. 22 verbum קנה significatione *creandi* adhibitum : at eandem illud induit Deut. 32, 6; Ps. 138 (139), 13. Neque admirationi locus est, ut v. 19 Melchisedech utatur verbo et titulo divino diversis ab iis, quibus elohista primus aut se-

cundus, iahvista primus aut secundus, A, B, C, Q vel R uti consueverint : praeservavit nobis sc. antiqua traditio Melchisedechi de rebus divinis loquentis idiomata; eadem v. 22 ipse Abraham homini respondens sua facit. Ceterum idem nomen divinum אל עליון habetur Ps. 7, 18, et fere idem (אלהים עליון) Ps. 56 (57), 3 et (יהוה עליון) Ps. 9, 3 et 20 (21), 8. — הניך v. 14 est ἅπαξ λεγόμενον, et הריק ib. secus transitive non construitur (cuius loco *Sam. LXX* legunt ἅπαξ λεγόμενον וידק). v. 20 admirationem facit verbum מגן, quod secus nonnisi Os. 11, 8 ; Prov. 4, 9 legitur ; v. 23 העשרתי « decimam solvere » : reapse, de decimis cum in Genesi vix agatur, non est cur admireris vocem secus non recurrere. Recurrit tamen 28, 22 in coniugatione Kal. — Cum בעל ברית *foederatus* v. 13 cf. 37, 19 בעל החלמות somniator ; 49, 23 בעל חצים iaculator ; et cf. Ios. 24, 11 ; Iud. 9, 2 sqq. 51 etc. — At, quid tandem expressiones hae omnes et constructiones efficiunt? Noster auctor secus pacifica solum, non bellica fata celebrat, praeter Gen. 14 : quid mirum ut eo capite expressionibus utatur, quas secus apud ipsum frustra circumspicias? Antiquitas narrationis item colligitur ex adiectis redactoris cuiusdam manu explicationibus, v. 7 « ipsa est Cades », et v. 17 « quae est Vallis Regis », v. 2. 8 « ipsa est Segor ». Cf. quae diximus in Introductione p. 15.

Recentiorum hoc de capite placita mirum quantum discordant inter se. *Wellh.* Comp. 24 pronuntiat, illud non pertinere ad A neque ad I neque ad E neque ad I E, sed esse ab R alicunde depromptum. *Dillm.* illud tribuit neque C neque A neque B, sed vel R vel R^d, aliquibus etiam ex D petitis. Ceteris ingeniosior *Kuenen* I. A. 310 : « R », inquit, « cap. 14 mutuatus est ex aliqua post exsilium concinnata Abrahae vita; est illud ad instar alicuius *midrasch*, cuiusmodi etiam auctor Paral. (cf. 2 Par. 24, 27) inter suos fontes habebat. Non pertinet ad I E neque ad P^2. Est recentissimae originis, licet stilum antiquatum affectet. Nomina ברע et ברשע sunt symbolica; Mamre et Eschol, probabilius item Aner v. 13. 24, nomina prius fuere locorum, postea viris quibusdam fictitiis affixa sunt, etc. ». Ad haec et similia respondendum est, perpenso pericopae stilo et collatis textibus cuneiformibus, iam nemini sensato fas esse infitiari, pericopen esse perantiquam et narrationem plane historicam.

Cap. XIV v. 1 « *Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar* », de qua regione diximus ad 10,10 (*Chald. Babel; Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* בונבוס, de quo infra), « *et Arioch rex Ponti* » — sed reliqui *Elassar* (*Syr.* דלכר et *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* תלכר sunt corrupta; de rege autem hoc et urbe dicebamus supra) —, « *et Chodorlahomor rex Elamitarum, et Thadal rex gentium* », *LXX* Θαργάλ, *Syr.* תדעיל, v. 2 « *inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorrhae, et contra Sennaab regem Adamae* », ubi *Del.* Par. p. 294 comparat nomen Ammonitae cuiusdam *Sanibu*, « *et contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balae, ipsa est Segor* ». Habuit sane primitus traditio nomen etiam regis Balae, quod iam in omnibus textibus desideratur. Cuius fortasse vestigium habes in LXX pro Bala legentibus Βαλάκ : contra Balac regem Balae. Nominum perquam similium alterum facile excidere potuit.

אמרפל coniicit *A. Delattre* (La science catholique 15 Mart. 1891, p. 297 sq.) corruptum esse ex אמורבי, agi igitur de Chamurrabi rege notissimo. E contra *F. Hommel* (Geschichte Babylonien's u. Assyrien's, Berlin 1885, p. 175) censet Amraphel eundem

esse atque Amarmuballit, patrem eiusdem Chamurrabi. Incerta sunt haec. Gens גוים torsit interpretes. *Symm.* Παμφυλίας nihil tandem est quam ingeniosa translatio (*Drus.*). *Syr.* גליא : « Gelae occurrunt apud Plinium et Geli apud Ptolemaeum, tenentes in Media loca Parthis finitima » (*Calm.*); ergo fere Scythae. Assyrologi suggerunt *Guti* vel *Gutium*. Planissima sane est explicatio *Ges.*, intelligendam esse vocem uti 10, 5, ergo de Iaphetidis quibusdam.

Illud *Ponti* pro Elassar mutuatus est *Hier.* a *Symm.*, qui tamen illud nomen inseruit loco inopportuno, debebat quippe inseri non loco Elassar, sed loco Sennaar. Reapse apud *Targumim* פונטום seu, abiecta terminatione graeca, פונט est nomen aliquod regionis circa Babylonem, quod praeter alios textus clare docet Gen. 10, 10, ubi *Ps. Ion.* scribit « Ctesiphon in regione Babel », *Targ. Hier.* vero « Ctesiphon in regione Pontos ». Constat igitur de eius nominis veritate; videndum porro, utrum eiusdem antiquiora aliqua vestigia comparent. Huc placet trahere Berosi urbem Παντιβίβλα, e qua patriarchas antediluvianos repetit eos, quicunque Laranchaci non exstiterunt. Quam quidem urbem non pauci cum Sippara seu כפרוים composuere, quod haec forma hebraica a כפר *liber* videretur derivanda, itemque forma graeca a βίβλος. Utraque derivatio est fictitia. Nomen babylonium *Sipar* nihil habet cum כפר commune, sed explicandum est ex lingua non semitica. Gratuito praeterea supponitur Παντιβίβλα vel Παυτιβίβλα, quae lectio pluribus praeplacet, e graeca lingua explicari oportere, cum reliqua a Beroso tradita nomina minime e graeca sed e babylonica lingua explanentur. Sit ergo Παντιβίβλα = *Pont-Babel*, et habemus in unum compacta antiquum illud nomen פונט et, quasi explicationis gratia adscriptum, usitatissimum nomen בבל. Babelem item exprimi crediderim illo Sanchuniatonis effato, quo eum, qui primus omnium exstiterit, עליון sedem habuisse affirmat in *Biblo*, quam ego non Phoenices urbem Biblum seu rectius Gebal interpretor, sed Babelem, quam primam sui generis sedem fuisse vel Phoenices indubie norant. Agit idem Sanchuniaton de bello inter Uranum et Cronos, huiusque nepotem recenset *Pontum*, qui avo fortiter opitulatus sit in abavo vincendo. Eum coniicerem eundem esse atque *Phuth* seu *Punt* (cf. quae diximus ad 10, 6), atque illud antiquum nomen פינט inde fortasse originem duxit, quod Phuthitae Nemrodo adiutores exstiterint in Cuschitarum imperio in Sennaar stabiliendo.

v. 4 sq. 9. 17 Chodorlahomor reliquis regibus anteponitur, et certe primus dignitate erat inter illos, v. 9 etiam Thadal regibus Sennaar et Elassar anteponitur : cur ergo v. 1 hi duo recensentur primi? Adverte *Hebr.* et *Targumim* legere : *Et factum est in diebus Amraphel, Arioch, Chodorlahomor et Thadal.* Ergo solum nomen Amraphel praeponitur narrationi ad determinandum tempus; postea in eodem versu brevitatis causa non repetitur, licet utique Amraphel cum tribus aliis regibus ad bellum prodierit. Manet tamen dubium, cur horum trium rex Elassar primus recenseatur, qui testimonio tam s. textus quam monumentorum primus fuisse haud videtur. *Syr.* nomina omnia copulis iungit, atque ita nectit cum voce *in diebus*. Tandem *Sam. LXX* ita habent : *Et factum est in diebus Amraphel et Arioch : Chodorlahomor et Thadal etc.* Haec lectio servat primatum Chodorlahomor et Thadal : tempus definit per dies regum Sennaar et Elassar, in quorum finibus Abraham fortasse fuerat versatus, a quibus dure fortasse fuerat tractatus. Sed horum duorum nomina postea in eodem versu non repetuntur, brevitatis causa.

Civitatum v. 2 recensitarum quatuor priores tantum postmodum interiere Gen. 19; Deut. 29,23; Iud. 7. Aliis locis solae Sodoma et Gomorrha recensentur (Is. 1,9 sq. etc.), quae inter reliquas principa-

tum obtinuisse videntur; Os. 11,8 vero solae Adama et Seboim recensentur. De civitatum situ tenenda opinio *Calm.*, fuisse Sodomam fere in extremitate meridionali Maris Mortui, et Segor nonnihil ab eodem distare meridiem versus (cf. Deut. 34,3). Disputatio est de solo situ Segor, cum reliquae interierint. Voluit quidem *Robinson*, fuisse Segor in ea peninsula, quae a litore orientali in Mare protenditur. Contra quem demonstravit *Wetzstein* (cf. Dillm.) Segor abfuisse fere horae itinere a mari, meridiem versus qua vergit ad orientem, ubi nunc est Chirbet-es-Safia. *Ios.* (Bell. Iud. IV. 8,4), cuius aevo Segor exstabat, eam urbem collocat in extremitate meridionali Maris Mortui. — Tentavere iam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*, et post ipsos *Hitzig*, nomina regum e lingua hebraea explicare; item *Vulg. Theod.* (si in hoc praeferatur lectio ἀκτῶν) et *Ps. Ion.* vallem Siddim vertere « hortis amoenis consitam » seu « silvestrem » (cf. *Hier.* et *Field.*), *Aq. Chald.* « campestrem », *LXX Symm. Theod.* (ἀλσῶν) « salsam »; sed perquam dubium est, ea nomina derivanda esse e lingua semitica, cum secundum 10,9 quatuor Pentapoleos urbes certe non fuerint Chananaeae. Cf. *Motais*, Déluge p. 324 sqq. *Syr.* habet « vallem Sodom », tamen reliqui textus omnes habent ש, non ס. v. 3 « *Omnes hi convenerunt in vallem silvestrem* », — *Siddim* — « *quae nunc est mare salis* ».

Quaeritur, referaturne *omnes hi* ad solos quinque reges v. 2 an praeterea etiam ad quatuor v. 1 reges; solutio plurimum dependet a sensu verbi חברו, *erant coniuncti*. *Aq.* interpretabatur sensu hostili, *conflictati sunt*, ergo referebat ad v. 1 et 2. Sed vox sensum hostilem non habet. Peius etiam *Del., Dillm.* : iunctim profecti sunt contra etc. Vocis אל vertendae *contra* nulla est ratio, et perquam ambigue *omnes hi* referretur ad solos v. 1 reges, nam reges v. 2 utique non proficiscebantur *contra* eam vallem, in qua ipsi regnabant. LXX verbum reddidere sensu amico συνεφώνησαν, utique ad solos v. 2 reges referentes; atque in eundem sensum commode trahitur significatio neutra, quam voci tribuunt *Vulg. Chald. Syr. Symm. Theod.* : *convenerunt in*. Quae utique posset applicari regibus tam v. 1 quam v. 2, melius tamen solis regibus v. 2, qui iidem sunt unicum subiectum sequentis verbi עבדו. Qui postquam v. 3 narrati sunt *convenisse*, v. 4-7 refertur conveniendi occasio, v. 8 ipsum conveniendi factum repetitur, qui modus est narrandi Hebraeorum. *Vat.* : coniunxerunt (supple) copias; sed verbum hebr. est intransitivum.

v. 4 « *Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, et tertiodecimo anno recesserunt ab eo* ». v. 5 « *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor et reges, qui erant cum eo, percusseruntque Raphaim in Astharoth Carnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim* », v. 6 « *et Chorraeos in montibus Seir, usque ad campestria Pharan, quae est in solitudine* ». Quo itinere processerint, universim facile perspicitur. E Mesopotomia per Damascum, qua etiam redierunt, via quae transit per Edrei peragrati sunt Basan, Moabitiden, tandem

montes Seir ad meridiem Maris Mortui versus Sinum Aelaniticum sitos. Unde patet primo intuitu expeditionem non fuisse directam contra Chananaeos, sive quod hi ante subacti in obsequio perseverarent, sive quod eos subigere tum temporis non esset in votis. Ex omnibus gentibus recensitis, Chananaeis 10,16 accensentur soli v. 7 Amorrhaei : sed ii, historia profana teste, fere ubique Taurum inter et Aegyptum reperiebantur aliisque gentibus plurimum erant permixti. Praeter hos nulla e gentibus v. 5-8 recensitis in elencho Gen. 10 reperitur. Non imprudenter auctores aliqui coniecere, omnes illas gentes, ut etiam Enacim, Cinaeos, Hevaeos (Deut. 2,23; Ios. 13,4; עוים, non חוים), invicem exstitisse affines. Quod inde confirmatur, quia eae fere omnes affirmantur fuisse giganteae staturae. Cf. Deut. 1 et 2, et *Motais :* Déluge p. 320 sqq.

Raphaim, a Rapha progenitore (2 Reg. 21, 16. 18. 20) nomen nacti, incolebant potissimum Basan (Ios. 12, 4; 13, 12). *Astharoth Carnaim* (falso inter duas voces inserunt copulam *LXX Syr.*), ab Astharte bicorni dicta, vel brevius Astharoth postea sedes fuit regis Og Deut. 1, 4; Ios, 9, 10; 12, 4; 13, 12. 31. Quam alii putant eo loco fuisse, ubi nunc est Tell Aschtere, alii ubi Bostra Auranitidis. Si via, quae Damasco ducit Meccam, pervenisti ad locum Mzerib ad orientem Maris Tiberiadis situm, habes Tell Aschtere ad occidentem, et Bostram ad orientem. — Sicut *LXX Syr. Targumim* Rephaim vertebant *gigantes*, ita Zuzim vertunt *robustos* ; Emim *Targumim* reddunt *horrendos;* alii suggerunt, ut Save vertatur *planities*, et Chorraei *troglodytae*. Sed omnia haec sunt nomina propria, quae, antequam explicemus, scire certo oporteret, sintne e lingua semitica derivata, quod vix probatur. — *Zuzim* hoc solo loco commemorantur. בהם ne vertas *cum eis*, sed *in Ham* (*Hier.*) loco ceteroqui ignoto. Omnium aliarum h. l. gentium sedes nominantur. — *Emim* ex Deut. 2, 10 sq. discimus eum tractum occupasse, qui postea fuit Moabitis. Ergo ib. fuit *Save Cariathaim*, sed cf. dicenda ad v. 17. — *Chorraei* postmodum ab Edomitis sunt expulsi Deut. 2, 12.22. Inter eos antiquitus erat princeps nomine Seir, cuius Gen. 36, 20 sqq. posteri recensentur, et a quo fortasse mons Seir nomen accepit. *Hebr.* בהרם, sed reliqui melius בהררי. — איל *Vulg.* vertit *campestria*, itemque *Targumin;* e contra *LXX Syr. terebinthus*. Melius *El Pharan* (*Vat.* post *R. Salomo*). Videtur esse idem locus, qui alias scribitur אילה (Deut. 2, 8; 4 Reg. 14, 22; 16, 6), אלה (Gen. 36, 41), אילות (3 Reg. 9, 26), nomen utique a « magna arbore » derivatum, quod tamen in appellationem propriam transiit : Aila seu Elath, a qua Sinus Aelaniticus nomen habet. Hic locus dicitur esse על המדבר, quod vere explicant *Ps. Ion.* et *Targ. Hier. :* « prope regionem deserti ». Alia est in ipso limine deserti Pharan, orientem versus.

v. 7 « *Reversique sunt et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades; et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhaeum qui habitabat in Asason Thamar* ». Haec est Engaddi (*Syr. Targumim*), cf. 2 Par. 20,2, nunc Ain Djiddi ad Mare Mortuum. Postquam igitur reges illi fere itinere recto descendissent Damasco usque ad Sinum Aelaniticum, inde itinere parumper ad occidentem reflexo per fines Amalecitarum et Amorrhaeorum pertigerunt ad eam Maris Mortui

partem, quae a septentrione est Sodomae occidentem versus. Ita primum ii omnes oppressi sunt, qui vasto circa Pentapolitas circulo incolentes defectionis socii videntur fuisse et opem laturi exspectabantur. Videntur reapse Pentapolitae horum omnium habiti esse potentissimi atque ditissimi. Quod item inde colligas, quia tot aliis prostratis non de deditione cogitaverint, sed armis salutem quaesierint.

עין משפט reliqui verterunt *Fontem Iudicii* : a quo eventu fons hoc antiquissimum nomen nactus sit, ignoramus. *Cades* seu *Cades Barnea* in extremis erat finibus Edom Num. 20, 16. Ibi Moses miraculo (ib. v. 13) aquam elicuit, quae Aqua Contradictionis appellata est, utique diversa a Fonte Iudicii, a quo iam ante locus nomen acceperat. Tertius item fons sacer inde haud longe abest Viventis et Videntis me (Gen. 16, 14). De situ loci diu ambigebatur; videtur is esse in valle, quae Wadi Kadis audit, medio fere itinere a Gaza ad Sinum Aelaniticum. Cf. *H. C. Trumbull* : Kadesh Barnea etc., New York 1884. — Pro שדה *LXX Syr.* שרי : verum v. 5-7 non principes recensentur, sed fines describuntur. *Amalecitae* etiam postea ibidem reperiebantur : in Negeb Num. 13, 30 (29); 14, 43. 45 et usque ad Aegyptum 1 Reg. 27, 8. Israelitas ab ingressu terrae sanctae prohibuerunt Ex. 17, 8 sqq., atque ideo Deut. 25, 17 sqq. interimendi praecipiebantur (cf. 1 Reg. 15). In documentis neque aegyptiacis neque assyris nomen Amalecitarum reperitur; unde suspicio oritur, eos aliis nominibus ib. exprimi. — De Amorrhaeis cf. Gen. 10, 16.

v. 8 « *Et egressi sunt rex Sodomorum et rex Gomorrhae rexque Adamae et rex Seboim necnon et rex Balae, quae est Segor, et direxerunt aciem contra eos in valle silvestri* », i. e. in valle Siddim; v. 9 « *scilicet adversus Chodorlahomor regem Elamitarum, et Thadal regem gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti : quatuor reges adversus quinque* ». Licet tot aliae gentes prostratae erant, erat adhuc spes victoriae in numeris (*Dillm.*); erat item spes ob locorum peritiam, putei quippe bituminis Transeuphratensibus, si fugissent, interitum parassent. Tanto maior postea Abrahae laus (*Kn.*), qui solus vicit quatuor reges, quibus quinque haud fuerant pares. v. 10 « *Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis* » (cf. Gen. 11,3). Haec adiiciuntur, quia in illos puteos Pentapolitae haud pauci, postquam se fugae dederant, inciderunt : id enim praeter contextum suadet vox שמה, non שם (cf. *Drus., Bonfr.*). Certe non « data opera eo se coniecerunt, ut laterent » (*Cler.*). Norant quidem ipsi puteos plus minus accurate, at in fuga perturbati sunt animis. « *Itaque rex Sodomorum et Gomorrhae terga verterunt ceciderunteque ibi* », non ipsi sed pars exercitus (*Cai.*), nam rex Sodomorum v. 17 superstes est. Alii plures *ceciderunt* intelligunt de occisione in ore gladii, et non in puteis : sed tum otiosum est incisum de puteis. « *Et qui remanserant, fugerunt ad montem* ». v. 11 « *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhae, et universa quae ad cibum pertinent, et abierunt* »; v. 12

« *necnon et Lot et substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis* ».

v. 13 « *Et ecce unus, qui evaserat, nuntiavit Abram Hebraeo* », — LXX περάτῃ, *Aq.* περαίτῃ : ita vocabatur Abram, quod de regione Transeuphratensi in Chanaanitiden immigraverat (*Or.* apud *Field; Chrys.* et cf. Ios. 24,15); cf. quae diximus 10,22 — « *qui habitabat in convalle Mambre Amorrhaei, fratris Eschol et fratris Aner* ». נחל אשכל « torrens botri », prope Hebron (Num. 13,23 sq.; 32,9; Deut. 1,24) potuit utique nomen habere ab hoc viro Eschol, vel utrique ab excellentibus uvis; inde tamen minime colligas, hunc Eschol esse fictitium. Si vere exstitere mulieres Thamar i. e. palma appellatae, non est, cur negetur exstitisse vir, cui ab uva nomen. « *Hi enim pepigerant foedus cum Abram* ». בעלי, non « possessores foederis Abram » (*Ku.*), sed « viri foederis Abram » (*Chald.*); vocis nativa significatio, uti in similibus expressionibus, attenuatur. Similia patriarcharum foedera vide 21,22 sqq.; 26,28 sqq.; 38,12. Uti Pentapoleos reguli foedere iungebantur, ita alia tribuum aut familiarum capita, una incolentes, foedera inibant, quibus amice se promitterent acturos inter se atque unitis viribus iniuriam repulsuros aut ulturos; neque admittebantur intra fines, qui eiusmodi foedus inire detrectarentur. Porro ille nuntius ideo maxime videtur Pentapolitarum cladem et captivitatem Lot Abramo renuntiasse, quod confideret, Abram adversam nepotis sortem non aequo animo esse laturum, sed foederatos ad opem illi ferendam esse evocaturum, atque ita Pentapolitarum quoque res fore restituturum, qui ipsi Abram et sociis (cf. v. 23) nequaquam erant foedere iuncti.
v. 14 « *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo* ».

ויּרק a רוק *vacuum esse;* hiph. *evacuare, effundere.* Explicat *Dillm.* : « evacuavit eos, i. e. auctor fuit ut egrederentur festine magnoque numero ». Durior est haec explicatio. Tentantes potius vertere *Syr. Targumim armavit.* Sed *Sam.* legit וידם, et radix דוק vel דקק significat *tenuem esse*; hinc *Chald.* in hiphil induit significationem *accurate contueri,* et in pael *accurate facere, accurate computare,* unde explicatur LXX ἠριθμησε et *Vulg.* — חניך *initiatus.* Sat feliciter explicat *Ps. Ion.* דחניך לקרבא, « quos assuefecerat ad bellum ». *Syr. Chald. iuvenes.* — Pro *vernaculis* habet *Hebr. filios domus suae,* sc. servos nativitate, non emptione, quique hoc etiam titulo essent fidiores.

« *Et persecutus est usque Dan* ». Cum reges illi praedam et greges secum ducerent per regionem transiordanicam, Abram vero sine ullis sarcinis cis Iordanem incederet, haud mirandum eum illos esse assecutum. Si haec Dan intelligatur Dan Lais, tum Chodorlahomor eiusque socii non recto itinere reversi sunt Damascum, sed ab eo parumper deflexerunt, ut pagum opulentum (cf. Iud. 18,7) diriperent.

Quod auctores vix non omnes concedunt intelligi Dan Lais (nunc Tell el Kadi), non plane video. Sola nominis communio utique non est argumentum. Intra fines terrae sanctae unicam novimus Dan; at nulla ratio affirmandi non exstitisse alteram, maxime in tractu Galaaditen inter et Damascum, de quo pauca tantummodo comperta habemus. Tell el Kadi quindecim fere horarum itinere distat Damasco, Hoba v. 15 etiam longius abest. Prope Dan Abram Mesopotamios aggressus est, pedes ipse cum peditum agmine; num revera hi pedites credendi sunt plus quindecim horarum itinere hostes esse insecuti? Gregibus et sarcinis utique breve post tempus potiti sunt, cum haec nonnisi lento gressu progrederentur : num eo, quod potissimum intenderant, negotio feliciter perfecto censendi sunt quindecim horis fugientes hostes insecuti esse? — Quodsi tamen placeat locum interpretari Dan Lais, tum dicendum fere erit, redactorem aliquem in locum antiquioris nominis Lais, quod prius traditio habuerit, proleptice substituisse nomen Dan. Tamen redactor hoc capite non consuevit antiquiora nomina eradere, sed iis retentis glossam addere « ipsa est Segor », « quae est Vallis Regis ». Ergo fere concedendum erit *Dan* primitus in textu fuisse. Num igitur dices, post Iudicum tempora, quando nomen Lais mutatum fuit in Dan (Ios. 19, 47; Iud. 18, 29), librum Genesis scriptum aut certe hunc textum mutatum esse? Est et alia solutio, quam proponit et ingeniose defendit *G. Smith* (The book of Moses I. 445 sqq.), eam urbem antiquissimo tempore habuisse nomen Dan ob Adonidis cultum, illud postea mutatum esse in Lais, nomen Lais rursum a Danitis esse mutatum in Dan, nulla iam Adonidis, sed sola patriarchae Dan habita ratione. Ex dictis perspicies, ex ea hoc textu voce Dan nihil certi erui posse quoad compositionem Pentateuchi. Cf. *Cornely* Introd. II. 1 p. 91.

v. 15 « *Et divisis sociis irruit super eos nocte* ». *Hebr. Et divisit se super eos nocte, ipse et servi eius.* Modus hic pugnae etiam alias usuveniebat Iud. 7,16; 1 Reg. 11,11; Iob. 1,17. Adrepebant noctu in varias distributi turmas; in castra undique irrumpebant somno sopita, clamoribus omnia complebant, tentoria evertebant, obvium quemque trucidabant. Hinc strepitu et perturbatione omnia replebantur, ruptis iumentorum vinculis neque ullo amicos ab inimicis discernente signo. Ita pauci non raro fugabant plurimos copiosamque abigebant praedam. « *Percussitque eos et persecutus est eos usque Hoba, quae est ad laevam Damasci* » prospicienti orientem versus, ergo ad septentrionem. Locus fortasse idem est atque Χωβά Iudith. 15,4 sq. *Euseb.* affirmat locum suo tempore exstitisse, quem Ebionitae incoluerint. Exstat etiamnum vicus Kabun haud procul Damasco, septentrionem versus (*K. Furrer*, Zeitschrift des deutschen Palaestina-Vereins, VIII. 40,1885). v. 16 « *Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque et populum* ». v. 17 « *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquam reversus est a caede Chodorlahomor et regum, qui cum eo erant, in valle Save, quae est Vallis Regis* ».

Creditur haec *Vallis Regis* eadem esse atque illa, ubi 2 Reg. 18, 18 Absa-

lom sibi monumentum erexit, licet sola nominis identitas id utique minime efficiat : potuere quippe in regione, quae aliquando regulis abundaverat, etiam duae vel plures Valles Regis nuncupatae reperiri. Porro Absalom sine dubio illud monumentum erexerat prope Ierusalem, licet non satis constet sitne illud idem, quod nunc in valle Cedron nomine Sepulcri Absalom venit. Non spernenda *Ios.* auctoritas, qui monumentum Absalom affirmat a Ierusalem abfuisse stadiis duobus : cuius aevo certa de his rebus traditio apud Iudaeos perseverare potuit. — Auctores universim tenent, hanc vallem *Save* omnino distinguendam esse a Save Cariathaim v. 5, quae erat in Moabitide. Eam autem vallem fuisse cis Iordanem, sequentes suadent rationes. Abram sine dubio ea, qua Damascum venerat, via brevissima reversus est Hebronem : ea autem erat via cis flumen, dum via per Galaad et Moabitiden fuisset et multo longior et difficilior. Praeterea, si illa vallis fuisset trans flumen, abfuisset sat longo itinere Hebrone : at contextus suadet haud longe abfuisse. Non enim dicitur rex Sodom occurrisse Abram revertenti, sed *postquam reversus est*, אחרי שובו, ut Abram reditum Hebronem aut penitus aut certe fere confecerit. Hoc alterum probabilius, cum quia rex Sodom censendus est non exspectasse Abrami Hebronem adventum, sed reapse ei obviam et *in occursum eius* ivisse, quo certius eum ita honoratum propitiaret; tum quia Melchisedech videtur Abramum salutasse per agrum *suum* transeuntem, non eum extra proprios fines prosecutus esse. Tandem vallis Save, ut modo dixi, videtur haud procul abfuisse a Salem : at Salem omnes collocant cis Iordanem. — De situ *Salem* tres potissimum habentur sententiae. *Hier.* (Ep. 73; *M.* 22. 679 sq.) novit oppidum iuxta Scythopolim seu Bethsan (cf. Io. 3, 23), quod Salem audiebat habebatque dirutorum aedificiorum vestigia. Est et altera Salem in agro Sichimorum Gen. 33, 18. Utraeque hae erant in itinere, quo Abram incedebat. Tamen has praeter nomen commendat nihil. Tertia sententia nititur auctoritate *Ios.* et *Targumim*, qui facilius veram de hac re, si quae exstaret, traditionem assequi potuere, tenentque Salem esse ipsam *Ierusalem*. Quam urbem etiam appellatam esse *Salem*, egregie docet parallelismus Ps. 75 (76), 3 : « Et factus est in Salem locus eius et habitatio eius in Sion ». Ergo rex Sodom sex fere horarum itinere ultra Hebronem Abramo obviam profectus est eique intra fines urbis Salem, i. e. Ierusalem, occurrit. Quam sententiam confirmat, quam *Targumim* dant, explicatio vallis Save. Quam *Chald.* et *Ps. Ion.* vocant מישר מפנא, quod idem sonat atque *Targ. Hier.* מישר דחזיתא, *vallis visionis* : at, quis hic non cogitet de *terra visionis* i. e. Moriah, ארץ המוריה Gen. 22, 2? Ergo etiam Targumim vallem Save collocabant prope Ierusalem. Tandem adverte Ierusalem in cuneiformibus vocari *Ursalimmu* seu, cum *uru* idem sonet atque *alu*, « urbs Salem ». Porro Ebedtob, urbis sub Amenophi IV praefectus, qui se profitetur oraculo El Elion ad summam protestatem esse evectum, affirmat numen ibidem nomine *Salim* cultum esse. Ergo aut urbs a numine nacta est nomen, quod et El Elion et Salim vocabatur, aut numen El Elion nomine etiam urbis Salim vocabatur. Cf. *A. H. Sayce* in : The Academy 7 Febr. 1891, n. 979 p. 138.

v. 18 « *At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi* », v. 19 « *benedixit ei et ait* » : — Nomen *Melchisedech* est omnino semiticum et valde affine nominis Adonisedec Ios. 10,1, regis cuiusdam Chananaei Ierusalem. Non tamen inde inferre fas est, Melchisedech fuisse Chananaeum (*Proc.*) et Chanaan maledictum h. l. benedicere Abrahae; videntur enim tum Semitae bene multi per Asiam anteriorem vixisse Chamitis permixti potuitque fieri, ut ante Iebusaeos Chanaanitas tribus aliqua semitica obtinuerit Ierusalem, utque haec ab his nomen Salem et postea ab illis nomen Iebus nacta sit. Potius cum S. Paulo fatendum, nos viri originem penitus ignorare.

Reliqui habent : *protulit panem et vinum, et ipse erat sacerdos El Elion, et etc.* Inseruit *Vulg.* vocem *enim*, membrum trahens ad priora, dum LXX voce δέ illud potius iungunt sequentibus; *Masor.* trahunt ad priora. הוציא, quod bene norunt versiones, per se non significat *obtulit* pro sacrificio, sed *protulit*, *attulit*; unde cum *Lamy* concedimus ex sola hac voce non demonstrari sacrificium. Neque sacrificium significat Iud. 6, 18 sq., uti ib. demonstrabamus. Tamen vox aeque de sacrificio atque de alia re afferenda usurpari potest. Voci כהן h. l. denegare significationem *sacerdos*, quod eadem vox 2 Reg. 8, 18 latiori sensu sumatur, puerile est atque ne ipsis quidem rationalistis recentioribus placet. Cum ille vir iam dictus sit *rex*, quid iuvat speciali inserto inciso affirmare eundem etiam fuisse *principem* (si tamen ita reddere vocem fas sit)? *El Elion* etiam apud Phoenices nomen erat numinis supremi.

Igitur huius textus tres sunt expositiones. Prima tenet, Melchisedechi nullum oblatum referri sacrificium, sed panem et vinum ad refectionem prolatum. Ita *Ios.*, *Cai.*, *Protestantes* communiter. Dubitat *Calm.* « Duo dicit, quae necessario distingui debent », inquit *Vat.*, « ipsum Melchisedech fuisse regem et sacerdotem. Quod esset rex, Abram et eius comites accepit hospitio atque aluit pane et vino. Panis nomine intellige omne cibi genus. Quod autem sacerdos, benedixit iure sacerdotii et decimas ab eo recepit ». Contra hanc expositionem dici potest, eam totam niti in eo, ut incisum *et ipse erat sacerdos* ad sequentia trahatur, quod fieri potest, sed non debet. Ignorat Masoretharum distinctiones. Dein, ut recte monet *Vat.*, haec expositio *panis* nomine debet intelligere omne cibi genus, cum epulum solo pane constans sine carnibus fuisset nimis ieiunum et minime regium. Ergo etiam *vini* nomine debebit intelligi omne genus potus : aqua, lac etc. Verum id esset contra morem loquendi Hebraeorum. — Ceterum adverte, hanc quoque expositionem intactam servare Melchisedechi typicam rationem atque ad sacrificium N. T. incruentum respectum. Sacerdotium Melchisedech benedicentis Aaroni in lumbis Abrahae typus est sacerdotii Christi sacerdotio mosaico excellentioris. Hinc iure merito salutatur

Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non vero Aaronis. Melchisedech panem et vinum proferens, licet fortasse non pro epulo sacrificali, aptus est typus Christi panem et vinum proferentis pro actu et epulo sacrificali; neque enim typus et antitypus secundum omnia sibi respondere debent.

Altera sententia tenet exprimi sacrificium, et est *Catholicorum* communiter. Ratio trahendi ad sequentia incisum *et ipse erat sacerdos etc.* ea sola fingi potest, ut intelligamus, quomodo Melchisedecho in mentem venerit benedicere Abramo : sc. erat Melchisedech sacerdos, cuius officium erat benedicere. At benedicere in toto V. T. nequaquam est solorum sacerdotum : benedicunt parentes, reges, amici, alii. Dein, Abram post tam insignem victoriam Deo obtulisse sacrificium gratiarum actionis, consideratis populorum orientalium et Hebraeorum moribus, ita est indubium, ut id affirmandum esset, etiamsi id nullo textu exprimeretur : ergo, cum hic noster textus facilius de sacrificio exponatur, etiam exponendus est. Porro, si Melchisedech Abramo pro sacerdotali sua dignitate « obviavit » (Hebr. 7,1), sane etiam qua sacerdos sacrificium obtulit et Abram eum, ut offerret, rogavit. Neque credendus est Abram pro mera sacerdotali benedictione decimas persolvisse, sed pro plene praestito sacerdotali officio.

Tertia et verior sententia *Per.*, *Bonfr.*, *Menoch. etc.* duas priores sententias coniungit. Panis et vinum prolata fuere sacrificii offerendi gratia, quod sacrificium annexum habuit epulum sacrificale. Id quippe semper moris erat in sacrificiis, quae holocausta non erant. — Ceterum, cum typica sacrificii Melchisedech ratio tota nitatur Ps. 109 (110), 4 et Hebr. 7, eam eorum librorum interpretibus evolvendam et Patrum testimonia explicanda permittimus.

Placet, quod suggerit *Ambr.*, Melchisedech rogante Abram sacrificium obtulisse gratiarum actionis, atque Abram pro officio praestito decimas solvisse. Notat *Bonfr.*, ex hoc textu effici decimas vel ante Moysen in usu fuisse. *Iac. Edess.* tandem monet, ob eam etiam causam Melchisedech peculiari Dei providentia inter idololatras immunem esse servatum, quo Abram Dei amicus in eo consolatorem inveniret intelligeretque, inter gentes quoque reperiri veri Dei cultores.

« *Benedictus Abram* » sit a « *Deo excelso, qui creavit coelum et terram* », v. 20 « *et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt* ». De expressionibus minus usitatis diximus supra. « *Et dedit ei decimas ex omnibus* ». Subiectum recte supplet LXX *Abram*, cf. Hebr. 7,4.

Dillm. putat narrationem de Melchisedech vix cum reliquis cohaerere : verum optime omnia cohaerent. Rex Sodom Abrahae obvius fac-

tus in finibus Salem interfuit sacrificio, quod Melchisedech obtulit, gratiarum actionis, imo fortasse eius cum Abram auctor fuit. Ubi Abram solutis decimis generosum et pium in Melchisedech animum manifestavit, rex Sodom tempus opportunum suorum recuperandorum adesse ratus, veritus etiam fortasse ne Abram omnia rogatus nihil concederet, ut saltem homines sibi redderentur petivit. v. 21 « *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram : Da mihi animas, cetera* » — pro qua voce textus habet *substantiam* — « *tolle tibi* ». v. 22 « *Qui respondit ei : Levo manum meam* », non orans (*Chald.*) sed iurans (*Cai.* et cf. Deut. 32,40; Dan. 12,7), « *ad Dominum Deum excelsum, possessorem coeli et terrae* », v. 23 « *quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus, quae tua sunt, ne dicas : Ego ditavi Abram* ». Secus comparatio fieri consuevit inter extremos terminos, inter minimum et maximum; h. l. maiorum accipiendorum ne mentio quidem habetur, sed comparatio fit inter sola minima : minimorum nullum accipiam, sive illud sit tam exiguum atque filum, sive tam amplum atque corrigia. Cur noluit Abram quidquam a rege Sodom acceptare? Non ex mera generositate, sed quia nolebat cum hominibus scelestis communicare, neque putabat se Dei benedictionem nacturum, si eorum penes se haberet dona. v. 24 « *Exceptis his, quae comederunt iuvenes* », forte de cibo, qui v. 11 Sodomitis fuerat ablatus; praeterea aequum erat, ut, quo tempore iuvenes toti fuissent in recuperandis Sodomitarum rebus, eodem etiam Sodomitarum expensis alerentur — « *et partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eschol et Mambre : isti accipient partes suas* ».

Pulcher est lusus verborum inter מעשר *decimae*, et העשרתי *ditavi*. — Sola *Vulg.* habet illud *subtegminis*; neque tamen illud tamquam arbitrario adiectum condemnare audeo. Vox *filo* per se est satis clara, neque adiecto *subtegminis* ullo modo fit clarior : non ergo erat ratio adiiciendae vocis. Aliunde, apud Hebraeos parallelismi studiosos admirationem aliquam habet hinc unica vox חוט, illinc duae voces שרוך נעל. Si supponas vocem *subtegminis* genuinam, textus primitus erat fere hic : מחוט ערב ועד שריך נעל. Vide, quam similia inter se sint עד et עד, et quam facile vox עדב excidere potuit. Ergo lectio Vulg. non est plane spernenda. — בלעדי vox sat rara; habetur tamen etiam 41, 44. 46; Is. 36, 10 etc.

B. Abrahae fides Gen. 15,1-22,19.

1. *Prooemium : Abrahae fides Gen.* 15,1-6.

Arg. — Incipit iam narrationis pars omnino praecipua, quae illud factis illustrat 15,6 : « Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad iustitiam ». Igitur hi versus in memoriam revocant provectam Abrae

aetatem prole carentis, divinam iterant promissionem, viri celebrant fidem.

De cap. 15 origine et compositione cum recentiores (cf. *Del.*, *Dillm.*, *Wellh.*, *Budde* p. 416 sqq.) discordent, non est cur plura dicamus. Affirmant v. 2 et 3 idem edicere, ergo diversorum esse auctorum. Sed alteram v. 2 partem ostendemus probabilius non esse nisi corruptionem ipsius v. 3. Varios item inferunt auctores, quod v. 5 iam conspiciantur stellae, v. 12 sol tandem occumbat. At probabilius v. 1-6 et 7-21 fuere duae diversis diebus visiones atque, etiamsi verba v. 7 gratuito supponas eadem nocte atque verba v. 5 esse pronuntiata, sacrificio v. 10 instruendo sequens saltem dies adhibebatur, ut v. 12 non iam ad eandem atque v. 5 noctem referatur.

Cap. XV v. 1 « *His itaque transactis* » — determinatur tempus omnino generaliter. Erat illud inter aetatis Abrae annum septuagesimum quintum (12,4) et octogesimum quintum (16,3) : quo anno cum ingressus esset ad Agar spe prolis obtinendae, vix locutus esset verba 15,2 — « *factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens : Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis* » erit. Non : Ego ero merces tua; secus Abram non potuisset v. 2 respondere : « Quid dabis mihi? » A quibus sibi *timere* supponitur Abram et quorum eidem *merces* promittitur? Suggerit *Cai.* timorem a regibus Mesopotamiae, qui facile possent redire, *Ambr.* mercedem generositatis 14,23 exhibitae : « Quoniam sibi mercedem ab homine non quaesivit, a Deo accepit... Non est serus ad remunerandum Dominus ». Haec supponunt breve inter acta cap. 14 et 15 intervallum. Melius rem generalius concipias et e sequentibus maxime explices. Erat Abram peregrinus in regione aliena tantoque minus firmas in eadem radices fixerat, quod prole carebat : timebat igitur rebus suis. Simul nullum sibi experiebatur e relictis paternis in Mesopotamia sedibus emolumentum provenire, tot divinae promissiones vix quemquam tulerant fructum.

Graeci aliqui v. 1 legisse videntur *per visionem noctis*. Quam vocem vere adiici, demonstrat v. 5. Arguebat iam *Cai.*, non indidem fas esse inferre, totam hanc revelationem factam esse in *somnio* : somniantium actus fidei non sunt meritorii (v. 6), neque sancta sunt foedera somnio feriri conspecta. Videtur autem idem *Cai.* sensisse, omnia fere stricti nominis visione peracta esse ideoque eventus cap. 15 relatos esse *mere visionarios;* v. 5 ipse suggerit Abram a Deo e tentorio esse eductum « non corporis grossibus sed in visione », ergo stellas visione esse contuitum, licet fortasse ob diei lucem eaedem aliis tum essent invisae. Aliqua ad veri nominis visionem spectasse negari non potest, soporem ecstaticum v. 12,

tenebras v. 12. 17, clibanum igneum v. 17; item alia non per visionem solum, sed in rerum natura peracta esse, sc. quae v. 10 sq. de victimis et volucribus narrantur. Quod enim Deus concedere Abrahae signum (v. 8) decreverat, constabat *foedere* Deum inter et Abram secundum ritum Chaldaeorum feriendo, quo inter victimarum partes paciscens medius transiret. Oportuit igitur veras adesse victimas, non aliqua solum visione conspectas, et verum transitum; transitus autem divini veritatem crediderim Abram post visionem consumptis igne victimis intellexisse. Neque ulla est ratio supponendi, Deum verba v. 1-7 alia ratione, ac alia secus verba (v. 9; 12, 1 sqq. 7; 13, 14 sqq.), et ratione quidem magis visionaria pronuntiasse; quin potius, uti locis laudatis, fortasse visibili aliqua se exhibuisse forma, certe audibili locutum esse voce, reliqua secundum naturae leges esse acta. Igitur, expressio *per visionem* (v. 1), si ea de stricti nominis visione intelligatur, dicenda erit illud quidem affirmare, in v. 2-21 narratis aliquid esse visionis, non vero omnia ad visionem spectare. Sed planius defendes, illud *per visionem* nihil tandem aliud edicere, quam 12, 7; 17, 1; 18, 1 vox *apparuit*, sc. Deum visibili fortasse specie et utique audibili voce cum Abram esse conversatum.

Revelationis huius ratione definita, de temporibus, quo facta est, aliqua supersunt statuenda. Igitur primum Dei alloquium v. 1-5 factum est noctu, quo tempore stellae v. 5 conspiciebantur. Verba v. 7-9 dicta fuere aut immediate post, aut post aliquod tempus, noctu vel mane. Sequentem diem praeparandis victimis Abram insumpsit, postea sedebat (LXX v. 11) iuxta victimas « exspectans transitum Dei » (*Cai.*). Versus solis occasum v. 12 tandem secuta est visio. Ubi illud quaeri potest, exprimaturne unum idemque tempus verbis v. 12 « Cumque sol occumberet » et v. 17 « Cum ergo occubuisset sol », an diversum, imo fortasse duae distinctae vesperae. Praeplacet, duas illas expressiones de uno eodemque tempore interpretari, ut caligo v. 17 eadem atque v. 12 intelligatur; aut certe de temporibus fere iisdem, ut prior ad tempus occasum solis immediate praecedens, altera ad tempus immediate consequens referatur. Nulla autem est ratio cum *Cai.* ordinis invertendi, ut prius Abram viderit clibanum, postea audierit verba v. 13-16.

v. 2 « *Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi?* » Bene notat *Per.*, eum de protectione divina non dubitare, sed de sola mercede ponere quaestionem : « Quid mihi haec dona sunt profutura, si, cum mortuus fuero, non habeam filium bonorum istorum haeredem? » (*Bonfr.*). Nihil *magnum nimis* his in terris videtur viro liberis carenti. « *Ego vadam absque liberis et filius procuratoris domus meae, iste Damascus Eliezer* ». v. 3 « *Addiditque* » — vel potius simpliciter *dixitque* — « *Abram : Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus haeres meus erit* ». v. 3 evidenter idem repetit, quod praecedente sententia dicebatur, cuius textum apud omnes constat misere esse cor-

ruptum. Crediderim tempore antiquissimo, quando textus sententiae v. 2 iam erat depravatus, eius vero sensus certa adhuc traditione sciebatur, auctorem aliquem, fortasse inspiratum, adiecisse v. 3 ad eum sensum indubie exprimendum. Neque tamen inferas, legitime expungi priorem sententiam, est enim in illa aliquid, quod sequens non habet, sc. nomen *Eliezer,* quod secundum textus omnes habetur v. 2 et non habetur v. 3. Restitutionem textus prioris interpretem tentare oportet, licet rem certo definire nequeat.

Quam antiqua sit corruptio inde colligas, quod *Hebr.* et *Sam.* eundem textum corruptum legant : ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר. Quod verbotenus reddas : Et filius משק domus meae ipse Damascus Eliezer. Iamvero דמשק אליעזר non potest verti *Damascenus Eliezer* (*Chald. Syr.*), quod erat scribendum אליעזר הדמשקי. De significatione radicis משק minime constat (cf. Soph. 2, 9). *Syr.* et *Targ. Hier.* vocem omisere, LXX scripsit Μασέκ, *Symm.* ὁ δὲ συγγενής, *Vulg. procurator,* cui consentiunt *Chald., Ps. Ion., Vers. Sam.,* et etiam *Theod.* τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου. At expressio, qua idem eiusdem viri officium 24,2 designatur, haec est : זקן ביתי המשל בכל אשר לו עבדו. Corrigas ergo in nostro textu משק in משל. Dices משל non construi transitive, sed requirere sequentem praepositionem, v. g. בביתי. Respondeo, duorum ב facillime alterutrum potuisse excidere et eius praepositionis aliquod fortasse vestigium discerni apud *Aq.* τοῦ ποτίζοντος, ergo משקה, et apud LXX Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου, ubi genus fem. etiam aliquod ה demonstrat quod potuit e corrupto ב ortum esse. Habemus ergo priorem textus partem correctam sic : ובן משל בביתי הוא. Sed *Syr.*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* nomen proprium initio sententiae ponunt : ואליעזר בן משל בביתי הוא, quae lectio suam probabilitatem habet et solam explicandam relinquit vocem דמשק. Quam quidem *Syr.* etiam initio collocat, simul tamen in extrema sententia, uti duo Targumim habet formam verbi ירש. Potuit haec effingi ad instar v. 3, at potuit etiam esse genuina, ut tandem דמשק depravatum sit e forma aliqua ורש אתי vel ורשנו. Quod eo etiam fit veri similius, quod post הוא, quod omnes textus habent, desideretur omnino vox aliqua a דמשק diversa. Ergo totus textus erit hic : ואביעזר בן משל בביתי הוא ירש אתי.

v. 4 « *Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens : Non erit hic haeres tuus, sed qui egredietur de utero tuo* », — LXX מבוך *de te, pro* מביעיך — « *ipsum habebis haeredem* ». v. 5 « *Eduxitque eum foras et ait illi : Suspice coelum et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum* ». 13,16 comparabatur semen pulveri terrae. Perspexerat iam *Aug.*, non huc introducendam esse quaestionem de numero stellarum, sintne eae numero plures necne particulis pulveris : sed utraque comparatio petitur inde, quod haec nequeant numerari ab homine. Aliunde comparatio a stellis petita est longe illustrior : semen Abram celsitudine etiam et splendore stellas aemulabitur. Inde a *Lyr.* multum agitabatur quaestio, intelligaturne imprimis semen carnale an spirituale. Proxime omnino intelligitur semen carnale, de hoc quippe Abram sollicitus fuerat : at semen in Christo unum est cum

semine spirituali, et sic utrumque intelligitur, illud proxime, alterum remotius. Includi semen spirituale confirmatur verbis S. Pauli Rom. 4,18 affirmantis, hac promissione Abram factum esse « patrem multarum gentium ». v. 6 « *Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad iustitiam* ». Cf. Rom. 4,3; Gal. 3,6; Iac. 2,23.

אמן *firmus esse*, hiph. *firmum se exhibere*. Iob 39, 24 dicitur de equo, qui immotus perseverat; primarie vero de homine firmiter adhaerente Deo, et construitur vel absolute (Is. 7, 9; Iob 15, 22) vel cum ל (Ex. 4, 8 sq.) vel, uti h. l., cum ב. Designat vero primarie adhaesionem Deo loquenti praestitam, i. e. *fidem*; simul tamen etiam Deo promittenti et protegenti praestitam, i. e. *fiduciam*. Hunc alterum sensum clare habes Deut. 28, 66; neque idem aliis textibus excluditur (Ex. 14, 31; 19, 9; Num. 14, 11; 20, 12; Deut. 1, 32; 9, 23); nostro textu omnino includitur, Deus quippe Abrahae locutus fuerat imprimis promissionibus. Falso tamen reputabat *Cai.*, meram fidem exprimi constructione cum ל, fiduciam constructione cum ב. Contra quem cf. *Per.* — Recte neutrum *reputatum est* vertit *Vulg.*, ubi suffixum fem. habet *Hebr.*: ergo illa fides cum fiducia reputata est Abrahae ad iustitiam, vel proprie *iustitia*: tamen Ps. 105 (106), 31 sententiae verbotenus eidem inseritur ל, ergo *ad iustitiam*. צדקה quandoque designat id, quod iustum est et legi Dei conforme; ita in frequenti expressione « facere iudicium et iustitiam » (Gen. 18, 19; Deut. 33, 21). Sed alias significat habitualem eius, qui id quod iustum est facit, conditionem. Ita Deut. 6, 25 : « et iustitia erit nobis coram Domino Deo nostro, quia custodivimus cuncta praecepta eius »; et ita h. l. vox interprete S. Paulo omnino intelligenda est. Ad sensum autem verbi *reputare* cf. 2 Reg. 19, 19 (20) : « Ne reputes mihi iniquitatem neque memineris iniuriarum servi tui ». Ergo in idem recidit *non reputare* et *non meminisse*. Agitur de iniuria commissa, quae non memoretur; de iniquitate admissa, quae non reputetur ut talis. Sicut autem Deus non condonat tamquam peccata ea, quae vere peccata non sunt, ita neque reputat iustitiam ea, qua vere iuste facta non sunt. Ergo sententia nostra simul edicit, ea fide fuisse Abram iustum. — His de significatione vocum praemissis iam textum ipsum explanandum suscipimus, ea tamen, quae S. Pauli argumentationem et iustificationis naturam spectant, interpreti Epistolarum exponenda relinquentes.

Quaeritur iam primum, *quid* h. l. Abram credidisse referatur. Ubi censet *Dillm.* « narrationem interrumpi », laudari ergo viri fidem universum. *Keil* totum versum refert ad sequentia, ut fides Abrae prodatur iis, quae v. 10 ipse iubente Deo peregerit, reputatio ad mercedem foedere v. 18 Deum inter et Abram sancito. Verum prius illud utique gratuito adstruitur meliusque cum *Paulo Burgensi, Per., Bonfr.* fidem illam referri dicimus ad ea, quae v. 1. 4. 5 a Deo dicta fuere de mercede et semine obtinendis. Non igitur interrumpitur narratio, non prosilit ad sequentia, non ex individuis factis universale abstrahit axioma, sed aequo alveo fluit : prius referebatur Deus quaedam promisisse, dein narratur Abram promittenti credidisse fideique mercedem nactus esse iustitiae reputationem, et proxime utique foedus divinum v. 7-21.

Quaeritur porro, *cur hoc loco*, sc. quoad v. 1. 4. 5 dicta, Abrahae fides laudetur, cum is iam ante egregia fuerit fide, maxime quando Deo vocante Chaldaea excessit. At excellentior certe h. l. eius fides, quatenus teste Apostolo Rom. 4,18 sq. « contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium... Et non infirmatus est fide nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae ». Ceterum, quod h. l. eius fides laudetur, nefas esset inferre ante non excelluisse fide.

Ex dictis colliges, neque agi hoc textu de *Abrahae iustificatione prima*, sed de incremento iustitiae correspondente fidei verbis divinis v. 1.4.5 praestitae. Quomodo igitur Apostolus eum applicat toti Abrahae iustitiae et maxime primae eius iustificationi? Quia, licet 15,6 verba ad solam fidem uni cuidam divinae promissioni praestitam referantur, tamen ex universa narratione illud evidenter perspicitur, eadem fide etiam alia divina effata Abram esse amplexum et hinc correspondentem nactum esse iustitiam : ergo tota viri vita exprimebatur aptissime tessera 15,6, ut fuerit iustitia ex fide.

Licet Apostolus e 15,6 vere argumentetur, fuisse Abram iustificatum ex fide *et non ex operibus legis*, imprimis circumcisione 17,10, tamen hic alter sensus negativus non intenditur 15,6 directe, sed simpliciter celebratur Abrahae fides eiusque merces iustitia. Certe nulla est ratio supponendi, v. 6 serius fuisse sacrae narrationi insertum, quo sc. tempore tota iam lex mosaica apud Hebraeos floruerit : principium iustificationis per fidem, et non per opera sine fide patrata, valebat ante Moysen aeque ac post ipsum et post Christum.

2. *Fidei praemium foedus Gen.* 15,7-21.

Arg. — Abrae signum petenti Deus se obstringit solemni foedere, quo simul fines terrae promissae adamussim describuntur, et posterorum in Aegypto servitus praenuntiatur.

v. 7 « *Dixitque ad eum : Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam et possideres eam* ». Cf. 12,1. 7. Non novum beneficium his verbis enuntiatur, sed ante collata in memoriam revocantur, quo certior dicendis fides adhibeatur. v. 8 « *At ille ait : Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?* » Inde ab *Ephr.* omnes concedunt, non haec interrogasse Abram ob fidei infirmitatem, qui modo v. 6 ob egregiam fidem fuerit laudatus eiusque praemium mox v. 9 sqq. divinum accipiat foedus. Plures cum *Aug.* comparant Mariae dubitationem Luc. 1,34 ; alii Iud. 6,17, sed ibi ostendimus de nullo agi signo, aut 4 Reg. 20,8. Porro *Theodoret.* censet,

nostrae interrogationis sensum e divina responsione v. 13 sqq. esse eruendum; quod igitur respondens Deus *modum* obtinendae ab Abrahae posteris terrae promissae enucleatius proponat, statuit post *Chrys.* id solum v. 8 exposcere Abram, ut *modum* implendae divinae promissionis edoceatur. Tamen his sensus textus minime exhauritur. Deus v. 13 sqq. non solum modum explicat, sed ipsam promissionem repetit : « Certissime scito ». Insuper quaestionis sensus non tantum neque maxime e responsione eruatur oportet; cum ipsa tandem quaestio sensum aliquem habeat non aliunde quam ex ipsa eruendum, et cum responsio quandoque latius pateat quaestione. Quare aliam enodandae difficultatis viam tentavit *Cai.*, quaesiisse Abram signum non pro se, sed *pro posteris* divinae fortasse promissioni haud crediturus. Quae tamen est gratuita suppositio. Neque iuvat a *S. Thoma* (II. II^{ae} q. 97 art. 2 ad 3) h. l. appellatus *instinctus divinus*, commune illud difficultatum desperatarum effugium. Tenendum igitur est, Abram reapse signum expostulasse, et primarie quidem pro se ipso, idque fecisse salva in Deum fide, imo in hoc fidem et spem auxisse (*Calm.*). Igitur sicut sigillum appendere aut pacta iuramento firmare inter homines non est necessario diffidentiae argumentum, sed quae maioris momenti sunt pactis aequam tribuit solemnitatem : ita signum divinitus vel concessum vel etiam expetitum non est suapte natura diffidentiae argumentum. Decet imo solemniora Dei cum hominibus pacta miraculis ceu sigillis muniri; decet item eum, qui plene in Deum confidat, ad eum finem miraculum aliquod seu signum expetere.

v. 9 « *Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi* » — seu, ut explicat *Malv.* et similiter *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*, « sumens offer mihi » — « *vaccam triennem et capram trimam et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam* », vel exactius cum *Syro* et *Targumim :* pullum columbae, nam etiam Deut. 32,11 vox pullum aquilae denotat. De voce משלש vide, quae diximus ad 1 Reg. 1,24; ea significationem habet *triennis*, certe non *tres* (*Chald.*).

De hoc ritu omnino notare oportet, quod habet *Iac. Edess.*, licet id ex aliis fontibus nondum valeamus confirmare. Ait igitur, egisse Deum cum Abram tamquam cum homine Chaldaeo et patriis eius ritibus se adaptasse. Moris fuisse inter Chaldaeos (cf. Ier. 34, 18), ut iuraturi per dissecta victimarum cadavera certo utrimque ordine disposita transirent et certis formulis similem sibi exitum, ni iurata perficerent, imprecarentur. Similia in sanciendis foederibus Romanos aliosque observasse, notat *Bonfr.*, qui idem advertit, ea solum h. l. adhiberi animalia, quae postea ritu mosaico sacrificiis adhiberentur, volucres uti Lev. 1, 17 indivisas relinqui, et multiplices deprehendi symbolicas rationes : tria sc. majora animalia discissa similitu-

dinem referre populi Israelitici ab Aegyptiis oppressi, duas aves non discissas populi e captivitate avolantis, volucres rapaces v. 11 Aegyptiorum insequentium, ternarium numerum significare generationes tres (v. 16) in Aegypto mansuras. Sed haec audaciora.

v. 10 « *Qui tollens universa haec* » *ei*, « *divisit ea per medium* », quod non necessario idem est atque « a capite ad usque crura » (*Calm.*); potuerunt quippe etiam summa ab imis separari; *Chald. Syr.* « aequaliter ». *Sam.* et *Targ. Hier.* legebant בתזר pro בתוך, utique mendose. « *Et utrasque partes contra se altrinsecus posuit* ». *Hebr. : Et posuit unumquodque, partem suam e regione compartis suae*, ut inter illas transiri posset. « *Aves autem non divisit* », non quod hae solae sacrificio, reliqua soli foederi sanciendo reservarentur (*Cai.*), sed probabilius quod essent ita parvae. Censet *Del.*, duas quoque illas aves altrinsecus esse dispositas, ut inter illas posset transiri. Haec omnia Abram exsecutus est post verba Dei v. 9 : aut Deus ibi plura locutus est, quae non referuntur, aut paucis dictis intellexit Abram agi de foedere secundum ritum Chaldaeorum ineundo. Recte *Cai.* monet, sequentia evenisse, dum Abram prope animalium cadavera Dei transitum exspectaret. v. 11 « *Descenderuntque volucres* » rapaces « *super cadavera, et abigebat eas Abram* ». Has volucres iam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* interpretabantur nationes idololatras : « illius enim merito », inquit *Hier.*, « saepe de angustiis liberatus est Israel ».

על הפגרים *Chald.* et *Targ. Hier.* vertere, uti secundum etymon etiam verti potest, *super divisiones;* utramque versionem confudere LXX : ἐπὶ τὰ σώματα, ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν, vel ἐπὶ τὰ σώματα τὰ διχοτομηθέντα. — נשב secus tantum occurrit Is. 40, 7 et Ps. 147, 18 et *flatum* significat : vix autem credatur Abram flatu abegisse volucres. Reapse praeplacet punctatio LXX וַיֵּשֶׁב, *et sedit prope illa Abram*. Volucres circumvolitantes sola sedentis praesentia coercuit, ipse autem sedebat exspectans transitum Domini.

v. 12 « *Cumque sol* » *iamiam* « *occumberet, sopor* » — ἔκστασις uti 2,21 — « *irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum* ». *Hebr. : terror, obscuritas multa;* appositio explicat, quae eius terroris fuerit occasio, sc. praeternaturalis omnino obscuritas. Nunc accipit Abram, quod petierat, signum (*Chrys.*). v. 13 « *Dictumque est ad eum* », qui loquentem videret neminem, quo augebatur horror : « *Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua* » — Aegyptum non nominat — « *et subiicient eos servituti* » Aegyptii, seu potius secundum *Hebr. : et servient eis* i. e. Aegyptiis (*Vat.*), « *et affligent quadringentis annis* ». Qui numerus cum

sit rotundus (*Aug.*) et alibi (cf. Ex. 12,40) anni servitutis accuratius describantur (cf. Ex. 12,40), non est cur h. l. quaestionem chronologicam discutiamus. v. 14 « *Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo* », « i. e. puniam » (*Sa*); « *et post haec egredientur cum magna substantia* ». « Discit patriarcha, gentem ex se progignendam per passiones perventuram ad gloriam » (*Del.*). v. 15 « *Tu autem* » non cernes oculis oppressionem illam et egressum, non evenient te superstite, sed « *ibis ad patres tuos in pace* ». « Non dixit *morieris*, sed *ibis*, peregrini instar atque migraturus de patria in patriam » (*Chrys.*). Cum Abram corpore minime sit sepeliendus, ubi sepulta fuerant patrum corpora, hinc textus supponit immortalitatem animarum : « discedes, ut in alteram vitam te conferas cum patribus tuis » (*Calm.*). *In pace*, i. e. « non exitu praematuro nec violento, sed tranquillo » (*Calm.*); cf. 2 Reg. 3,23; 15,9. 27. Sensus ergo sententiae non est hic tantum « morieris ut maiores tui » (*Vat.*), quod nihil haberet consolationis : vult autem Deus aliquam Abramo suggerere consolationem pro eo, quod liberationem posterorum terraeque sanctae possessionem non sit oculis visurus. « *Sepultus in senectute bona* ». « Vult exprimere, non solum longam fore Abrami senectutem sed placidam, cui mors laeta et pacata respondeat » (Vat.).

v. 16 « *Generatione autem quarta revertentur huc* ». Ut alias saepe, resumitur quod ante dicebatur v. 14, et distinctius proponitur. Antiquos auctores (cf. *Hier.* Ep. 36 ad Damas. ; *M.* 22,456 sqq.) multum torsit, quod habent LXX Ex. 13,18, egressos esse Israelitas « generatione quinta » : at hodie omnes concedunt, חמושים ib. vertendum esse « armati », non vero « generatione quinta ». Porro generatio quarta nequit computari ab Abram vel Isaac vel Iacob secundum patriarcharum nomina in scriptura recensita, quae sunt plura quam quatuor; sed limitanda erit (*Bonfr., Per.*) ad generationes *in* Aegypto peractas, v. g. Esron, Aram, Aminadab, Nahasson. Praeplacet vero opinio *Calm.* (cf. *Menoch.*) : « Quo remotior est antiquitas, eo diuturnior est generationibus constituta periodus. Non inviti credimus, quatuor generationes hic tempus idem designare ac v. 13 *post quadringentos annos* ». Id contextus reapse omnino suadet. « *Necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum* », quorum nomen loco Chananaeorum omnium scribitur (*Calm.*), « *usque ad praesens tempus* ». Est haec ratio aliqua, cur terra s. possidenda differatur. v. 17 « *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa* », seu accuratius secundum *Hebr. : et cum facta esset caligo spissa*, etiam magis spissa quam ea v. 12, « *et* » *ecce* « *apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas* », atque sic foedus secundum ritum Chaldaeorum

feriens (*Theodoret.*). Forma rei describitur; erat fumi massa clibani seu furni formam imitata, eique coniunctus seu ex ea promicans ignis ad instar facis (Iud. 7,16) seu facium. Discernebat iam *Cai.* in his columnae fumi et ignis figuram, quae in deserto postmodum antecedebat Israelitas, monetque *Del.* clibani comparationem videri h. l. adhibitam imprimis ob clibani formam conicam seu cylindricam, quae eadem etiam columnae similitudinem habebat. Unde licet aliquod petere argumentum, hanc narrationis partem non esse ab auctore quodam Moyse recentiore primum confictam, sed ex ipsa traditione Abrahamica fluxisse; auctor sc. Moyse recentior cum idem portentum in mente habuisset, quod in deserto visum referebatur, eadem columnae comparatione adhibita illud expressisset. At hic habemus auctorem antiquiorem actorum in deserto plane ignarum, qui portentum explicat similitudine clibani. Fortasse ille auctor, qui acta in deserto descripsit, ne perspiciebat quidem idem Abramo, quod Israelitis, apparuisse portentum.

עלטה praeterea non habetur nisi Ez. 12, 6. 7. 12, unde neque plane certa significatio erui potest. Hic ab omnibus vertitur *caligo*, excepta LXX φλόξ. Nota *Syr.* habere עמטנא, *Vers. Sam.* עבוטה; est et alia vox syriaca עבוטיתא, et chaldaica עבוטתא, quae omnes caliginem sonant. Crediderim Hebr. primitus legisse עבוטה, aut eundem esse radicis hebr. עלט, atque apud alios radicis עמט sensum.

Iam portenti significatio declaratur. v. 18 « *In illo die pepigit Dominus foedus cum Abram dicens : Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten* ». 12,7 fines nondum describebantur. Euphrates etiam alias ut limes indicatur (Ex. 23,31; Deut. 1,7; 11,24; Ios. 1,4), sub Davide reapse limes exstitit. נהר מצרים alii cum *Cai.* idem esse censent, quod alias (Num. 34,5; Ios. 15,4; Is. 27,12) נחל מצרים audit, i. e. *Wadi el Arisch*, ubi postea Rhinocolura; alii cum *Calm.* Nilum praeferunt. Neque dicas, fines Hebraeorum nunquam ad Nilum usque pertigisse, cum fines hic describantur generalissimo conspectu. v. 19 « *Cinaeos et Cenezaeos et Cedmonaeos* », v. 20 « *et Hethaeos* » (cf. 10,15) « *et Pherezaeos* » (cf. 13,7), « *Raphaim quoque* » (cf. 14,5) v. 21 « *et Amorrhaeos et Chananaeos et Gergesaeos et Iebusaeos* » (cf. 10,16 sq.).

LXX post Chananaeos, *Sam.* post Gergesaeos addunt *Hevaeos :* cf. 10, 17. De *Cinaeis* diximus Iud. 1, 16 et 1 Reg. 15, 6 (cf. Num. 24, 21; Iud. 4, 11. 17; 5, 24; 1 Par. 2, 55). Iethro Cinaeus socer erat Moysis; cuius filius Hobab ducem se Israelitis in deserto iunxisse videtur; posteris postmodum sedes tributae sunt « ad meridiem Arad », in tribu Iuda. Quidam prope Thabor incolebant. — *Cenezaei* solum h. l. recensentur; non sunt confundendi cum posteris Cenez Ios. 15, 17; Iud. 1, 13; 3, 9.

11; 1 Par. 4, 13, e quorum numero fuit Caleb. — *Cedmonaei* quoque h. l. solum leguntur; sed nomen habent monumenta aegyptiaca (*M. Mueller* p. 46. 144), quo fortasse hi ipsi Cedmonaei designantur. — Ex Iud. 1, 4 colligas, *Pherezaeos* incoluisse eum tractum, qui postea tribui Iuda est assignatus, et quidem Ios. 11, 3 montana. — *Chananaei*, quatenus nomen non totam Chanaan posteritatem sed unam designat tribum, secundum Num. 13, 30 (29) morabantur « iuxta mare et circa fluenta Iordanis », 14, 25 « in vallibus », fere ubi Amalecitae.

3. *Aliud fidei praemium filius e Sara promissus Gen.* 16,1-17,27.

Arg. — Sara suam sterilitatem maritique provectam perpendens aetatem, ad prolem obtinendam humanae prudentiae remedium suggerit, ut Abram Agar ancillae iungatur. Quae parit Ismaelem. Verum triennio post Deus promissionem et foedus renovat, addito foederis signo circumcisione. Simul filium e Sara promittit, mutato uxoris uti antea mariti nomine. Ismaeli etiam ob patris gratiam numerosae posteritatis conceditur benedictio. Abraham vero Deo credens circumcisionis ritum subit.

Cap. 16 unanimiter fere ei concedunt auctori, cui etiam actorum Abrami initia permittunt. Tamen v. 1. 3. 15 sq. ei abiudicant ob expressiones aliquas, adscriptos aetatis annos, etc. — 17, 1 expressionibus ההלך et תמים comparatur Abraham sanctissimis prioris aevi viris Henoch et Noe (5, 22; 6, 9), imo ipsi Adam (3, 8) : reapse quis miretur easdem, atque priore aliquo textu, expressiones usurpari, ubi ille pracise textus auctoris menti obversatur? — 17, 2 (cf. 9, 12) foedus divinum exprimitur נתן ברית בין, pro qua praepositione v. 3 habet את; v. 7 הקים ברית בין, ubi v. 19. 21 (cf. 6, 18) rursum subintrat את : en tibi iam sat magnam in una pericope varietatem. Verum est, 21, 27. 32; 26, 28; 31, 44 haberi כרת ברית : sed aliam de humanis, aliam de divinis foederibus adhiberi expressionem, quis miretur? aut 15, 18 de divino foedere adhiberi כרת ברית את, ubi non Deus ipse loquitur, sed narrator expressione minus solemni foedus a Deo initum commemorat? — 17, 2b repetit promissionem 12, 2; 13, 14 sqq.; 15, 5 : ergo iisdem atque ibi loquitur expressionibus. Item v. 6. 20 פרה, רבה alludit ad 1, 28; 9, 1. — 17, 4 rara vox המון ob assonantiam ad nomen Abraham fuit selecta, hincque demonstratur esse et genuina et antiquissima. — v. 8 מגורים item legitur 28, 4; 36, 7; 37, 1, quod caput immerito iahvistae subtractum elohistae assignatur; legitur una cum גור 47, 4. 9. Reapse, qui unam earum vocum novit, novit et alteram : porro גור habetur 12, 10; 15, 13; 20, 1; 23, 4; 26, 3; 32, 4 (5); 35, 27. Ergo neque e גור neque e מגורים fas est diversum inferre auctorem. — Ad 17, 8 אחזה cf. 23, 4. 9. 20; 47, 11; 48, 4; 49, 30; 50, 13, quibus locis agitur de possessione *immobilium* : non hanc specialius exprimit מקנה, imo frequentius mobilium possessionem, quod confirmat 17, 12. 13. 23. Auctor cap. 23 (cum v. 4. 9. 20 cf. v. 18) novit utramque vocem : novit sine dubio utramque auctor cap. 17. — בן נכר (v. 12. 27) in Genesi secus non habetur, sed Ex. 12, 43; Lev. 22, 25. Est sc. terminus legalis. — נשיא v. 20 e 25, 16 deprehenditur fuisse titulus principum Edomitarum proprius. — v. 20 נתן לגוי (cf. 48, 4) imitatur stilum benedictionum antiquiorum : si cuius auctoris sit magis proprium, Dei benedicentis proprium esse dicatur. — v.

23. 26, uti 7, 13, scribitur עצם; quibus solis locis illud edicere in animo erat, rem *ipsa* die actam esse.

Cap. XVI v. 1 « *Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos* ». Cum iahvista, inquit *Dillm.* post *Schrader,* iam 11,30 sterilitatis Sarai meminerit, elohista autem eandem tacere nequeat, ergo haec sententia tribuenda est elohistae. Contra quos merito urget *Del.,* non sine causa eundem auctorem iterato sterilitatis Sarai meminisse, quod ea sc. in Chanaanitide, uti prius in Chaldaea, perseveraverit. Et *Chrys.* explicat, emphatice his moneri lectorem, post tot etiam numerosi seminis promissiones Sarai sterilem permansisse. Perperam vero idem S. D. Abrae et Sarai in hoc facto Agar insignem celebrat pietatem, sapientiam etc. Quod Abrae 15,6 et alibi fides laudetur, non sequitur eam fidem nunquam defecisse aut semper perfectam exstitisse; multo minus Sarai fidem per omnia ab interprete extolli necesse est. Gratuito *Ios.* suggerit, egisse Sarai « praecipiente Deo » : sentiebat quippe ille, eam secus non posse plane excusari. Igitur Sarai divina consilia censebat humana prudentia iuvari oportere et, quod nullum ex se prodire semen animadvertebat, iudicabat illud altera adscita uxore esse procurandum. Abram uxori suggerenti obsecutus est. Non erant haec perfectae fidei neque Deus ea probavit, repudiato postea Ismaele. Vere *Cai. :* « Annotabis », inquit, « quod non dicitur (v. 2) : audivit vocem Dei, sed : vocem uxoris. Nulla Dei consultatio, nulla Dei apparitio seu allocutio scribitur, sed Sarai interpellatio ». « *Sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar* », v. 2 « *dixit marito suo : Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem* » ; sibi sterilitatem imputabat, non marito (*Chrys.*). Hanc ancillam coniicit *Ephr.* inter alia dona 12,16 fuisse a Pharaone dono datam. Aegyptiam fuisse etiam illud confirmat, quod 21,21 filio uxorem Aegyptiam adiunxerit. Ceterum ancilla ad Sarai pertinebat, necnisi hac consentiente Abram ad eam ingredi poterat; ob eandem causam poterat Sarai liberos ex Agar gignendos quodammodo considerare ut suos. « *Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios* ». Cum ipsa vox בן *filius* a בנה *aedificare* derivetur, hinc אולי אבנה מיכנה pulchre simul significat *si forte aedificer ex ipsa*, et *si forte filios nanciscar ex ipsa.* Similiter egere Rachel et Lia 30,3. 9. Merito *Cai.* ex Sarai modo agendi infert legitimam tum omnino habitam esse polygamiam : « non enim Sarai ausa fuisset alteram proponere uxorem, nisi communi more vidisset huiusmodi bigamiam probatam ».

« *Cumque ille acquiesceret deprecanti* », v. 3 « *tulit Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decem, quam habitare coeperant in*

terra Chanaan », ergo anno octogesimo quinto aetatis Abram (cf. v. 16 et 12,4), « *et dedit eam viro suo uxorem* ». v. 4 « *Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns despexit dominam suam* ». Merito de polygamia *Ambr.* : « huiusmodi intemperantia », inquit, « solvit caritatem coniugii... Simul ut de domino conceperit ancilla, spernit dominam suam tamquam ditior partu; domina se despici dolet, maritum auctorem iniuriarum suarum arguit ». v. 5 « *Dixitque Sarai ad Abram : Inique agis contra me* ».

Heber. : *Iniquitas mea super te.* Nomen non est intelligendum active « mea iracundia » (*Mar.*), sed passive « iniquitas, quam patior » (*Cai.*), quo recidit *Syr.*, *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.* « oppressio mea ». Haec autem non « ex te » (*Ps. Ion.*) provenit, neque « in manu tua » est (*Targ. Hier.*), sed « in te recidit » (*Malv.*) seu potius recidat, « tibi imputanda » (*Menoch.*).

Quamnam vero iniquitatem passa sit Sarai, sequentia edicunt : « *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quae videns, quod conceperit, despectui me habet* ». Ego ita studui tuum ex defectu prolis moerorem solari, ut etiam ancillam tibi concesserim : et ecce ab hac nunc despicior. At, quomodo id Abramo imputetur? An, quod is supponatur ancillae petulantiam fovisse aut certe non reprehendisse? Fortasse verius Sarai sibi conscia, se nihil quo marito placeret intentatum reliquisse, iam prosperum rei successum ab ipso uno exspectat eumque, si quid minus commode acciderit, accusat. Impotentis haec sunt mulieris verba, quae facili ope potuit praevidere discordias necessario futuras, ubi semel ancilla florens et foecunda ad torum dominae senis et sterilis admitteretur. « *Iudicet Dominus inter me et te* ». « Verba sunt indignantis et querentis Sarai, et minarum quoddam genus insinuant » (*Calm.*). Suam causam Deo reservat (*Bonfr.*; cf. 1 Reg. 24,16), certa utique se ab eo absolutum iri. Se prius nominat quam maritum, non quia « obliviscitur solitum honorem exhibere marito » (*Cai.*), sed quia actione accusatrix ante accusatum est audienda. v. 6 « *Cui respondens Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est. Utere ea, ut libet* ». Hinc patet, absurde *Ps. Ion.* Agar fingere esse a Sarai manumissam, antequam Abramo traderetur uxor. Intactum manserat herae in ancillam ius (*Calm.*); tamen ancilla in uxorem assumpta herus quoque aliquod in eam nactus fuerat ius, ut Sarai iam non ausa sit ancillae poenam infligere. Nunc Abram suo iuri cedit, plenum herae in ancillam ius agnoscit (cf. *Ephr.*). Quibus ab eo iuste utique et quoad Sarai benigne statutis, tamen rursum panditur misera secundae uxoris apud polygamistas conditio, qua et tantum infra primam uxorem demittatur, et tam iniquo vinculo communi marito devinciatur. Unde piget Abram

hac in re alte laudare atque vel eius « ingens virtutis studium magnique animi excessum » cum *Chrys.* celebrare, vel cum *Aug.* exclamare : « O virum viriliter utentem feminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter! » « *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit* ». Non aequo nimium afflixisse, infert *Per.* e verbis angeli v. 9 « humiliare sub manu illius »; audacior illatio. Quidquid egit Sarai, Deus providit, ne foetus in utero Agar detrimentum caperet. v. 7 « *Cumque invenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquae in solitudine, qui est in via Sur* [*in deserto*] », v. 8 « *dixit ad illam* » :

Mulier Aegyptia Aegyptum versus fugit (*Hier.*). Nomine *Sur* intelligi murum a Pharaonibus exstructum ad nomadas Asiae ab ingressu Aegypti arcendos, ostenderunt *G. Ebers* (Aegypten I. 78 sqq.) et *H. Brugsch* (Dictionnaire géographique de l'ancienne Égypte, Leipzig 1879 p. 49 sqq.). Cf. quae diximus ad 1 Reg. 15, 7. — Pro Sur *Chald.* h. l. et 25, 18; Ex. 15, 22 et *Ps. Ion.* h. l. habent חגרא, quae vox, cum primitus *cingulum* designet, commode potuit ad significationem *muri* transferri, quam etiam habet vox שור. Sed *Targ. Hier.* h. l., et cum ipso *Ps. Ion.* 25, 18; Ex. 15, 22, pro Sur scribunt חליצא, quod cum ipsi et *Chald.* 16, 14 habeant pro loco secus non nominato ברד, reapse videtur Chaluza aliud nomen fuisse pro Barad, loco sito inter Cades et murum Sur. חלוצא videtur sonare *armatus, munitus*, aptum arcis nomen. *Syr.* pro Sur ubique habet גדר, quod item *murum* designat. — Situs fontis accuratius describitur v. 14, ut fuerit « inter Cades et Barad ». De Cades vide 14, 7; pro quo *Syr. Targumim* scribunt רקם.

« *Agar, ancilla Sarai, unde venis et quo vadis?* » Ipsa appellatione ei in memoriam revocat servilem conditionem, « ut sciat, licet millies ad domini torum fuisset admissa, tamen dominam se debere agnoscere Saram » (*Chrys.*). « *Quae respondit : A facie Sarai dominae meae ego fugio* ». v. 9 « *Dixitque ei angelus Domini : Revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu illius* ». Durus est hic sermo, quare illico gloriosa promissione conditur : habebit quippe humiliatio praemium. Et nota, *Hebraeum* ter v. 9. 10. 11. solemni formula *et dixit ei angelus Domini* ordiri. Ad primum quidem alloquium potuit Agar, quis loqueretur, ignorare; non item, quando idem se multiplicaturum esse semen, quod solius Dei est, promittebat, sexum infantis atque fata praenuntiabat, nomen pro auctoritate imponebat. Cf. *Cai.* — v. 10 « *Et rursum* » : « Revertente te ac humiliante te » (*Cai.*), « *multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine* ». Semen ancillae semen est patriarchae : ipse igitur hac promissione honoratur, et promissio ipsi 12,2; 13,16; 15,5 facta etiam ad eum, qui non est promissionis filius, quadamtenus extenditur (*Chrys.*). v. 11 « *Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti et paries filium vocabisque nomen eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam* », seu *humiliatio-*

nem : sc. *Hebr.* eadem radice atque v. 9 utitur, quod imitati sunt LXX ταπεινώθητι — ταπεινώσει. Huic post Adamum primo nomen divinitus imponitur. v. 12 « *Hic erit ferus homo* ». פרא אדם, ubi « noster interpres ad sonum hebraicae vocis allusit » (*Menoch.*), sc. *ferus* = פרא. Hebraeum ad verbum vertitur *onager homo*, quod *Targumim* sat apte explicuere *onager inter homines*. At quorsum onagro Ismael comparatur? Sane secundum ea, quae eius bestiae sunt maxime propria, ut sit fera (*Vulg.*; LXX ἄγριικος; *Aq.* ἄγριος), ut hominum consortium abhorreat (*Symm.* ἔρημος; *Theod.* κεχωρισμένος ἀνθρώπων). Ceterum imago sequentibus explicatur. « *Manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula* ». « Significat autem semen eius habitaturum in eremo, i. e. Sarracenos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursant et impugnantur ab omnibus » (*Hier.*).

Quid sibi vult על פני? Discordant auctores. *Cai.* : non longe, sed prope fratres incolet. E contra *Vat.* : non eandem regionem incolet, sed erit separatus. *Bonfr.* : iuxta. *Sa* : audacter figet tabernacula ante facies fratrum, neminem timens. *Del.* : ad orientem. Sed hoc ultimum falsum esse ostendit 25, 18 : « Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quae respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios, et coram cunctis fratribus suis » — non « obiit » (*Vulg.*), sed — « habitavit » (*LXX Chald. Syr.*). Ergo dum Ismael habitabat ab Hevila usque Sur, implebatur iam prophetia nostra, eum fixurum esse tabernacula על פני fratrum suorum : atqui tum non incolebat ad orientem reliquorum Abrahamidarum, sed ad meridiem. Optime vocem explicat *Syr. in finibus* seu *ultra fines* : habebit proprios fines, non erit unus cum fratribus populus, neque tamen longe ab ipsis incolet. Suavi modo docetur Agar, Ismaelitas fore gentem a populo electo distinctam.

v. 13 « *Vocavit autem* » — seu invocavit (*Bonfr.*) : in idem recidit, nam invocando vocavit — « *nomen Domini, qui loquebatur ad eam : Tu Deus, qui vidisti me* ».

אתה אל ראי. *Masor. Vulg. LXX* ראי interpretati sunt participium cum suffixo : Tu es Deus videns me. Potest idem interpretari substantivum (cf. 1 Reg. 16, 12; Iob. 33, 21) : Tu es Deus videndi seu videns, sc. videns omnia (*Chald.*) et meam quoque afflictionem. Eundem sensum planius exhibet *Sam.* legens ראה pro ראי : Tu es Deus videns. Aliter explicat ראי (Tu es Deus videndi; *Del.* « O du Sehens-Gott! ») *Syr.* : Tu es Deus in visione, i. e. tu es Deus, qui videri potest. Et hic sensus optime quadrat cum sequentibus, quae ostendunt Agar cum popularibus existimasse, neminem impune Deum videre posse, sed eo conspecto illico consumi.

« *Dixit enim : Profecto, hic vidi posteriora videntis me* ». Cf. Ex. 33,23 sq.

הגם הלם ראיתי אחרי ראי. Textus certe est corruptus. הלם significat non *hic* sed *huc*, quae significatio h. l. nullum praebet sensum. *Syr.* videtur legisse חלם, *visio* seu

potius *somnium*. Sed *LXX Chald.* ignorabant vocem potuitque ea facillime oriri ex repetito et corrupto הגם. — *Sam.* etiam hic pro ראי habet ראה. — Quam facile in vocibus ראיתי אחרי ראי aliqua depravatio inesse possit, vel inde colligas quod, demptis duabus literis ת et ח, omnia repetitione constent trium literarum ר, א, י. Textus, uti iacet, non potest verti : Profecto, vidi post visionem meam, i. e. postquam apparuit mihi (*Chald.*); debebat quippe scribi ראיתי (*Del.*). et valde coacte voci *vidi* tribuitur sensus *adhuc video, ergo superstes sum. Syr. :* Profecto vidi, postquam vidit me — nullum praebet sensum. Sed oportebit vertere cum *Vulg. :* Profecto, vidi posteriora videntis me. Tamen illud de « posterioribus » h. l. valde claudicat; et num Agar reapse non viderat angeli faciem? Praeterea, admissa hac interpretatione, illud in verbis Agar implicite ad summum continetur, quod teste v. 14 mentem mulieris ceteris vividius perculit, sc. se post visum Deum *adhuc vivere*. Iam adverte, LXX pro אחרי videri legisse אבי (ἐνώπιον), eandemque vocem ἐνώπιον eos in sequentibus scribere pro לחי. Supponamus igitur, eos illud vere testari, eiusdem radicis formas utrique textui primitus infuisse, eam fuisse radicem חיה, tum licebit cum *Wellh.* (Prol. 339) corrigere ואחי pro אחרי, et textus erit hic : הגם ראיתי ואחי ראה, Verene vidi et videndo vixi?

v. 14 « *Propterea appellavit puteum illum Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad* ». Cf. quae diximus ad v. 7; cf. etiam 24,62. Verbum est masc., ergo : appellavit quis, seu appellatus est (*Malv.*); ל sequentem textum introducit, uti Is. 8,1. חי ראי utique verti potest *viventis, qui videt me :* sed, cur Deus h. l. praecise ut *vivens* celebretur, non comparet. Si אל ראי vertitur *Deus videndi*, tum aequo iure חי ראי vertere licebit *vivus videndo* vel *vita videndo;* intelligitur ergo puteus, apud quem Agar vita sospite vidit Deum. v. 15 « *Peperitque Agar Abrae filium, qui vocavit nomen eius Ismael* ». v. 16 « *Octoginta et sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem* ».

Cap. XVII. Monet *Chrys.*, anno aetatis septuagesimo quinto primam Abrae futuri seminis factam esse promissionem; octogesimo sexto natum Ismaelem, qui non esset futurus filius promissionis; nonagesimo nono iteratam promissionem et circumcisionis signum concessum; centesimo tandem nato Isaac promissionem impletam; hanc vero gratiam ideo tamdiu esse dilatam, quo Abrae fides et patientia exerceretur Deique potentia clarescerct. v. 1 « *Postquam vero nonaginta et novem annorum esse* [*coeperat*], *apparuit ei Dominus dixitque ad eum : Ego Deus omnipotens, ambula coram me* » — i. e., ut recte explicant *Targumim : servi coram me;* ut servo quippe Abrae incedendum est in conspectu Domini — « *et esto perfectus* » in eo servitio, *esto sine macula* (*Syr.*). Cf. 6,9. — v. 2 « *Ponamque foedus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis* ». En servitii futura merces. Foedus iam ante sancitum « dabo exsecutioni » (*Cai.*). *Hebr. : in multo multum :* nova eaque maxime emphatica expressione seminis incre-

mentum praenuntiatur. Simul duplici signo et promissio confirmatur et Abram cum suis intimius ad Deum pertinere demonstratur, mutato sc. eius et uxoris nomine et circumcisione imposita (*Calm.*). De nomine אל שדי, quod v. 1 primum recurrit, quoque potissimum nomine Deus se patriarchis manifestabat (Ex. 6,3), diximus in Introductione p. 4 sqq.

v. 3 « *Cecidit Abram pronus in faciem* ». v. 4 « *Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum* ». *Hebr. Ego*, vox absolute ponitur, uti v. 9 vox *tu* (*Cai.*); *ecce pactum meum tecum*. Primum, quid ipse ex pacto praestaturus sit, exponit; dein, quid Abrae praestandum. « *Erisque pater multarum gentium* ». Nova expressione המון גוים, *tumultus populorum*, eadem atque prius promissio inculcatur. Neque tamen ideo necesse est filios Ismael, Ceturae et Esau h. l. intelligere, sed gentem electam sive carne sive spiritu ex Abram progignendam. v. 5 « *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te* ».

אברם, pater excelsus, seu pater est excelsus; est idem nomen atque אבירם, correspondetque assyrum Aburamu apud *Schrader* ad 3 Reg. 16, 34. אברהם, « si res secundum etymologiam perpendatur, non videtur esse nisi altera, fortasse antiquior, fortasse magis aramaica eiusdem nominis pronuntiatio » (*Dillm.*). At res hic non secundum etymologiae canones est definienda, sed Deus voluit hanc nominis formam memoriale esse numerosae Abrahae promissae prolis. Neque hic cum *Del.* fingenda aliqua radix רהם, multitudo. Sed v. 4 sq. ideo selecta videtur rarior vox המון (secus קהל 28, 3; 35, 11; 48, 4), quod dempta terminatione ן reapse extremam nominis אברהם partem exprimat. Ergo secundum hanc, minime quidem etymologicam, rationem אברהם = אב המון. Cf. p. 395.

v. 6 « *Faciamque te crescere vehementissime* », — eadem fere verba atque v. 2 — « *et ponam te in gentibus* », seu potius in gentes, « *regesque ex te egredientur* ». Promissio fit rursum distinctior. v. 7 « *Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis* », per omnes generationes, « *foedere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te* ». « Hoc erat pactum, sc. ut colerent ipsum tamquam Deum, Deusque illis benefaceret; seu, quod eodem recidit, ipse illorum esset Deus, et illi eius populus » (*Sa*). v. 8 « *Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan, in possessionem aeternam; eroque Deus eorum* ».

v. 9 « *Dixit iterum Deus ad Abraham : Et tu ergo* » — opponitur voci *ego* v. 4 — « *custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis* ». Pactum hic generaliter intelligitur omne id, cuius observatione Israelitae erunt populus Dei, uti ipse erit eorum Deus. Generaliter item v. 10 intelligitur, sed illico explicatio ad unicum caput restringitur signi externi, cuius revelandi causa Deus se Abrahae

manifestabat. Non est ratio v. 10 cum *Olshausen* emendandi זאת אות בריתי. « In foederibus solemni ritu celebratis nunquam deest perpetuum quoddam monumentum ad aeternam rei memoriam consecratum. Cum Deus foedus iniret cum Noe, pignus et rei monumentum posuit iridem. In privatis foederibus eadem monumenta ad perennandam memoriam non defuerunt : Iacob et Laban struem lapidum erexerunt etc. » (*Calm.*). v. 10 « *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculinum* », v. 11 « *et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos* ». Id sane imprimis effectura erat circumcisio, « ut patriarchae semen impermixtum maneret, quo promissiones in eis compleri possent » (*Chrys.*). Secundum *Per.* fuit circumcisio signum commemorativum foederis; repraesentativum, sc. « signaculum iustitiae fidei » (Rom. 4,11); distinctivum Iudaeorum a reliquis gentibus; figurativum regenerationis in Christo futurae. Post adultos sequuntur infantes Hebraei seu potius *filii* (*Hebr.*) v. 12 : « *Infans octo dierum* » (cf. Lev. 12,3; Gen. 21,4; Luc. 1,59; 2,21; Phil. 3,5) « *circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris* ». Dein non Hebraei : « *tam vernaculus quam emptitius circumcidetur* », i. e. tam qui inter ipsos (cf. 14,14) natus quam qui pretio emptus est servus, « [*et*] *quicunque non fuerit de stirpe vestra* ». v. 13 apud reliquos textus plus habet, quam apud *Vulg.*, et intime cum extrema v. 12 parte connectitur : *Certissime circumcidetur vernaculus tuus et emptitius tuus;* « *eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum* ». Nullus inter Hebraeos incircumcisus toleretur, ne servus quidem. v. 14 « *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* ». « Verbum enim Domini contempsit et praeceptum illius fecit irritum » (Num. 15,31). Perspexit iam *Hugo*, expressionibus *delebitur etc.* duplicem posse esse sensum : « vel interficietur, vel expelletur a populo »; nam, quod sentiebat *Aug.* exprimi animae perditionem, eo excluditur, eiusmodi in V. T. comminationes legales non esse nisi de rebus temporalibus (*Bonfr.*). Igitur praecipi interimendum, cum *Cai.* censuere multi appellantque Ex. 12,15. 19; Lev. 7,20. 21. 25. 27; 23,29; Num. 9,13; 15,30 etc. Contra quos dici potest, hos textus a Iudaeis reapse non esse intellectos de morte infligenda, exceptis iis qui additum haberent מות יומת (*Dillm.*). Aut quis demonstrabit, Iudaeos supremo supplicio adiudicandos censuisse eos, qui diebus azymorum fermentatum comedissent, aut polluti carnes sacrificales gustassent, aut diem propitiationis aut Phase non observassent etc.? Praeplacet igitur sententia *Vat.* : « homo ille non erit particeps promissionum ac

beneficiorum meorum », primum omnium religiosorum, quod de incircumcisis patet et in reliquis excommunicationem veluti quamdam inducebat; dein item temporalium, quae in V. T. annexae erant observationi legis. *Rup.* : « Non connumerabitur inter populos, quorum te patrem constitui ». Ceterum de hac re plura dicemus in Commentario in Lev.

v. 15 « *Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram* ». Illud sonat *dominam meam*, hoc *dominam* absolute. v. 16 « *Et benedicam ei et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes et reges populorum orientur ex eo* ». *Hebr. Sam. Targumim* suffixa habent feminina, ut Sara dicatur nactura esse benedictionem, futura in nationes et reges genitura. Alias semper haec eadem de Abraham praedicantur. v. 17 « *Cecidit Abraham in faciem suam et risit, dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* » Hac prima vice promissio etiam ad Saram extenditur.

De hoc *risu* Abrahae plura disputavere interpretes. *Hier.* (Dial. adv. Pelag. III. 12; *M.* 23. 582) virum utique arguit « incredulitatis ». Cuius item opinionis fuerat *Chrys.* (Hom. 6 de Poen.; *M.* 49. 313), sed eam in Homiliis non iam defendit. Contra quam praeprimis citatur textus Rom. 4, 19 : « Et non infirmatus est fide nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae ». Adverte tamen, etiam Saram similibus verbis ab Apostolo laudari Hebr. 11, 11 : « Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat ». Tamen Sara 18, 10 sqq. incredulitate deliquit et a Deo reprehensionem tulit. Fidei laudem et Abraham et Sara vel eo meruerunt, quod, cum tam provecta essent aetate, Deo auctore actum coniugalem peregerint, licet fortasse antea aliquam incredulitatem admiserint. Sed alia affertur ratio, Saram ob risum esse reprehensam, non vero Abraham : quare Abrahae risus videtur fuisse a culpa immunis.

Alia est sententia *Ambr.*, eum risum exstitisse « non incredulitatis, sed exsultationis indicium »; fuisse « non dubitantis, sed suam felicitatem ineffabiliter admirantis » (*Rup.*). « Fuit ergo risus hic et quae sequuntur verba prolata ex ingenti quodam animi gaudio, et tanti beneficii ac novitatis summa admiratione, et hominis vix se capientis prae stupore » (*Bonfr.*). Ceterum hanc explicationem iam praeoccupavere *Chald.* pro *risit* vertens *gavisus est*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* vertentes *admiratus est* : senserant quippe etiam ipsi fore, ut ille risus a quibusdam patriarchae vitio verteretur. Contra hanc porro explicationem illud urgeri potest, verba Abrahae v. 17 non meram admirationem vel tripudium sonare, sed aliquod utique *dubium*. Quod cum sit clarum per se, duplici ratione

confirmatur. Primum ad illa Abrahae cogitata Deus v. 19 respondens veritati prioris affirmationis secundum *Hebr.* magis etiam insistit : « *Vere* Sara pariet » (*Per.*); quae asseveratio suggerit, aliquod Abrahae menti inhaesisse dubium. Secundo, 18, 12. 14 Sara iisdem fere verbis utique dubium exprimit et ob expressum dubium reprehenditur.

Tertia sententia est *Cai.*, adfuisse dubium in mente Abrahae de divini eloquii non *veritate* quidem, sed *sensu*. Persuasum ipse videtur habuisse, semen promissum ipsum esse Ismaelem; de prole e Sara suscipienda ne cogitasse quidem videtur. Auditis iam verbis de prole e Sara gignenda, suam et uxoris provectam aetatem recogitabat, non quo divino fidem negaret asserto, sed quo sibi persuaderet illud non sensu obvio, sed alio quodam adhuc recondito intelligi oportere. Dices, huic quoque dubio aliquid videri inesse incredulitatis. Fuerit in his Abrahae fides minus, quam in aliis quibusdam, perfecta et alacris; at non id Apostoli verbis cogimur defendere, toto nonagesimo nono vitae anno continuo Abraham perfectissimam fidem exercuisse. Sufficit defendere, eum tum insignem exercuisse fidem, quando eo vitae anno cum Sara coniugalem actum peregit (Rom. 4, 19).

v. 18 « *Dixitque ad Deum : Utinam Ismael vivat* » — *Chald. permaneat* — « *coram te* ». Cum verba v. 17 Abraham dixerit « in corde suo », his v. 18 aliquomodo illud exprimere vult, quod v. 17 in mente habebat, vel certe aliquod eius corollarium enuntiat. Verba varie explicant pro variis de v. 17 sententiis.

Cai. : « Hinc clare patet, quod non sperabat se habiturum filium ex Sara, et propterea convertit se ad supplicandum pro Ismaele, ut acceptus esset, ut benediceretur et multiplicaretur a Deo ». — *Bonfr.* : « Sunt verba humiliantis et indignum se reputantis tanto beneficio, quasi dicat : Magno beneficio me auctum putabam, quod Ismaelem ex ancilla suscepissem, et nunc, quod maximum ausus fuissem sperare et abs te petere, erat ut ei vitam concederes, quod et peto; at nunc mihi insuper promittis filium ex Sara, quod nunquam speravi nec ausus fui petere ».

v. 19 « *Et ait Deus ad Abraham* » : *Vere* « *Sara uxor tua pariet tibi filium vocabisque nomen eius Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini eius post eum* ». Haud multum ab hoc textu dissonant *LXX Chald.* Deus id, quod Abrahae tantam fecerat admirationem, distincte repetit, quo perspiciat verba sensu obvio intelligi oportere. Iam eius etiam de Ismaele sollicitudini satisfacit v. 20 : « *Super Ismael quoque exaudivi te. Ecce, benedicam ei et augebo et multiplicabo eum valde; duodecim duces generabit* », cf. 25,13 sqq., « *et faciam illum in gentem magnam* ». « Quamvis effecero Ismaelem tam magnum, foedus tamen meum non cum ipso, sed cum

Isaac firmabitur » (*Cai.*). v. 21 « *Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero* ». v. 22 « *Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham* ». Ergo veniens descenderat, inquit *Del.* : hinc aliquam saltem earum apparitionum ideam nobis efformare possumus; cf. 35,13. *Vulg.* subjectum prioris partis versus videtur intellexisse Abraham; sed planius intellige Deum : *cumque cessasset loqui cum eo* (*Hebr.*).

v. 23 « *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suae, universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suae, et circumcidit carnem praeputii eorum statim in ipsa die, sicut praeceperat ei Deus* ». v. 24 « *Abraham nonaginta et novem erat annorum, quando circumcidit carnem praeputii sui* », v. 25 « *et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suae* ». v. 26 « *Eadem die circumcisus est Abraham et Ismael filius eius* », v. 27 « *et omnes viri domus illius, tam vernaculi quam emptitii et alienigenae, pariter circumcisi sunt* ». *Hebr. emptitii de alienigenis.* Haec tam accurate narrantur, quod circumcisio pro posteris Abrahae fuerit res tanti momenti : docentur igitur mares *omnes* esse *statim* circumcisi, memoriae traduntur anni aetatis, quibus Abraham et Ismael eum ritum subiere.

4. *Sodoma destructa et Lot servatus Gen.* 18,1-19,38.

Arg. — Continuantur acta Lot, quae fuerant usque ad 13,11 et cap. 14 producta. Neque tamen haec a fide Abraham sunt aliena sed ei, velut luci umbra, adaptantur. Ut sc. fide praefulget Abraham, ita Lot totus mundanus est et fide exigua. Nulla Dei vocatione inductus, sed soli ubertate illectus apud Sodomitas sedem fixerat. Eorum cap. 14 stragi commiscebatur, nunc communi cum illis excidio vix non absorbetur. Igitur Dominus duobus comitantibus angelis iisdem, qui postea Lot e ruina essent servaturi, specie viatoris Abrahae apparet et, iterata filii e Sara nascituri promissione et tempore partus accuratius praenuntiato, consilium delendae Sodomae pandit, concessa Abrahae supplicanti, si decem iusti reperiantur, urbis salute. Mox angeli illi duo Sodomam ingressi civiumque pravitatem ipsi experti, Lotum educunt, concessa eius precibus urbis Segor incolumitate. Qui ne tum quidem Abrahae recordatus et in loco exsecrabili moratus, e filiabus prolem nanciscitur incestuosam, Moabitas et Ammonitas.

Pericopen sat lubentes iahvistae concedunt, eidem sc. narratori, cui actorum Abrahae summam attribuunt. De 19,29 vide infra.

Cap. XVIII. Haec apparitio brevi post praecedentem accidit (*Rup.*),

ut patet conferenti 17,21 cum 18,10; certe Sara nondum conceperat, quod eius risu probatur. v. 1 « *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre* », apud quercetum Mambre, cf. 13,18; 14,13, « *sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei* », tempore meridiano, cf. 1 Reg. 11,11; 2 Reg. 4,5 : « non iam in usu noctis, non in aliqua spirituali solummodo visione, sed lumine huius solis, in aspectu oculorum » (*Rup.*). Cf. simili ratione 19,1 Lot sedentem in foribus Sodomae vespere eiusdem diei. v. 2 « *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum* ». עָלָיו : ipso sedente, stantes illi erant *super eum* (cf. 1 Reg. 22,6 et *Dillm.*), ut ipsi ad eos esset suspiciendum. Stabant modeste exspectantes, ut invitarentur (*Del.*). Non describuntur « ex improviso apparuisse » (*Hugo*), sed ex improviso esse conspecti ab eo, qui oculos ante demissos habuisset : *Et elevavit oculos suos et aspexit, et ecce tres viri* (*Hebr.*). Abraham eos primum utique homines esse putavit atque ut tales hospitio excepit (*Chrys.*), ob hospitalitatem laudatus ab *Ambr.*, *Chrys.* aliisque. Trium unum postea Abraham Dominum esse agnovit : cur autem adiuncti alii duo? Quia hi duo angeli (*Aug.*; cf. 19,1) Sodomam erant mittendi, neque enim Dominus reprobam illam civitatem invisurus erat atque suo adventu honoraturus. « *Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi et adoravit in terram* », qui modus erat salutandi consuetus. v. 3 « *Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum* ». Licet iam *Targumim* iudicaverint, Abraham h. l. Deum agnovisse, et licet item *Masor.* אֲדֹנָי punctaverint, non vero אֲדֹנִי, tamen consentiunt interpretes, vocem ad unum hospitem humanum referri : *domine mi*. Non referri ad Deum perspexerat *Sam.*, sine sufficienti tamen ratione alloquium ad tres dirigens : *domini mei... vestris... transeatis*. Ad unum dirigitur alloquium ideo sane, quod unus appareret ceteris illustrior (*Chrys.*, *Cai.*); non tamen semper ad unum, quia quae dicebantur reapse pro tribus dicebantur. Tres v. 5 invitationem tribus oblatam acceptant (contra LXX), tres v. 9 de uxore urbane quaerunt (item contra LXX), postea inde a v. 10 unus loquitur, qui illico v. 13 sqq. Dominus appellatur et sine dubio tum etiam Dominus agnosci coeptus est. In his omnibus demum observa, quam fuerit Abraham homo cultus, urbanus, minime vero rudis pastor. v. 4 « *Sed afferam* » — *Hebr. afferatur*, sc. a servis — « *pauxillum aquae, et lavate pedes vestros et requiescite sub arbore* » innixi cubitibus, cf. Am. 6,4. Utrum Gen. 27,19; Iud. 19,6 demonstret (*Kn.*), fuisse etiam moris epulis assidere, quin cubitibus inniterentur, minime liquet. v. 5 « *Ponamque buccellam panis* », — quaecunque offert Abraham, minima esse urbane praetendit; loquitur de *buccella panis*,

opimum producturus prandium — « *et confortate cor vestrum. Postea transibitis. Idcirco enim declinastis ad servum vestrum* ». *Calm.* : « Ideo hac hora prandendi venistis ad me, ut me tanto honore excipiendi vos hospitio et convivio dignaremini ». Verum hoc fere dissonat ab exquisita ceteroqui Abrahae urbanitate. Quare praeplacet *Bonfr.* : Ideo enim, ut reficeremini a me, inscii quidem ipsi sed providente Deo, ad mea tentoria declinastis. « *Qui dixerunt : Fac, ut locutus es* ». v. 6 « *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram dixitque ei : Accelera, tria sata similae commisce, et fac subcinericios panes* ».

סאה, hic apud LXX μέτρον, alias σάτον, tertia pars unius epha, creditur aequare 13·13 lit. (*Schrader* ap. Riehm); certe tria sata abundantem pro tribus viris efficiunt refectionem : verum Hebraeos hospitibus amplam cibi copiam proposuisse, collige inter alia ex Iud. 6, 19; 1 Reg. 9, 24. — קֶמַח est *farina tenuis* cuiusvis generis (cf. Num. 5, 15), eademque est significatio סֹלֶת (cf. Ex. 29, 2) : utramque vocem simul LXX reddunt σεμιδάλεος, quod tenuem tritici farinam designat. — Hanc *depsere* iubetur Sara atque efficere עֻגוֹת, qui sunt panes tenues et rotundi (cf. Ex. 12, 39) subcinericii.

v. 7 « *Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum* », i. e. pinguem, « *deditque puero, qui festinavit et coxit illum* ». v. 8 « *Tulit quoque butyrum* », seu potius lac coagulatum, « *et lac et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore* ». « Adstitit famulantis in morem » (*Ephr.*).

Hi nomadum in oriente etiamnum mores. Assurgit vir, ubi hospitem appropinquantem cernit; quodsi is sit dignior, occurrit venienti, coram illo prosternitur eumque humanissime invitat. Lavantur pedes. Pinsitur a mulieribus panis, quod citissime fit : farina sc. aqua conspergitur, pinsitur, lapidibus calidis imponitur, cineribus contegitur. Pro clariore hospite agnus mactatur aut hoedus, pro clarissimo vitulus. Carnes coctae butyro liquefacto pro iure condiuntur. Post carnes offertur lac. Qui vero hospites excipit, nunquam cum illis epulo accumbit, sed reverenter adstat. Cf. *Vigouroux*, La Bible I. 440 sqq.

Post epulum ad colloquium proceditur. v. 9 « *Cumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit : Ecce in tabernaculo est* ». v. 10 « *Cui dixit* » : — abhinc iam unus loquitur, quem ex dictis mox Dominum agnoscit Abraham — « *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua* ». *Reversus* concipi potest Dominus, quando 21,1 Saram « visitavit », non utique per visionem.

Hebr. Sam. Chald. כעת חיה, *tempore vitae;* quod Targumim explicant *vobis superstitibus, Syr. Sara superstite; Hier.* me superstite : « quasi dixerit : si vixero, si

fuerit vita comitata; haec autem ἀνθρωποπάθως, quomodo et caetera ». Sed is sensus omnino esse non potest. Ceterum *Vulg. Syr.* videntur aliquid legisse, quod Hebr. ignorat : כעת הזאת חיה. Et LXX : κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, כעת הזאת לבועדים. Fortasse expressio similis fuit eius, ad quam provocavere *Sa, Calm.* 4 Reg. 4, 16 : לבועד הזה כעת היה, « in tempore isto et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium ». Verum, qualiscunque tandem Gen. 18, 10 lectio fuerit, cum *duos* habeamus textus, qui expressionem כעת חיה adhibent quoad infantem in utero habendum, probabilior apparet expositio *Ariae Montani* (ap. Bonfr.) : « quo tempore foetus erit vitalis »; seu potius *tempus vitae* intelligendum est illud, quod a natura exigitur ad foetum conceptum ad maturitatem perducendum. *Del., Dillm.* vertunt : tempore hoc reviviscente, i. e. post annum. Sed חיה non est reviviscere, neque Hebraeis ostendi potest usitatus fuisse ille tropus de tempore reviviscente.

« *Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi* ». Vulg. *risum* anticipat ex v. 12. — *Hebr. Et Sara audiens ad ostium tabernaculi, et ipsum erat a tergo ipsius*, sc. loquentis. Sed *Sam. LXX : et ipsa etc.* v. 11 « *Erant autem ambo senes provectaeque aetatis, et desierant Sarae fieri muliebria* ». v. 12 « *Quae risit occulte dicens : Postquam consenui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* » v. 13 « *Dixit autem Dominus ad Abraham : Quare risit Sara dicens : Num vere paritura sum anus?* » Unica ratio esse posset, quod id Deo esset effectu impossibile. v. 14 « *Numquid Deo quidquam est difficile? Iuxta condictum* » tempus « *revertar ad te hoc eodem tempore vita comite, et habebit Sara filium* ». Cf. v. 10. Concedunt Saram risisse culpabiliter, non tam quod viro illi loquenti non crederet, nam eum esse Dominum fortasse nondum satis perspectum habebat : sed e cap. 17 narratis debebat scire, se filium esse habituram. Cf. *Est.* v. 15 « *Negavit Sara dicens : Non risi, timore perterrita. Dominus autem : Non est, inquit, ita, sed risisti* ».

Ambr. : « Sicut visitatio Domini timentibus exhibetur, ita etiam impiis poena peccati reponitur ». v. 16 « *Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; et Abraham simul gradiebatur deducens eos* ». v. 17 « *Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham* » — *LXX Syr.* addunt *servum meum* : « hoc postulat lex amicitiae, ut secreta communicentur » (*Menoch.*) — « *quae gesturus sum?* » « Mira exordientis dignatio, qua Deus hominis et excitare attentionem et captare quodammodo curat benevolentiam! Quippe qui ab eiusdem auditoris sui quibusdam laudibus suum sic inchoat sermonem » (*Rup.*). « Num convenit, fas est, ut celem? » (*Bonfr.*). His attentio Abrahae sollicitatur, quo postea ad intercedendum sit pronior. Iam sequitur prima non celandi ratio v. 18 : « *cum* » *certissime* (*Hebr.*) « *futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?* » « Majora haec promisi Abrahamo :

cur, quod minus est, secretum hoc tegam? » (*Menoch.*). Iam alia introducitur ratio communicandi secreti, illis verbis *Scio enim*, seu potius *Scio enim eum* (*Hebr.*), perspectum illum habeo (cf. Am. 3,2; Os. 13,5), sc. eum etiam intrinsece esse dignum, cui tale secretum communicem : ea enim est ipse virtute, ut non solum perseveraturus sit ipse in meo obsequio, sed posteros item suos in eodem sit confirmaturus. Idque perspectum habeo non solum ex infallibili divinae praescientiae, quo futura praegnosco, iudicio, sed simul e prudenti illa neque fallenda aestimatione, quam ex intime perspecta eius virtute de eiusdem virtutis maturitate et stabilitate habeo. v. 19 « *Scio enim, quod praeceptturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini* », i. e. verum Dei cultum (*Menoch.*), « *et faciant iudicium et iustitiam* », mandata Dei custodiant. Sequens incisum caret copula ideoque prioribus aptius subordinatur; in memoriam revocat promissiones Abrahae factas (numerosae posteritatis, regum ex ipso nascendorum etc.) tamquam fidelis obsequii mercedem : « *ut adducat Dominus propter Abraham* [*omnia*] *quae locutus est ad eum* ».

עַל vertit *Vulg. propter;* si vertas *super* (*LXX*), erit *Abraham* intelligendum de patriarcha eiusque posteritate. — *Kn.*, premens significationem לִבְיַן אֲשֶׁר, *ea intentione quod*, יְדַעְתִּיו explicat : cum cognovi (*germ.* : ich habe seine Bekanntschaft gemacht; *gall.* : j'ai fait sa connaissance), cum intime mihi adiunxi. Malim equidem illam coniunctionem accipere sensu nonnihil latiore *eo respectu quod*, quam verbum יָדַע premere tam violenter.

v. 20 « *Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis* ». Clamor non intelligitur ab ipsis veluti peccatis profectus (*Bonfr., Menoch.*), secus enim non posset illico dici : « Videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint ». Neque intelligitur profectus ab iis hominibus (*Chrys.*), qui peccatis illis nefandis opprimebantur et iniuria afficiebantur (cf. Gen. 4,10); quodsi enim supponatur ibi fuisse numerus virorum violenter oppressorum, hi sane iusti habendi erant aut certe minus rei. Ergo intelligatur oportet clamor *de* Sodoma (*Dillm.*); neque subtilius inquiri oportet, a quibus hic clamor seu haec accusatio profecta esse supponatur. Neque tamen sola accusatio ad Deum pervenit, sed illa item peccata exsistere, imo eorum pondus auctum esse vehementer, apud Deum constat : illud unum superest definiendum, an peccatores mensuram a Deo praestitutam impleverint. Haec omnia, uti patet, dicuntur ἀνθρωποπαθῶς : si Deus specie hominis se videndum praebet, non est cur non etiam humano more inspiciat, consideret, imo dubitet. v. 21 « *Descendam et videbo, utrum clamo-*

rem, qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam ». *Hebr. : clamorem, qui venit ad me, an fecerint consummationem*, i. e. *omnino*. Facere consummationem alias significat destruere rem (Ier. 4,27 etc.), hic complere mensuram : Deus sc. praedefinivit certam peccatorum mensuram, ante quam completam poenam exitialem non infligit, cf. 15,16. Quod Deus humano more fingat, se in causam penitius velle inquirere, id etiam ideo facit, ut Abrahamum moneat intercessioni adhuc esse locum (*Chrys.*). Exemplum autem illustre dat iudicibus, quam accurate debeant in causas reorum inquirere (*Ephr.*), et hominibus generatim, quam studiose debeant a iudiciis temerariis cavere (*Ambr.*). Secundum punctationem *Masor.* ultimum incisum ita construe : *aut, si non* (*compleverint*), *discam*. Ita illa duo verba *videbo* et *sciam* (aut *discam*) coordinantur.

v. 22 « *Converteruntque se inde et abierunt Sodomam* ». Ex 19,1, ubi « duo angeli » etiam articulum habent, licet inferre duos hic reapse ab Abraham secessisse (*Calm.*). « *Abraham vero adhuc stabat coram Domino* ». Pulchre *Vat.* : « Primum dicit Moses viros ulterius progressos esse, significans sermone finito valedixisse Abrahae, ut domum rediret. Deinde subiicit, Abraham stetisse coram Domino, ut solent qui dimissi non statim abeunt; eo quod aliquid adhuc dicendum vel agendum restet ». v. 23 « *Et appropinquans ait : Numquid perdes iustum cum impio?* » v. 24 « *Si fuerint quinquaginta iusti in civitate* » Sodoma, — pro hac sola explicite rogat (cf. v. 26 et *Per.*), quia de Lot est maxime sollicitus; sed si caput Pentapoleos salvum fuisset, salvae mansissent et reliquae urbes — « *peribunt simul?* » *Hebr. : numquid perdes?* sc. aut civitatem, aut illos iustos. « *Et non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* » v. 25 « *Absit a te, ut rem hanc facias et occidas iustum cum impio fiatque iustus sicut impius* ». Nititur praecludere exceptionem, paucos iustos plurimis impiis admixtos iuste communi cum illis ruina obrui (*Cai.*). « *Non est hoc tuum : qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc* ». *Hebr.* nervosius : *Iudex totius terrae non faciet iudicium?* « Nonne par est et aequum, ut tu, qui iudex es universae terrae, recte iudices? Ne sc., Domine Deus, male audias apud impios et infideles » (*Vat.*). « Unde discimus, quantus murus sit patriae vir iustus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis nec temere derogare. Illorum etenim nos fides servat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros decem iustos, potuit non perire » (*Ambr.*). v. 26 « *Dixitque Dominus ad eum : Si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos* ».

v. 27 « *Respondensque Abraham ait : Quia semel coepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* ». « Scio quidem me pulverem esse et cinerem; sed sicut hoc scio et manifeste scio, ita neque illud ignoro, multam esse tuae clementiae magnitudinem » (*Chrys.*). Nota consonantiam vocum עפר ואפר, et cf. Iob. 30,19. v. 28 « *Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque universam urbem?* » « tamquam absonum sit, propter defectum quinque delere tantam multitudinem » (*Cai.*). « *Et ait : Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque* ». v. 29 « *Rursumque locutus est ad eum : Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, [quid facies]?* » « Hactenus usus fuerat rationibus tamquam ad persuadendum : modo non audet rationem aliquam adiungere » (*Cai.*). Praeterea manet prior ratio, propter defectum quinque non videri delendam tantam multitudinem. « *Ait : Non percutiam propter quadraginta* ». Porro « quia paratum invenit ad misericordiam, non iam paulatim diminuit neque quinque iustos detrahit, sed decem » (*Chrys.*). v. 30 « *Ne, quaeso, inquit, indigneris Domine, si loquar : Quid, si ibi inventi fuerint triginta? Respondit : Non faciam, si invenero ibi triginta* ». v. 31 « *Quia semel, ait, coepi, loquar ad Dominum meum : Quid, si ibi inventi fuerint viginti? Ait : Non interficiam propter viginti* ». v. 32 « *Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel : Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit : Non delebo propter decem* ». v. 33 « *Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham* », praecidens opportunitatem continuandarum precum. Ex verbis 19, 29 « recordatus Abrahae » minime sequitur, quod vult *Est.*, Abraham multis adhuc precibus exorasse pro Lot. Cuius salutem Deus non rogatus concessit. « *Et ille reversus est in locum suum* ».

Cap. XIX. Pulchre *Ephr.* verbis 18,21 « Descendam et videbo » insistens suggerit, duos angelos Sodomam venisse ad tentandos cives, qui si in hospitum iura non tam foede deliquissent, fortasse poenam nondum tulissent, quod aliquid deesse plenae scelerum mensurae (cf. 15,16) videretur. Quare supponit angelos illos pulcherrima forma se spectandos praebuisse. Tentabatur porro simul Lot, eiusque in hospites obsequium factum est salutis occasio. Cf. Hebr. 13,2 : « Et hospitalitatis nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis ». v. 1 « *Veneruntque duo angeli Sodomam vespere* » eiusdem diei (cf. 18,1), « *et sedente Lot in foribus civitatis* », ubi fora et mercatus haberi consueverant (*Mar.*) et etiam iudicia habebantur (cf. Ruth 4,1), et homines vespere conveniebant ad amice colloquendum. Non tamen adnumerabatur Lot senioribus civitatis, cf. v. 9. « *Qui cum vidisset eos, surrexit et ivit obviam eis, adoravitque*

pronus in terram », v. 2 « *et dixit : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri et manete ibi; lavate pedes vestros et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus* ». Primum recusant (cf. Luc. 24,28), quod postea praestare intendunt, ut ea mora Sodomitarum se aspectibus offerrent (*Calm.*); simul urbane praetendunt, se nolle molestos esse Lot, quo magis illum ut instantius invitet sollicitent (*Mar.*), et ita eius meritum augeant. Quod et factum est. v. 3 « *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum, ingressisque domum illius fecit convivium et coxit azyma; et comederunt* ».

v. 4 « *Prius autem quam irent cubitum* », — tantus sceleratos illos aestus obtinuit, ut paulo diutius se cohibere non valuerint, sed indecenti festinatione indecentissimum consilium exsequi aggressi sunt — « *viri civitatis* », *viri Sodom* — id habent reliqui : insistit s. narrator nequaquam fuisse Abrahamidarum cognatos — « *vallaverunt* », i. e. circumdederunt, « *domum a puero usque ad senem, omnis populus simul* », non ad unum omnes, cum merito moneat *Lyr.* expressionem sumi hyperbolice neque, si aliqui defuissent, illi ideo iam habendi sint « iusti », sed « ex omni genere et conditione hominum, ab honoratissimo ad infimum usque; ex quo luculenter sane demonstrat Moses, quam late paterent in corruptissima urbe scelera » (*Calm.*). v. 5 « *Vocaveruntque Lot et dixerunt ei : Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoscamus eos* ». Paederastiae etiam secus leguntur indulsisse incolae terrae sanctae Hebraeis antiquiores : Lev. 18,22 sqq.; 20,13; cf. etiam Iud. 19,22.

v. 6 « *Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait* » : v. 7 « *Nolite, quaeso, fratres mei, nolite malum hoc facere* ». v. 8 « *Habeo duas filias, quae necdum cognoverunt virum* », viris tamen v. 14 iam desponsatas. « *Educam eas ad vos et abutimini eis, sicut vobis placuerit* », cf. Iud. 19,24, « *dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei* ». « Etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversum naturam delinquere. Praeferebat domus suae verecundiae hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inviolabilem » (*Ambr.*). כי על כן (cf. 18,5) : quia *ideo* ingressi sunt etc., sc. ut tuti essent ab iniuria. Quod Lot hic offerebat, utique erat obiective malum : quorsum a peccato excusatus sit ob metum, ignorantiam etc., interpretis non est disquirere. Si quid deliquit, acerbas utique v. 30 sqq. poenas tulit. v. 9 « *At illi dixerunt : Recede illuc* », hinc, nobis aditum praebe. « *Et rursus : Ingressus es, inquiunt, ut advena : numquid ut iudices?* » vel sine interrogatione : *unus ingressus est ut ad-*

vena et iudicando iudicat! i. e. continuo iudicem agit. Ergo alias etiam reprehensiones tulerant a Lot (*Dillm.*). « *Te ergo ipsum magis, quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime; iamque prope erat, ut effringerent fores* ». v. 10 « *Et ecce miserunt manum viri et introduxerunt ad se Lot clauseruntque ostium* », v. 11 « *et eos, qui foris erant, percusserunt caecitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent* ».

סנורים, solum h. l. et 4 Reg. 6, 18; vox ignotae derivationis. *LXX* ἀορασία, quam sic definit *Aug.* (De Civ. Dei *XXII.* 19; *M.* 41. 781) : « Cum autem aliquid non videtur, quamvis adsit, a quibus alia, quae pariter adsunt, videntur, sicut illam claritatem dicimus adfuisse non visam, a quibus alia videbantur, ἀορασία graece dicitur. Quod nostri interpretes latine dicere non valentes, in libro Geneseos caecitatem interpretati sunt ». — Primum igitur constat Sodomitas non esse percussos vera et absoluta caecitate : « quae si caecitas fuisset, qua fit ut nihil possit videri, non ostium, quo ingrederentur, sed duces itineris, a quibus inde abducerentur, inquirerent » (*Aug.*). *Chrys.* supponit vires corporis ita esse subito paralysi quadam praepeditas, ut et oculi portam non viderent et membra motu carerent : sed id textus non habet. Igitur interpretes plures veri nominis aorasiam tuiti sunt, quae cum 4 Reg. 6, 18; Luc. 24, 16 reapse locum habuerit, etiam Sodomitis accidere potuit. Textus factum non inventi ostii affirmat, facti rationem non pandit; neque dicit, solum hoc ostium videri non potuisse, bene vero reliqua omnia. Memini me iterato expertum esse nebulam tam densam, ut domorum ostia et reliqua omnia essent invisa. — Aliqui ob Sap. 19, 16 : « Percussi sunt autem caecitate, sicut illi in foribus iusti, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quaerebat », putabant Sodomitas non solum ostium Lot, sed sua quosque ostia invenire non potuisse. Verum interpretes alteram huius effati partem non ad Sodomitas referunt, sed ad Aegyptios. — Pulchre *Chrys.* : « quoniam mentis eorum oculus excaecatus erat », inquit, « propter hoc et visu privati sunt, ut discant nihil sibi prodesse corporales oculos, si oculi mentis fuerint excaecati ».

v. 12 « *Dixerunt autem ad Lot : Habes hic quempiam tuorum? generum aut filios aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac* ». « An angeli ignorabant Lot non habere filios? Respondeo, angelos locutos esse ut peregrinos ac ignaros, etsi Dei nuntios; non enim necesse est, Dei internuntios omnia scire » (*Est.*). Cum aliqua sit lectionum varietas, *Syr. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* pro חתן scribentibus חתניך, *Sam. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* cum pluribus codicibus hebraeis in ובניך omittentibus copulam, suggerit *Dillm.* lectionem esse corruptam, et loco חתן ובניך fuisse primitus חתניך. v. 13 « *Delebimus enim locum istum, eo quod*

increverit clamor eorum » (cf. 18,20) « *coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos* ». Iam constat impletas esse iniquitates Sodomorum, neque ultra differetur poena. v. 14 « *Egressus itaque Lot locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, et dixit : Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui* ». Monentur ii, qui iustiores ceteris Sodomitis credi poterant : verum neque hi iusti reperti sunt, sed increduli (*Cai.*). Luc. 17,28 : « Similiter, sicut factum est in diebus Lot : edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant ». Generos autem adiit Lot eadem nocte (cf. v. 15), qua Sodomitae in eius domum irrumpere conati fuerant.

לקחי *accipientes*. Quod possumus cum *Vulg.* interpretari *accepturi*. Et monet *Calm.*, in oriente quandoque longum tempus intercedere inter desponsationem et matrimonii consummationem, sponsa interim degente in domo parentum (cf. 29, 18). *LXX* εἰληφότας, ubi non est spernenda opinio *Aben Ezra*, has filias alias esse a v. 8 oblatis, quae cum patre evaserunt. Reapse, cum hae duae v. 15 dicantur הנמצאת, i. e., inventae, non absurde supponuntur exstitisse aliae aliquae, quae non sint inventae, quod invitationem per maritos ipsis factam neglexerint.

v. 15 « *Cumque esset mane* », — *Hebr. ubi primum ascendit aurora* — « *cogebant eum angeli dicentes : Surge, tolle uxorem tuam et duas filias, quas habes, ne et tu pariter pereas in scelere civitatis* ». Ipse vero non erat alter Abraham (*Rup.*), sed retardabatur amore domus et opum, quas Sodomis habebat. v. 16 « *Dissimulante illo* » — *Hebr. tardante*, cf. 2 Reg. 15,28; LXX ἐταράχθησαν — « *apprehenderunt manum eius et manum uxoris ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi* ». v. 17 « *Eduxeruntque eum et posuerunt extra civitatem* », neque a quoquam agniti aut certe prohibiti sunt (*Ephr.*), sive quod oculi hominum tenerentur, sive quod paucissimi tam mature in plateis versarentur, sive quod essent iam aliqua portenta ruinae praenuntia, puta terrae motus aut fragores; « *ibique locuti sunt ad eum dicentes : Salva animam tuam* »! *Hebr.* : *salvare propter animam tuam*, i. e. vitam. « *Noli respicere post tergum nec stes in omni circa regione* », in *circulo* בכר (cf. 13,10). Utriusque prohibitionis ratio haec est, « ad demonstrandum, qua celeritate esset egrediendum, nusquam morandum, si salvari vellet » (*Bonfr.*). « *Sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas* ». Mons Djebel Usdum, qui a destructa Sodoma nomen servat, altitudine 120 m. supra Mare Mortuum eminet; est ascensu difficilis. Alii circa montes humiliores sunt. v. 18 « *Dixitque Lot ad eos : Quaeso, domine mi* », v 19. « *quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti*

mecum, ut salvares animam meam : nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum et moriar ».

Cum ad duos loquatur Lot, sed tamen ad unum dirigat alloquium, hinc permutantur numeri : *eos, domine* etc. Unus sc. angelus videtur manu prehendisse (v. 16) Lot et uxorem, quem Lot immediate alloquitur; alter utramque filiam (*Menoch.*). *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* statuunt unum continuo angelum Sodomam reversum esse ad urbem perdendam; potius dicendi sunt post v. 22 ambo illuc retulisse gressum. Cur vero veretur Lot, se non posse ad montem pertingere? quod se ad id vires deficiant, inquit *Chrys.* : quod se deficiat tempus ad montem perveniendi (*Bonfr.*) seu, quod idem est, quod mons longius distet (*Kn.*). Proxima ratio utique fuit timor : « turbatione timoris Deo non credit » (*Sa*). Verum quae ultima timoris ratio? « Amoenitate Sodomorum tenebatur et irriguis paene paradisiacis arvis » (*Rup.*).

v. 20 « *Est civitas haec iuxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea : numquid non modica est? et vivet anima mea* ». Vide exiguam viri fidem, qui nonnisi exigua a divina liberalitate petere audeat, dum Abraham non dubitabat pro magna urbe intercessionem facere. Ut Lot in Segor salvetur, necesse est ipsam Segor ab interitu eximi. Unicum concedendae gratiae argumentum Lot urget gratiae parvitatem : parva est,... nonne parva est? Conceditur gratia intuitu tandem fidei Abrahae : integra urbs, licet ne decem quidem iusti reperti fuerint. v. 21 « *Dixitque ad eum : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas* », faciem tuam acceptam habui, « *ut non subvertam urbem, pro qua locutus es* ». v. 22 « *Festina et salvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco* », propter hunc eventum, in quo usus esset Lot verbis v. 20, « *vocatum est nomen urbis illius Segor* ». Cf. 14,2 et p. 16. v. 23 « *Sol egressus est super terram et Lot ingressus est Segor* ». A primo diluculo ad ortum solem acta sunt, quae inde a v. 15 narrabantur : unde potest coniectura aliqua definiri, quantum distiterit Sodoma a Segor (*Dillm.*). Hic versus intime sequenti copulatur, determinat enim tempus incoeptae ruinae. v. 24 « *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de coelo* ».

Vestigium Trinitatis in illo *Dominus a Domino* videre *Iren.* (c. haeres. III. 6; *M.* 7. 860), *Cypr.* (ad Quirin. III. 33; *M.* 4. 754), *Hilar.* (de Trin. IV. 29; *M.* 10. 118 sq.), *Ambr.* (Lib. 1 de fide ad Gratian. 3; *M.* 16. 533), *Hier.* (in 1 Os.; *M.* 25. 826) et alii. Et *Conc. Sirmiense* (Labbeus III. 258, an. 16) : « Si quis », inquit, « hoc dictum : pluit Dominus ignem a Domino, non de Patre et Filio accipiat, sed ipsum a se ipso pluisse dicat, anathema est. Pluit enim Filius Dominus a Domino Patre ». Tamen vestigium, si quod est, fatendum est esse tenuissimum. Neque iuvat appellare ad illud « Dixit Dominus domino meo », ubi suffixo diversitas personarum clare exprimitur et ipsae etiam voces sunt diversae, aut cum *Drus.* exclamare : « Exemplorum talium pleni sunt hi libri ». Idem nomen bis in eadem sententia repetitum, utique ad eandem videtur referri personam. Quare neque placet *Ephr.* « angelus (Iahve

personam agens) a Iahve ». *Aben Ezra* ergo explicavit « a se », consentque *Cai.*, *Vat.* etc. efferri illam pluviam tamquam omnino portentosam et a Deo praeter naturae leges profectam : cf. Is. 29, 6. At cur auctor non simplici usus est suffixo « a se »? Probabilior est expositio, expressiones *a Domino* et *de coelo* esse synonymas (*Ew.* II. 223) : cf. ἐκ Διός, sub Iove. Simile habes Mich. 5, 7 (6) : « quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam ».

Monebat *Cai.* : « scriptura submersionis aut aquarum non meminit ». Reapse urbes destructae adscribuntur igni de coelo immisso, non aquis irrumpentibus aut terrae considenti. Etiam Abraham mane consurgens non inundationem contuebatur, sed « ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum » (v. 28). Tamen e 14, 3 colligi videtur Vallem Siddim ibi fuisse, ubi postea fuit Mare Salis aut certe eiusdem pars aliqua. — Exploratores plures, imprimis 1848 a gubernio Reipublicae Americae Septentrionalis emissi, sequentia statuere. Ab oriente Maris Mortui exstitere vulcani qui, probabilius etiam post creatum hominem, massas igneas evomuere; certe fuere vel hoc saeculo terraemotus, erumpentibus aquis calidis et bitumine. Porro falso supposuere aliqui, Iordanem aliquando effusum esse in ipsum Sinum Aelaniticum, ut totum Mare Mortuum credi possit tempore Abrahae esse exortum : Mare Mortuum diu ante creatum hominem exstitisse, neque unquam ultra illud Iordanem esse effusum, strata indubie demonstrant. Maris autem Mortui duae discernuntur partes, peninsula ab oriente protrusa distinctae. Quarum illa ad septentrionem sita aquas habet altissimas (usque ad 399 m.), altera meridionalis ubique vado traiici potest. Utrum vero haec Abrahae tempore an diu ante aquis fuerit mersa, non constat. — Hinc duae se offerunt eventus Gen. 19 explicationes. Altera sola eruptione vulcanica urbes censet esse oppressas, Mari pristinos fere fines servante. Altera, cui magis favet 14, 3, una cum eruptione vulcanica censet Vallem esse concussam atque aquis submersam, ut Vallis Siddim ibi potissimum ante floruerit, ubi nunc est pars Maris Mortui meridionalis. — Cf. *Baedeker-Socin, Del., Vigouroux.*

v. 25 « *Et subvertit civitates has et omnem circa regionem* », totum ככר, « *universos habitatores urbium et cuncta terrae virentia* ». Cf. Deut. 29,23. v. 26 « *Respiciensque uxor eius* », sc. Lot, cf. v. 23, « *post se, versa est in statuam salis* ». Non מאחריה (*Sam.*), *post se ipsam*, neque enim id commendat parallelismus cum v. 17 (*Bonfr.*), cum ibi habeatur אחריך sine praepos. בן; sed מיאחריו (*Hebr.*), *de post ipso* sc. Lot. Inobedientia mulieris (*Ephr.*) causa fuit ruinae : *stetit* primum (v. 17) progrediente urbemque Segor intrante marito, dein *de post ipso*, qui iam paulo fuerat progressus, *respexit*. Substitit fessa et oppressa timore, respexit e curiositate vel etiam cognatorum Sodomitarum affectu.

Pulchre christianos alloquitur *Ambr.* : « Fuge ergo Sodomam, relinque

ocius Gomorrham, desere elementa huius mundi, ne te imminentia involvant pericula. Non resistas fugiens nec in tota vitiorum regione remoreris. Qui non respexit, evasit; quae respexit, non potuit evadere ». — Factum quod attinet, certe hallucinatur *Bonfr.* totam mulieris substantiam pronuntians in salem esse versam, excepta anima; *Hebr.* non habet *versa est*, sed *facta est*. Neque ratio est asserendi, illud נציב (cf. quae de voce diximus ad 1 Reg. 10, 5; 13, 3), στήλη, *acervus*, *columna*, *monumentum* imitatum esse « effigiem muliebrem » (*Menoch.*). Etiamnum, tempestate undas Maris Mortui agitante, totum late litus spuma aspergitur et salis crusta obtegitur. Id multo violentius fieri oportuit, tota regione concussa et aquis ad ipsa Segoris limina proruentibus. Quid mirum, ut uxor Lot paucos pone maritum gressus cunctata aquis fuerit occupata, et retrospiciens salso humore fuerit obcaecata, exanimata, prostrata, ut e tuto limine ad supremos eius clamores respicientes iam nihil viderint nisi formam aliquam prostratam totamque sale obtectam? Aut certe aliquamdiu post, quando aquae recesserant, loca illa invisentes nihil repererunt nisi acervos et varii generis fragmenta, sale cooperta omnia, sub quibus aliquo loco non iam determinando mulieris cadaver obrutum iacere scirent. At, inquies, locum accurate novit traditio, *Ios.* se vidisse testatur. Ubi sapienter *Calm.* : « Habemus utique persuasum », inquit, « abuti populos eius regionis itinerantium credulitate, innumeras illis fabulas venditantes ». Dices, e Sap. 10, 7 effici videri, tum certe temporis unam aliquam salis massam traditione certa esse demonstratam : « Quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animae memoria stans figmentum salis », ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. Respondeo, hoc poetico effato repeti idipsum, quod Gen. 19, 26 prosaice narrabatur; στήλη hic, uti ibi, idem sonare atque נציב; illud נציב posse intelligi non unam aliquam columnam seu acervum, sed totum illum tractum Segor inter et Mare, variis acervis et rupibus distinctum.

v. 27 « *Abraham autem consurgens mane* », « cum nepotis sui urbiumque Pentapoleos gravi cura teneretur » (*Calm.*), « *ubi steterat prius cum Domino* » (18,1) « et pro Sodomitis rogaverat » (*Chrys.*), v. 28 « *intuitus est Sodomam et Gomorrham et universam terram regionis illius, viditque ascendentem favillam* », seu verius fumum, « *de terra, quasi fornacis* » calcariae « *fumum* ». Sed cave, ne cum *Bochart* eum fumum interpreteris nebulam illam, quae etiamnum e Mari Mortuo assurgens conspectum intercipit : cum enim Mare Mortuum iam ante Abraham exstiterit, probabilius illa etiam nebula assurgere consuevit. Agitur h. l. de fumo regionis exustae. Quae fuerit nepotis sors, Abrahamum aliquamdiu latuit (cf. v. 31), neque pro illo explicite Deo supplicaverat, tamen pro suavi in Deum fiducia incolumem sperabat servatum esse nepotem.

v. 29 non est voce *enim* exordiendus (ויהי), sed sequentem narrationem inchoat, brevi formula ante narrata resumens. Nota, eam incestus filiarum Lot traditionem primitus non ab Abraham fluxisse, sed a Lot, a quo uno ib. relata disci potuere; neque fortasse Abraham traditionem nepoti tam ignominiosam traditioni sacrae inseruit, quin potius silentio pressit. At serius, quando Moabitae et Ammonitae in nationes potentes excreverant Abrahae posteris infensas, haec ipsorum traditio ab auctore aliquo inspirato recepta esse credi potest.

Dillm. v. 30-38 pronuntiat esse eiusdem cum v. 1-28 auctoris, sc. iahvistae, ob stili affinitatem; v. 29 autem esse elohistae, i. e. auctoris ab auctore tam praecedentium quam sequentium diversi. Prioris rationes has affert. v. 31. 33. 34. 37 habetur בכירה et צעירה, uti 29,26 : at, num revera ad rem tam vulgarem quam filiam maiorem natu et minorem designandam debuit alia voce uti elohista, alia iahvista? Praeterea v. 32 habetur חיה זרע, uti 7, 3 : verum argumenta, quibus initium cap. 7 iahvistae tribuitur, supra diluimus. Alterius asserti fundamentum potissimum est nomen אלהים, de quo dicebamus alio loco. Dein legitur עירו הככר, uti 13, 12 : sed 13, 12 tribuendum elohistae, nulla evincit ratio; cumque iahvista et ככר scribat (cf. v. 25. 28) et certe noverit vocem עיר, reapse non perspicitur, cur non potuerit idem utramque vocem copulare et scribere עירי הככר. Verbum שחת, pro quo ad 6, 17; 9, 11. 15 provocatur, de se est aptissimum potuitque facile scriptori stragis diluvio effectae haud ignaro in mentem venire, quin diversus adstruatur auctor. Similiter dicas de וזכר (cf. 8, 1) et אשר ישב בהן (cf. 13, 12). At, exclamat *Dillm.*, potuitne idem auctor 19, 29 scribere Lot habitasse « in urbibus », et alibi habitasse in una urbe Sodoma? Potuit utique, cum prior expressio possit exponi « in una urbium »; praeterea potest etiam auctor inspiratus membrum aliquod sententiae adiecctitium minus accurate construere, praesertim si sensus aliis textibus minime dubiis determinetur.

v. 29 « *Cum* [*enim*] *subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahae liberavit Lot de subversione urbium, in quibus habitaverat* ». v. 30 « *Ascenditque Lot de Segor* », brevissimum ibi ob pavorem tempus moratus (*Per.*), « *et mansit in monte, duae quoque filiae eius cum eo : timuerat enim manere in Segor* ». Timuisse post *Rabbinos* ait *Hier.* ob continuos terraemotus, quos, licet a textu sileantur, probabile tamen est in ea catastrophe occurrisse; timuisse ait *Cai.*, ne ignis e reliqua planitie Segorem etiam attingeret; minus probabiliter censet *Vat.*, timuisse conspectis Segoritarum vitiis ne in horum poenam civitas deleretur. Crediderim Segoritas, conspecto tanto portento, a vitiis aliquamdiu temperasse. Merito autem Lotum diffidentiae arguit *Cai.*, quia v. 21 promiserat angelus Segor salvam fore. « *Et mansit in spelunca ipse et duae filiae eius cum eo* ». Abundant speluncis montes, qui prope litus sunt Maris Mortui. v. 31 « *Dixitque maior ad minorem : Pater noster senex est* », — ergo neque differen-

dum commercium, si omnino cum illo sit habendum (*Cai.*) — « *et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem universae terrae* ». Melius *Kn.* « qui *velit* ingredi etc. »; habebimur quippe reliquiae gentis Deo exosae, neque quisquam nobis iungetur. Minus apte vero idem *Kn.* censet patris senectutem ideo commemorari, quod senex uxorem aliam ducturus esse haud potuerit exspectari. Senex erat, ut ipse et filiae norant, generando adhuc omnino par et certissime duxisset uxorem ad magnum prolis perpetuandae bonum in tuto ponendum; at neque ipse facile nacturus erat e circum incolentibus uxorem, qui Deo exosus poterat reputari.

Ex data explicatione solvitur, quae antiquos torquebat difficultas, quomodo filia Lot potuerit supponere totum genus humanum esse exstinctum, quae modo Segor vidisset incolis plenam et ex suo monte fortasse alias facile urbes contueri posset (*Bonfr.*), aut certe in reliquorum hominum interitum nullatenus inquisivisset (*Est.*). Ergo neque illa licitum putabat incestum, quod is ad conservandum genus humanum videretur necessarius (*Theodoret.*, *Chrys.* etc.) : sed *sibi* mulier prolis nefarie cupida quaerebat semen. Hinc rursum perspicitur, cur pater non sit rogatus, ut incestum volens admitteret. Non omnis sc. metus excludebatur, ne is ne prolis quidem perpetuandae spe ad tantum scelus adigi posset. Erat et alius metus atrocior. Quid, si pater rogatus declararet, unam filiam proli procreandae sufficere, et unam natu minorem eandemque florentiorem praeferret? Id minime ferendum rata filia natu *maior* minori incestus societatem suggessit. Filiae igitur omnino damnandae sunt, quidquid illis excusandis *Ambr.*, *Hier.*, *Chrys.* aliique contulere. Ne ea quidem laus (*Chrys.*) viro indubie tribui potest, nunquam admissurum fuisse incestum, nisi ebrietas ante mentem obnubilasset; sed quid facturus fuisset, ignoramus.

v. 32 « *Veni, inebriemus eum vino dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen* ». v. 33 « *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa* ». Minuitur sane viri culpa, qui moerore oppressus (*Theodoret.*) ob amissas opes, ereptam uxorem, spem posteritatis praecisam, pocula continuo cum blanditiis suppeditantibus filiabus, modum excesserit. « *Et ingressa est maior dormivitque cum patre; at ille non sensit, nec quando accubuit filia nec quando surrexit* ». Scripturae fides habenda affirmanti rem minime impossibilem. Potuit etiam fieri, ut homo ebrius semisopitus putaret cum uxore nonnisi recenter sublata sibi rem esse, dein mane totum, quidquid memoriae obscure obversaretur, somnium reputaret (*Est.*). v. 34 « *Altera quoque die dixit maior ad minorem : Ecce dormivi heri cum patre meo; demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro* ». v. 35 « *Dederunt etiam et illa*

nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormivit cum eo; et ne tunc quidem sensit, quando concubuerit vel quando illa surrexerit ». v. 36 « *Conceperunt ergo duae filiae Lot de patre suo* ». v. 37 « *Peperitque maior filium et vocavit nomen eius Moab : ipse est pater Moabitarum usque in praesentem diem* », « quotquot usque hodie vivunt » (*Vat.*). « Significat nomen una cum gente perdurasse » (*Drus.*). Qua clausula, quod supra dicebamus, confirmatur, narrationem hanc v. 29-38 non ab ipso Abraham traditioni sacrae esse additam, sed a recentiore aliquo, quo tempore Moabitae et Ammonitae iam in gentes excreverant. v. 38 « *Minor quoque peperit filium et vocavit nomen eius Ammon, i. e. filius populi mei : ipse est pater Ammonitarum usque hodie* ».

Quaeritur primum de alterius filii nomine; nam ubi *Vulg.* LXX habent *Ammon, i. e. filius populi mei,* ibi reliqui simpliciter nullaque adscripta explicatione habent בן עמי. Fuitne igitur viri nomen *Ammon* an *Benammi?* Hoc alterum probabilius. Etenim, cum in *Moab* idem esset nomen gentis et protoparentis, si etiam quoad *Ammon* nomina consonabant, minime perspicitur, qua ratione nomen *Ammon* gentis nomini consonans in textu mutatum fuerit in *Benammi*; si vero quoad *Ammon* nomina dissonabant, facile perspicitur nomen *Benammi* defiguratum esse in *Ammon*, quo ita quoad Ammonitas, uti quoad Moabitas nomina consonarent. — Secundo quaeritur, sitne genuinum adiectum *i. e. filius populi mei.* LXX utique cuismodi nominum interpretamentis delectatur et *Vulg.* eadem e LXX transsumere consuevit. Praeterea *Moab* certe interpretamento caret, licet illud habeat LXX, cur ergo s. auctor alterius nominis interpretamentum adiecerit? Tamen additamenta haec quamvis non sint genuina, sunt perantiqua. Et quidem *Moab* LXX (ἐκ τοῦ πατρός μου) repetunt a מואב contracto ex מן אב, quem sensum reapse suggerunt v. 32. 34 מואבינו. Grammatice tamen planius repetitur מי a מיו (*aram.* מיוי), ergo *aqua patris* (*Drus.*) seu *semen patris :* aquam vero pro semine scribi docet Is. 48, 1; Num. 24, 7; Deut. 33, 28 in Hebr.; Prov. 5, 15-18. — Obiicit *Dillm.* id, quod in illis nominibus praecipuum sit, iis minime exprimi; filium quemque vocari posse « semen patris » vel « filius populi mei ». Id certe non est verum quoad hoc alterum nomen : « filius populi mei » a matre is tantum vocari potest, cuius pater et mater ex *eodem* populo ortum duxere; itemque « semen patris mei », nam suffixum primae personae eodem iure in hoc, atque in nomine Ammon supplebis, ille tantum est, qui aliquatenus etiam a parte patris ad eandem atque mater stirpem pertinet. Dices, sola explicatione, non ipsis nominibus suffixa illa exprimi : verum est, sed num putas matres illas voluisse incestuosam filiorum originem nominibus distincte exprimere? Nequaquam, sed illud solum, quod ex v. 32. 34 illis maxime cordi fuerat, ut sc. patri et hinc populo servaretur semen. Id autem nomina edicunt.

5. *Acta apud Abimelech* Gen. 20,1-18.

Cap. XX. Illud h. l. « mirum est quod mulier nonagenaria (17,17) tali floreret specie, ut et Abraham timuerit occidi propter illius spe-

ciem, et ipsa concupita fuerit a rege in uxorem » (*Cai.*). Unde varia varii excogitavere, *Iac. Edess.* miraculo restitutam esse Sarae iuventutem : « cum enim Dominus ei foecunditatem largitus est, etiam reddidit pulchritudinem iuventae » (*Menoch.*). Tamen textus id minime affirmat. Hinc *Per.* Sarae pulchritudinem censet fuisse naturalem. Ait enim in muliere, quae vitam esset productura ad 127 annos, idem esse annum 90 atque in iis quae solum ad 80 annos producunt, annum 40 (seu verius 55) : reperiri autem quadragenarias valde formosas. Etiam ob castitatem praeservasse Saram venustatem, quod, ubi se sterilem esse intellexerit, illico a mariti commercio abstinuerit. Praeterea nunquam lactasse liberos atque ita egregium corporis temperamentum praeservasse. Quibus repono, dari etiamnum virgines, quae nunquam liberos lactaverint, eas tamen, ubi ad 55, ne dicam 90 annos pervenerint, non esse ita tenere venustas; esse etiamnum paucas, quae ad 120 fere annos vitam producant, eas tamen non ideo aetate 55 vel 90 annorum iuvencularum instar florere. Rectius igitur *Hugo* censet rem diu ante actam h. l. suppleri. Cur autem inseritur hoc praecise loco? Quia 21,22 sqq. de eodem Abimelech narranda quaedam erant. Acta vero credi possunt haec, fere quo tempore cap. 12 narrata evenere, ergo tempore famis 12,10. Vox autem *inde* 20,1 non cogit nos immediatam adstruere narratorum successionem, uti neque aliis locis vox *postea*.

Quod narratio h. l. inseratur, quin ne verbo quidem indicetur agi de re sat diu ante reliqua cap. 19. 21 narrata peracta, probabilem efficit coniecturam narrationem non semper in contextu cap. 19-21 infuisse, sed ab aliquo collectore, fortasse ab ipso Geneseos redactore aliunde petitam s. narrationi esse insertam. Censemus igitur, hanc pericopen, primitus utique ab Abraham traditam, postmodum excidisse ex eo traditionis fonte continuo, qui fere idem est cum recentiorum iahvista, apud Hebraeorum tamen aliquos perseverasse atque demum a Geneseos redactore rursus s. narrationi esse insertam loco fortasse non plane eodem, quem primum obtinuerat, sc. ante alia quaedam de Abimelech narranda. Qua hypothesi explicatur stili tam cum reliqua narratione in plurimis affinitas, quam in aliquibus diversitas. Recentiores, uti alias, demonstrant expressiones aliquas, quae pericopen vetent aut iahvistae aut elohistae, alias quae suadeant elohistae cuidam secundo seu B tribui : quibus recensendis supersedemus. Narratio e communi fonte profecta et aliquamdiu communi traditione transmissa, postea apud quosdam servata, in plurimis quidem unius cum reliquis est indolis, in paucis diversae.

Kn. ait 20, 13 contradicere 12, 11, ideo sane quod ibi dicatur Abraham verba ad Saram locutus esse, postquam eduxerit eum Deus de domo patris sui, hic vero cum

Aegyptum esset ingressurus. Quid obvium magis, quam verba pridem pronuntiata per occasionem esse repetita? Neque, quod 12, 5 dicatur Abraham « tulisse Sarai uxorem suam », sequitur (*Dillm.*) eum palam et coram omnibus professum esse illam esse uxorem, non sororem tantum.

v. 1 « *Profectus inde Abraham in terram australem* » — verte nomen proprium : *in Negeb* — « *habitavit inter Cades et Sur* », cf. 14,7; 16,7. 14, « *et peregrinatus est in Geraris* », cf. 10,19. Textus non necessario eo est interpretandus, ut Gerar fuerit *inter* Cades et Sur. v. 2 « *Dixitque* » — « dice*bat*que de more suo » (*Vat.*), cf. v. 13 — « *de Sara uxore sua : Soror mea est* ». *Hebr.* אל, quod erit vertendum « respectu », ergo « de »; *Chald.* על. LXX addit : *timuit enim dicere, quia uxor mea est, ne forte occiderent eum viri civitatis propter ipsam.* « *Misit ergo Abimelech, rex Gerarae, et tulit eam* ». Alius habetur Abimelech 26,1; et Ps. 33 (34), 1 ille vocatur Abimelech, qui 1 Reg. 21, 11 vocabatur Achis. Unde aliqui intulere fuisse Abimelech nomen omnium eorum regum commune, uti Pharao Aegyptiorum. v. 3 « *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte* ». Cf. Iob. 33,15 sqq. Pulchre et vere *Ios.* haec cum v. 7. 17 comparat, ut Abimelecho gravi morbo afflicto, desperata iam salute, adstiterit in somno Deus. « *Et ait illi : En morieris* », « actum de vita tua » est (*Mar.*), « *propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum* ». « Cognoscimus velut praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat » (*Ambr.*). v. 4 « *Abimelech vero non tetigerat eam et ait : Domine, num gentem ignorantem et iustam interficies?* »

Pro על האשה, *Sam.* על אהדת האשה, quod *Dillm.* (cf. 21. 11. 25) corrigit in על אודת האשה, sensu eodem. — *Vulg. LXX* fortasse legebant הגוי שגה וצדיק loco הגוי וגם צדיק; vel dici possunt solummodo textum hebr. evolvisse.

v. 5 « *Nonne ipse dixit mihi : Soror mea est; et ipsa ait : Frater meus est? In simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc* ». v. 6 « *Dixitque ad eum Deus : Et ego scio, quod simplici corde feceris; et ideo custodivi te* », *cohibui te ego*, immisso sc. morbo, nam illum ego inflixi (*Cai.*) — « *ne peccares in me; et non dimisi, ut tangeres eam* ». *Hebr. : propter hoc non dimisi etc.*, sc. ne peccares; a peccato volebam te servare immunem. Quatuor v. 7 rationibus (*Cai.*) Deus, ut uxor restituatur, insistit : primum, quia, uxor cum sit, ad solum pertinet maritum; dein, quia maritus est Deo apprime carus, cuius iura Deus non impune laedi permittet; quia intercessione Abimelechum adiuvare et a morbo expedire poterit; quia, ni uxor restituatur, mortis poena infligetur. v. 7 « *Nunc ergo redde viro suo uxorem*,

quia propheta est; et orabit pro te, et vives; si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu et omnia, quae tua sunt ».

Abimelech non solum iniuriam illatam reparat, sed id praestat plene et solemniter. v. 8 « *Statimque de nocte* » — *Hebr. mane* — « *consurgens Abimelech vocavit omnes servos suos et locutus est universa verba haec in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde* ». v. 9 « *Vocavit autem Abimelech etiam Abraham et dixit ei : Quid fecisti nobis? Quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? Quae non debuisti facere, fecisti nobis* ». *Targumim :* « opera, quae non recte fiunt, fecisti mihi ». Ita recte exprimitur *Hebr. : opera, quae non fiunt, fecisti mihi;* quae cum communiter ab hominibus non fiant, hinc iam agnoscantur neque licite fieri. v. 10 « *Rursumque expostulans ait* » : — simplicius *Hebr.* : *Et dixit Abimelech ad Abraham* — « *Quid vidisti, ut hoc faceres?* » Quod explicat *Menoch.* : « Quae signa iniustitiae aut libidinis in nobis deprehendisti? » Verum sic aliquid in textum introducitur, quod ille reapse non habet, estque sensus adamussim idem, qui fuerat praecedentis quaestionis « Quid peccavimus in te? » Melius *Vat. :* « Quid tibi venit in mentem, quod etc.? » Sc. ראה non solum significat *videre*, sed *spectare;* ergo : Quid spectabas? Quid intendebas? Quae tibi causa fuit nos decipiendi? Reapse v. 11 hanc causam explicat : « *Respondit Abraham : Cogitavi mecum dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto et interficient me propter uxorem meam* ». Haec ratio celandi esse uxorem : sequitur ratio, cur vere potuerit dicere sororem. v. 12 « *Alias autem et vere soror mea est, filia patris mei et non filia matris meae, et duxi eam in uxorem* ». v. 13 « *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam : Hanc misericordiam facies mecum : in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim* ».

Hebr. Chald. habent plur. התעו; unde *Cai.* vertit : « errare fecerunt me angeli ». Verum adverte, adiecta notula *Masorethas* edicere intelligi Deum, ergo non angelos. *Ew.* suggerit, « peregrinari fecerunt me dii » ideo dici, quod sermo sit ad ethnicos (!). Alii in hac constructione deprehendunt stilum elohistae secundi B. Haec omnia, fateor, me parum movent. Nam *Sam.* habet התעה; *Vulg. LXX*, quae secus pluralem de numine adhibitum religiose exprimunt (cf. 1, 26; 3, 22; 11, 7), habent sing., uti etiam *Syr.* Ergo lectio התעה omnino est probabilior.

v. 14 « *Tulit igitur Abimelech oves et boves et servos et ancillas, et dedit Abraham, reddiditque illi Saram uxorem suam* », v. 15 « *et ait : Terra coram vobis est; ubicunque tibi placuerit, habita* ». v. 16 « *Sarae autem dixit : Ecce mille argenteos dedi fratri tuo* », quae sunt donum praeter dona v. 14 recensita et Abrahae data, 16830 gram-

mata (?). Lepide fratrem vocat, non maritum. « *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, et quocunque perrexeris; mementoque te deprehensam* ». Liberius haec sunt reddita.

Merito vertit *Vulg. hoc*, non *hic*. *Vat.* refert ad Abraham et censet Abimelech obiurgare Saram : « Docetur Sara, maritum, cui iuncta est, instar veli esse, quo se tegere debeat, ne exposita sit alienis ». Abimelech tanto minus cogitat de obiurganda Sara, quod obiurgatio secundum v. 13 recideret in Abraham amicum Dei. Dein *hic* immediate referretur ad *fratri;* ergo non describit mariti ad uxorem rationem. — Quid autem sibi vult *velamen oculorum?* LXX : εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου. *Chald. : hoc erit tibi velamen honoris pro eo, quod miserim tollere te etc.* Reapse agitur de *piaculo*. 32, 20 (21) ait Iacob : « placabo illum muneribus », seu verbotenus : « velabo faciem eius muneribus ». Velatur offensi facies, ut iniuriam non iam videat. Porro *Sam. LXX Chald.* copulam habent : *tibi... et omnibus, qui tecum sunt*. Sicut non sola Sara sed familiares omnes iniuria affecti fuerant, illa ad alienum torum translata, ita omnibus offertur piaculum. Secundum *Hebr. Vulg.* exponendum erit : Hoc erit tuo commodo velamen, quod in oculis omnium, qui tecum sunt, obliterabit inflictam tibi iniuriam. Ita utique non habetur idem atque 32, 20 tropus, ubi ipsius offensi, non aliorum qui cum eo sint, oculi velantur. — *Kn.* ita iungit : Hoc erit tibi velamentum oculorum seu piaculum quoad omnia, quae tecum et aliis omnibus acta sunt. At, quaenam cum aliis acta fuerant? Constructio est dura, et repugnat athnach. Ergo independenter construatur oportet ואת כל ונכחת, *Sam.* ונוכחת. Hoc verbum punctabis participium (*Masor.*), aut melius praeteritum. Induit illud significationes iudicare, iustificare, reprehendere, convincere. Si altera cum *LXX Syr.* copula omittatur, vertes : Et (nunc) quoad omnia iustificataes; iuste omnia composita sunt. Si ea copula retineatur, sensum ea induit consecutivum : *germ.* « so ». Pro *omnia* potes etiam vertere *omnes :* Et (nunc) coram omnibus iustificata es.

v. 17 « *Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem ancillasque eius, et pepererunt* »; v. 18 « *concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahae* ». Cum *genuerunt* tam de viris quam de mulieribus praedicetur, hinc merito coniicit *Cai.*, tam Abimelech quam mulieres una laborasse aegritudine, sc. « impedita facultate coeundi », quae impediri potuit vel directe, vel indirecte per foedum aliquem morbum : ergo non est necesse supponere, Abraham perdiu apud Abimelech moratum esse, quoad sc. perspiceretur partus praepediri. *Concludere vulvam* secus utique dicitur de inhabilitate concipiendi (cf. 29,31; 30,22), et mediate tantum pariendi.

6. *Natus Isaac, foedus in Bersabee* Gen. 21,1-24.

Arg. — v. 1-21 impletas narrat promissiones cap. 17 distincte praesignatas, sc. e Sara natum Isaac, Ismaelem vero e paternis castris relegatum atque in deserto proprias sedes nactum. Adiicitur v. 22-34 foedus cum Abimelech in Bersabee initum, cum quod sacer narrator alias etiam Abrahae publice acta non ignoret (cf. cap. 14), tum quod locorum per patriarcham effectas consecrationes memoriae tradere consueverit.

v. 2 utique appellat ad 17, 16. 21 (cur non item ad 18, 10. 14?); v. 4 circumciditur puer, quod 17, 12 praecipiebatur; actas Abrahae v. 5 cum alibi dictis consonat : non ideo fas est v. 1-5 diverso tribuere auctori ab illo, cui reliquum caput conceditur; sufficit cap. 17 relata narratorem cap. 21 minime latuisse. Forma מאת v. 5 nullum sane diversi auctoris praebet argumentum, cum per se, tum quod 17, 17 *Sam.* etiam מאת legat. Rursum censet *Dillm.*, v. 1 esse e duobus centonibus consutum, cum vix auctor unus indulturus fuerit pleonasmo huic : « Et Iahve visitavit Saram, sicut dixerat, fecitque Iahve Sarae, sicut locutus fuerat ». Num revera ita mirum est, auctorem sermone aliquantum uberiore atque parallelismum sapiente ordiri narrationem tam saepe praenuntiatae, tam diu exspectatae nativitatis Isaac? Etiam v. 7, ait *Dillm.*, v. 6 dicta repeti : lege et videbis, non idem enuntiari. Possit utique v. 7 eliminari salvo narrationis contextu : sed num s. auctores semper utuntur stilo, quam fieri potest, maxime conciso? Tandem *Dillm.* זקנים v. 2. 7 (cf. 37, 3; 44, 20) iahvistae proprium esse pronuntiat : at e tali voce a radice notissima petita et quatuor omnino textibus recurrente concludere quidquam nefas est. — Supersunt alia duo diversorum auctorum indicia. Explicatio v. 6 nominis Isaac differt ab ea, quae 17, 17 et ab ea, quae 18, 12 traditur. Difficultas, quantulacunque demum est, diluitur, si attendas nomen peti neque a risu solius Abrahae (17, 17), neque a solo priore (18, 12), neque a solo posteriore (21, 6) Sarae risu, sed a risu parentum universim (*Aug.*). — At, nonne v. 9-21 idem qui cap. 16 eventus, atque ideo a diverso narratore refertur? Eventus sunt vix non omnibus numeris diversi. Ille ante natum Ismael, hic eo iam quatuordecim annos nato locum habet; ibi clam aufugit Agar, hic ab Abraham palam dimittitur; ibi non patitur rerum inopiam, hic inedia consumitur; ibi assidet fonti, hic siti exanimatur; ibi ad Abraham remittitur, hic ad eum non redit. Unum utrique narrationi est commune, promissio Ismaeli facta : num id sufficit ad duas narrationes confundendas?

v. 1 « *Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat; et implevit, quae locutus est* » (cf. 18,10). v. 2 « *Concepitque et peperit filium* » *Abrahae* (*Hebr.*) « *in senectute sua tempore, quo praedixerat ei Deus* ». Suffixa ad Abraham referri notabat *Cai.* — v. 3 « *Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac* », v. 4 « *et circumcidit eum octavo die, sicut praeceperat ei Deus* » (17,10), v. 5 « *cum centum esset annorum; hac quippe aetate patris natus est Isaac* ». v. 6 « *Dixitque Sara : Risum fecit mihi Deus* », fecit me ridere gaudio,

admiratione ; laetificavit me. « *Quicunque audierit, corridebit mihi* », verbotenus *ridebit de me*, item admiratione et gaudio (*Vat.*). v. 7 « *Rursumque ait : Quis auditurum* » (non *auditurus* vel *auditorum*, *Verc.*) « *crederet Abraham, quod Sara lactaret filium* », — ita etiam LXX ; sed reliqui *filios* — « *quem peperit ei iam seni?* »

Hebr. : Quis dixit Abrahae : Lactavit filios Sara? Et tamen idipsum accidit, *quoniam peperi filium senectutis ei.* Interrogationes eiusmodi de re non eventura cf. Num. 23, 10; Prov. 30, 3 sq.; Iob 41, 4 sq. « Praeteritum vertendum per praeteritum perf. subiunct. (dixisset), perinde acsi dicat, hoc nemini mortalium fuisse venturum unquam in mentem » (*Vat.*). Hac una vice in Pentateucho adhibetur vox poetica מולל : cf. Iob 8, 2; 33, 2; Ps. 105 (106), 2. Non est vertendum : *Quis dicet* (LXX)? quis ibit nuntiatum Abrahae? Id neque praeterito congruit neque plurali *filios*. Ergo neque textus noster est parallelus (*Budde* p. 224) ad 22, 20 et 38, 24.

v. 8 « *Crevit igitur puer et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis eius* ». Meminit traditionis *Hier.* statuentis quintum vel duodecimum (!) vitae annum ablactationi. Machabaeorum mater 2 Mach. 7,27 triennio lac dedit filio. Ad tertium usque aetatis annum 2 Par. 31,16 nihil alendis sacerdotum et levitarum infantibus assignatur. Rabbini atque Coranus saltem biennium praescribunt. Cf. *Calm.* Convivio etiam nunc liberorum ablactatio celebratur. Utrum vero v. 9 narrata immediate post ablactationem acciderint, ignoramus. v. 9 « *Cumque vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham* » : v. 10 « *Eiice ancillam hanc et filium eius, non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac* ». Cf. Gal. 4,30.

Hebr. : Et vidit Sara filium Agar Aegyptiae, quem peperit Abraham מצחק. Quam vocem explicavere *LXX Vulg. ludentem cum Isaac filio suo*, utique recte. Sed manet quaestio de ipsius vocis sensu, qui potest esse iocari, ludere, saltare. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* fecere ridentem in cultu idololatriae. Adverte vocem Gen. 26,8 adhiberi de blanditiis inter coniuges, 39, 14. 17 de blanditiis adulterinis. Fortasse eiusmodi quid iustas Sarae iras provocavit. Cf. Gal. 4, 29. Recte autem monet *Ios.* rationem potissimam removendi Ismaelis hanc fuisse, ne is, natu maior cum esset, demortuo Abraham sibi primogeniti iura arrogaret.

v. 11 « *Dure accepit hoc Abraham pro filio suo* ». v. 12 « *Cui dixit Deus* » noctu (*Cai.*; cf. v. 14) : « *Non tibi videatur asperum super puero et super ancilla tua; omnia, quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen* ». *Chald. : vocabuntur tibi filii.* Quod explicat Apostolus Rom. 9,8 : « Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui sunt promissionis, aestimantur (λογίζεται) in semine ».

Sensus nequit esse : (nomine) Isaac vocabitur semen tuum. Etenim posteritas Abrahae nunquam (excepto Am. 7, 9) hoc nomine vocatur; neque id leniret dolorem dimittendi Ismaelis. Ergo sensus est : per Isaac nancisceris semen illud, quod κατ' ἐξοχήν appellabitur semen Abrahae obtinebitque promissiones omnes tibi factas. « Si mansisset Ismael domi, cum esset primogenitus, propagatio nominis Abrahae in semine pertinuisset directius et prius ad Ismaelem, quam ad Isaac. Eiectio autem Ismaelis effecit, ut Isaac solus esset successor in domo Abrahae et in ipso propagaretur nomen seminis Abrahae. Et si hanc causam profundius consideraveris, h. e. relative ad messiam, quia per Isaac nasciturus erat messias, semen Abrahae, in quo benedicendae erant omnes gentes, magnipendes causam hanc » (*Cai.*).

Alia additur ratio, ob quam facilius Abraham Ismaelem dimittat. v. 13 « *Sed et filium ancillae faciam in gentem* [*magnam*], *quia semen tuum est* ». Cf. 17,20. v. 14 « *Surrexit itaque Abraham mane et, tollens panem et utrem aquae, imposuit scapulae eius, tradiditque puerum et dimisit eam* ». *Rup.*, in sensu textus literali avaritiam aliquam odoratus, totus est in sensu spirituali eruendo; dum *Calm.* notat, tantum dedisse Abraham, quantum Agar commode portare posset, ancilla quippe cum servorum et iumentorum agmine dimitti haud poterat, neque ita dimissam aeque tulisset Sara. *Proc.* in his patriarchae celebrat fidem : « Deo eos commisit eique eorum curam demandavit ».

Hier. primum vertebat *parvulum*, illudque declarabat esse « Hebraeorum linguae idioma, quod omnis filius ad comparationem parentum infans vocetur et parvulus ». Sed in Vulg. vertebat *puerum*. *Hebr. : tradidit Agar imponens scapulae eius, et puerum.* Quod LXX invertit : *et puerum imposuit scapulae eius.* Eam vero lectionem declarat *Dillm.* genuinam, alteram natam e redactoris cuiusdam studio h. l. dicta conformandi alibi statutis de aetate Ismael. Puerum hic concipi parvulum etiam infert ex « abiecit » v. 15 et « crevit » v. 20. Verum ותשלך verti potest « dimisit », et ויגדל « factus est magnus ». Ergo non efficitur, B, quisquis tandem ille scriptor fuerit, de aetate Ismaelis dissentire ab A. Apte citat *Del.* locum omnino parallelum 43, 15 : « sumpserunt pecuniam duplicem in manibus suis, et Beniamin » ; unde non liceat inferre illos viros Beniaminum manibus asportasse.

« *Quae cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee* ». « Facile credimus, Agar regressum meditatam fuisse in Aegyptum; sed errore factum est, ut viam initura propius ad Arabiam accederet aberraretque » (*Calm.*). v. 15 « *Cumque consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborum,* [*quae ibi erant*] ». v. 16 « *Et abiit seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere; dixit enim : Non videbo morientem puerum. Et sedens contra levavit vocem suam et flevit* ». *LXX punctabat* קוֹלה : *levavit vocem suam puer;* sed obsunt

verba formae femininae. v. 17 « *Exaudivit autem Deus vocem pueri* », sive orantis sive prae dolore clamantis (*Vat.*). *Hebr.* proprie non habet *exaudivit*, sed *audivit*. Cur autem non dicitur Deus audisse vocem mulieris, de qua v. 16, sed vocem pueri, de qua non facta est mentio? Quia puer erat « semen Abraham », mulier non erat; quia pueri salutem v. 13 Deus Abrahae promiserat, non mulieris. « *Vocavitque angelus Dei Agar de coelo dicens : Quid agis, Agar?* » *Hebr. : Quid tibi est, Agar?* Auditur vox pueri, sed respondetur clamori matris, per quam salvandus est puer. « *Noli timere : exaudivit enim Deus vocem pueri, de loco, in quo est* ». Clarius etiam exprimitur gratia tribui non intuitu matris Aegyptiae, sed pueri qui semen est Abrahae. v. 18 « *Surge, tolle puerum et tene manum illius* », *Hebr. : firma manum tuam in eo*, firma manu eum sustine; « sollicitus monstratur affectus » (*Hier.*); « *quia in gentem magnam faciam eum* ». v. 19 « *Aperuitque oculos eius Deus* », quod quandoque fieri quoad rem, quae prius iam adfuerit, sed non fuerit animadversa, docet 3,7. *Chrys.* suggerit monstrasse viam ad puteum parum distantem, idque confirmat *Cai.* ex sequenti voce *abiit*, quae innuat aliquam ad puteum fuisse distantiam. « *Quae videns puteum aquae abiit et implevit utrem deditque puero bibere* ». v. 20 « *Et fuit* » *Deus* « *cum eo : qui crevit et moratus est in solitudine, factusque est iuvenis sagittarius* ». v. 21 « *Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti* », unde erat ipsa oriunda.

רֹבֶה קַשָּׁת : *Vulg. Chald.* recurrere ad רבה *adolescere* : et factus est, dum adolesceret, sagittarius. Haec participialis constructio non est e genio linguae hebr. et post ויגדל abundat. Alii statuunt רבה = רבב; ergo : et erat iaciens, sagittarius. Idem de hoc atque de illo participio dicendum. *Sam.* habet רבי, nomen e forma sua exprimens constantem occupationem : et erat iaculator, sagittarius. Si punctes קֶשֶׁת, habes : et erat iuvenis arcus; et erat iaciens quoad arcum; admissa lectione Sam. : et erat iaculator quoad arcum, *Germ.* ein Bogenschütze. Hoc ultimum praeplacet.

Abimelech h. l. nullo adiecto titulo designatur, ex v. 22 videtur a longo tempore novisse Abraham : ergo sane idem atque cap. 20 vir intelligitur. Ibi initio narrationis « rex Gerar » dicebatur, extrema nostra narratione refertur « terram Palaestinorum » incoluisse. Adest cum « principe exercitus », veluti accinctus ad bellum. Firmam cum Abraham desiderat pacem, qua a tergo sit securus, dum alios aggrediatur inimicos. Cum illud fere fuerit tempus, quo Hycsos Aegyptum invasere, poterit quis coniicere Philisthaeorum expeditionem cum ea invasione fuisse quadamtenus connexam.

פְּלֶשֶׁת. unde Παλαιστίνη, *assyr.* Palastav, significat migrationem, ergo terram alienigenarum seu Ἀλλοφύλων. Hoc nomine sane non ipsi primum Philisthaei regionem appellarunt : quod vero nativum ipsorum nomen fuerit, ignoramus. Aliqua de ipsis diximus ad 10, 14. Tempore exodi Ex. 13, 17 iam Philisthaeam obtinebant neque ulla ratio suadet, Philisthaeos aevi Abraham a posterioribus Philisthaeis pronuntiare fuisse diversos. *Hitzig* censuit esse Iaphetidas; sed quod moribus fuerint bellicosiores, ad certamina singularia proni, quod milites conduxerint et similia, si censeantur haec Iaphetidarum esse omnino propria, sufficienter e Philisthaeorum Cretae degentium cum Graecis commercio explicantur. Certe nomina virorum propria et urbium, quotquot novimus, semitica sunt; Ascalonitae in aliquo Ramsis II monumento depicti (*Chabas* Antiquité p. 284 sq.) oris specie Semitas imitantur; mores, quales e s. scriptura, imprimis e Samsonis historia novimus, et imprimis sacra (Dagon etc.) sunt semitica. Nota tamen, quando de lingua, moribus semiticis loquimur, id non necessario efficere originem e Sem, sed aut e Sem aut e Cham.

v. 22 « *Eodem tempore* » — temporis haec est determinatio admodum vaga, locus sane prope Bersabee, qui locus tum ad ditionem pertinuisse videtur regis Gerar (cf. v. 14) — « *dixit Abimelech* » — LXX, uti videtur ex 26,26, addunt *et Ochosath socius illius* — « *et Phicol princeps exercitus eius ad Abraham : Deus tecum est in universis, quae agis* ». Sane cogitabant imprimis de clade Chodorlahomor. v. 23 « *Iura ergo per Deum* » *hic,* illico, « *ne noceas mihi* », *Hebr. : ne decipias me* exspectantem pro praestita misericordia misericordiam; decipias, inquam, dum inimicis meis iungaris, aut procul dimicantis bona diripias, aut ea certe a diripientibus non defendas, — « *et posteris meis stirpique meae* ».

נִין וְנֶכֶד secus non legitur nisi duobus locis poeticis Is. 14, 22 et Iob 18, 19, quibus expressiones posteritatem designantes cumulantur; praeterea potuit Isaias expressionem adhibens praecise nostrum textum in mente habere. Expressio nihil penitus probat pro diverso scriptore cum c 14, 19 constet s. narrationem, dum acta cum non Hebraeis refert, eorum loqui expressionibus. Tota haec de foedere Abimelech inter et Abraham inito narratio nativum quemdam colorem habet et summam sapit antiquitatem. — Infelicius *Targumim* vertere : et filio meo et filio filii mei.

« *Sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi et terrae, in qua versatus es advena* ». v. 24 « *Dixitque Abraham : Ego iurabo* ». v. 25 « *Et increpavit Abimelech propter puteum aquae, quem* » — *Syr.* recte quoad sensum supplet *foderant servi Abraham et* — « *vi abstulerant servi eius* ». Putat *Calm.* Abimelech dissidii gnarum, quod de puteo illo fervebat, ea etiam mente accessisse, ut eo composito amicitiam cum Abraham foedere firmaret. Si ita fuerit, verba utique v. 26 aliquam dissimulationem habent. v. 26 « *Responditque Abimelech : Nescivi, quis fecerit hanc rem; sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi praeter hodie* ». Quibus verbis intelligens regis ani-

mum sarciendae iniuriae paratum (*Del.*), v. 27 « *tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech* », non pro sacrificio (*Calm.*), sed ut donum (*Menoch.*), cuiusmodi dona in foederibus pendi consueverant (*Kn.* et cf. Is. 30,6; 39,1; 3 Reg. 15,19). « *Percusseruntque ambo foedus* ». Non dedit Abimelech dona, quod in sua ditione et pro auctoritate ageret. v. 28 « *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum* ». *Hebr. Chald.* articulum praefigunt, unde erit fere cum *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* dicendum, has septem agnas esse easdem atque *oves* v. 27, positasque esse seorsum a *bobus*. Sed *Sam. LXX Syr.* ignorant articulum. Indicabat autem Abraham hoc separato dono, se non solum velle iuramentum fidei praestare, sed etiam regis de puteo iuramentum accipere (*Mar.*). v. 20 « *Cui dixit Abimelech : Quid sibi volunt septem agnae istae, quas stare fecisti seorsum?* » v. 30 « *At ille : Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum* ». v. 31 « *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque iuravit* ». שבע *iurare* utique a שבע *septem*, numero sacro, derivatur. Tamen textus evidenter edicit, putei nomen proxime a *iurandi* verbo (LXX φρέαρ ὁρκισμοῦ) derivari, non a *septem agnis* (*Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*). Cf. dicenda ad 26,33. v. 32 « *Et inierunt foedus pro puteo iuramenti* ». Verte *et percusserunt foedus in* (LXX) *Bersabee;* vel etiam iunge cum prioribus *et quia percusserunt foedus in puteo iuramenti* (*Wellh.*). v. 33 « *Surrexit autem Abimelech et Phicol, princeps exercitus eius, reversique sunt in terram Palaestinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee* », non ad viatores fructibus recreandos (*Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*), sed ad altare in illo excitandum (*Menoch.*). Id enim insinuat contextus cum sequentibus (*Calm.*), neque tum lucus sacri ulla ratione a Deo erant proscripti. « *Et invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni* »; *LXX Deus aeternus,* quasi hac appellatione ibi Deum invocaverit aut locum appellaverit. אשל genus quoddam terebinthi vel quercus, cf. 1 Reg. 22,6; 31,13; 1 Par. 10,12 : vocem Vulg. interpretata est collective. v. 34 « *Et fuit colonus terrae Palaestinorum diebus multis* ».

7. *Sacrificium Abrahae* Gen. 22, 1-19.

In hac pericope praeter nomen אלהים omnia, teste *Kn.*, iahvistam produnt auctorem : anthropomorphismi Dei v. 1 tentantis, v. 12 cognoscentis, v. 16 iurantis. Accedunt v. 1 nocturna visio (ubi conferatur 31, 11. 24; 46, 2; 15, 1); v. 11. 15 angeli apparitio; v. 13 aries miraculo suppeditatus; sacrificium; habitatio in Bersabee; v. 8. 14 nomen explicatum; plura inde a v. 11 et expressiones aliquae. Contra quem *Wellh.*, *Kuenen* (I. 138), *Dillm.*, licet plura iahvistam sapiant (*Dillm.*), priorem certe pericopae partem tribuunt alteri elohistae B : ob nomen אלהים; ob v. 1 nocturnam

visionem (ubi conferatur 20, 3; 21, 12); ob voces v. 1. 11 « Abraham, Abraham. Adsum » (ubi conferas 46, 2 « Iacob, Iacob. Ecce Adsum » : sed quid tandem haec efficiunt?); ob v. 11 angeli de coelo alloquium (cf. 21, 17; sed idipsum habetur h. l. v. 15, quem iidem alteri elohistae denegant); ob v. 5 כה locale (sed tam paucis locis tantisque intervallis vox eo sensu usurpata deprehenditur, ut concludi prudenter nequeat quidquam). Praeterea v. 2. 12 יחיד respicit 21, 14; v. 13 Abraham conspiciens arietem, quem ante non viderat, in mentem revocat 21, 19 Agar conspicientem, quem ante non viderat, fontem.

Haec autem recensuimus, non ut eundem esse cap. 22 et 21 auctorem negemus, quod concedimus libentissimi, sed ut perspiciat lector, quam tenuibus recentiores fulti rationibus pericopen aliquam auctori modo huic modo illi adiudicent. Iidem alteri elohistae rursum abiudicant v. 15-18, quod altera angeli apparitio voce « secundo » nonnisi leviter narrationi agglutinetur; quod sensa et expressiones sint iahvistae affinia; quod v. 14, cuius intuitu etiam vox המוריה v. 2 fuerit inserta, intendat sanctitatem montis Moria ex ipso Abrahae aevo repetere. Quae omnia tribuuntur iahvistae vel potius redactori, qui idem v. 11 אלהים correxerit in יהוה.

Arg. — Igitur pericopen vel obiter legens perspiciet, eius summam esse in *celebranda Abrahae fide*. Audi apostolum Hebr. 11,17 sqq. : « Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Arbitrans, quia et a mortuis suscitare potens est Deus, unde eum et in parabolam accepit ». Fide divinarum nixus promissionum Abraham paternas sedes reliquerat, advena varios tractus peragraverat, semen promissum annis bene multis oppertus atque centenarius tandem fuerat nactus. Adolescebat puer, cum pater immolare iubetur : is fide nixus imperata exsequi generose aggreditur. Iam si haec sit narrationis summa, debuit ea *primitus* eas omnes, quibus nunc constat, partes complecti. Age, an potuit in ea deesse primum angeli de coelo mandatum v. 11 sqq.? Sane, cum ex Isaac Abrahae promissum esset semen, non poterat is morte e medio tolli, sed aut mactatus, quod suggerit apostolus, erat resuscitandus, aut necis mandatum altero divino mandato erat revocandum. Finge Isaac posteros eos, qui virum ad multam vixisse senectutem prolemque procreasse norant : num ii traditione sacra non erant edocendi, quomodo districtum gladium ille evaserit incolumis? Item secundum angeli mandatum v. 15 sqq. primitus narrationi infuerit oportet. Cum alias Deus Abrahae fidem constanter promissionibus sit remuneratus, estne credibile, aut hunc excellentissimum fidei actum sua caruisse promissione, aut primum narratorem eandem reticuisse? Ergo narratio primitus talis fuit quoad substantiam, qualis nunc est.

v. 1 « *Quae postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham* », « obiiciendo illi insigne obiectum et materiam heroicae virtutis et obedientiae, hoc fine ut eius virtutem in animo latentem ostenderet, acue-

ret, perficeret ac tandem coronaret » (*Lap.*). « Tentabat affectum patris, si Dei praecepta praeferret filio nec paternae pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret » (*Ambr.*). « Non ut disceret ipse, quae sciebat, sed ut ignorantes doceret, quam iusta de causa patriarcham diligeret. Hac de causa tres dies et totidem noctes amoris divini in eo periculum fecit. Nam patriarcha medius inter naturam constitutus et fidem, cum utrimque stimularetur, fidei dedit palmam victoriae » (*Theodoret.*). « *Et dixit ad eum : Abraham, Abraham* ». Uti v. 11 *Vulg. LXX* nomen duplicant. « *At ille respondit : Adsum* ». v. 2 : « *Ait illi : Tolle filium tuum unigenitum* » *tuum*, « *quem diligis, Isaac et vade in terram Visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi* ». « Omnibus istis verbis intendit hoc, ut magis et magis accendat carnalem amorem patris erga filium, ut postea praeponat amorem Dei suo carnali amori et, cum vicerit, gloriosior sit victoria » (*Hugo*). « Quot hic verba, tot sunt stimuli, tot tentationes » (*Lap.*).

המוריה secus legitur tantum 2 Par. 3, 1 המוריה, tamquam nomen montis, in quo aedificavit Salomon templum. Sed nota, dum ibi sit nomen *montis*, h. l. haberi nomen *regionis*, montis vero, ubi sacrificavit Abraham, nomen reticeri. 2 Par. 3, 1 dicitur mons esse idem, qui monstratus sit Davidi, nihil dicitur de sacrificio Abrahae ibidem quondam peracto; unde suspicetur quis, auctorem Par. non novisse certam aliquam traditionem, in eo monte illud sacrificium esse oblatum. Eam tamen traditionem enuntiant *Ios.*, *Chald.*, *Ps. Ion.*, itemque *Syr.* v. 14 scribens « in monte *hoc* ». — *Sam.* scribit המוראה : מראה autem significat *visionem*, unde ad eandem lectionem potest fortasse revocari *Symm.* τῆς ὀπτασίας. Porro Gen. 12, 6 pro מורה, loco prope Sichem, Sam. scribit מורא, ut nostrum מוראה possit esse מורא addito ה locali. Et dicit *Calm.*, Samaritanos locum sacrificii Abrahae collocare prope Sichem; tamen adverte, *Vers. Sam.* non servare h. l. nomen proprium, sed vertere חזיתה *visionis*. Etiam Deut. 11, 30 pro מרה Sam. habet מורא. — *Hebr.*, *Vulg.*, *Targ. Hier.*, *Aq.* legunt מוריה, et hic quidem (τὴν καταφανῆ) derivat ab אור, *Hier.* interpretatur *visionem* (Quaest. hebr.). — Sed *Syr.* utrobique legit אמוריה, i. e. *terram Amorrhaeorum*, quae gens latos terrae sanctae tractus obtinebat; idemque legebat LXX 2 Par. 3, 1 Ἀμωρία, et h. l. τὴν ὑψηλήν, cum אמר primitus significet *eminere* et Amorrhaei probabilius sonent *montium incolas*. Sane haec lectio ceteris est probabilior. — Neque tamen, quod proxime hic regionis nomen tradatur, pronuntiamus ipsius montis nomen *non* item fuisse Moria, quod fortasse innuit etymologema v. 14. Et potuere Hebraei posteriores, ne sanctissimi loci nomen Amorrhaeos exosos in mentem revocaret, nomen ex אמורי transformare in מוריה, cuius porro nominis e radice ראה interpretatio omnino erat e genio Hebraeorum. Tamen continuam apud illos traditionem exstitisse de eodem templi et Abrahae sacrificii loco demonstratum non habeo. Dum alia a patriarchis consecrata loca (Sichem, Bethel, Hebron, Bersabee etc.) a posteris, maxime Iudicum aevo, sacro cultui adhibebantur, crediderim eos reverentia quadam prohibitos esse, ne, ubi parens eorum Isaac altari fuisset impositus, litarent; atque ita memoria loci paulatim obliterata est. Solum si hoc supposueris, tolerari poterit pia opinio, locum sacrificii Abrahae esse ipsum Calvariae montem. Quodsi enim

ulla apud Iudaeos perseverasset traditio, sacrificium Abrahae in Calvariae monte obtinuisse, nullus unquam neque Iudaeus neque Romanus ausus esset, eum locum extremis suppliciis desecrare.

v. 3 « *Igitur Abraham de nocte* », i. e. *mane*, « *consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos iuvenes et Isaac filium suum; cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem praeceperat ei Deus* ». Sara de itineris scopo haud edocta (*Ephr.*), quae fortasse male consuluisset viro, uti Eva Adamo (*Proc.*). Id eo etiam fit probabilius, quod neque Isaac edoctus fuerit. v. 4 « *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul* ». Monet *Hier.*, reapse de Gerar ad montem Moria esse trium dierum iter. Deus « et intervallo loci iusti probavit virtutem. Cogita autem, quid eo triduo probabile sit pertulisse iustum, dum secum mandatum perpenderet et quod ipse suis manibus tam dilectum filium esset mactaturus, re nulli communicata, et obstupesce pium religiosumque ac prudentem ipsius animum » (*Chrys.*). v. 5 « *Dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino; ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos* ». Variis modis student antiquiores Abrahamum a mendacio excusare. « Prophetavit, quod ignorabat », inquit *Ambr.*; *Cai.* suggerit spem, resuscitatum iri mox (cf. Hebr. 11,19) filium, e quo sibi semen a Deo fuerit promissum; *Bonfr.* putat locutum esse de se uno plurali, aut conditionem subintellexisse « si vita comes fuerit ». In quo utebatur restrictione utique legitima ad servos rei veritatem celandam. v. 6 « *Tulit quoque ligna holocausti et imposuit super Isaac filium suum* ». « Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portavit » (*Ambr.*). Recte ex his censet *Cai.* aetatem Isaac coniectura aliqua definiri posse, qui triduo patrem pedes comitatus fuerit et nunc ligna in collem comportet. Vix tamen puto eum praeter pueritiam, « magnam adolescentiae partem peregisse » : quaestio v. 7 puerum sapit potius. « *Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul* », v. 7 « *dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili?* » Verbotenus *Ecce ego, fili;* unde perspicias eius formulae etiam aliis locis sensum. « Considera hic, quaeso, iusti cruciatum, quomodo tulit auribus, quomodo potuit respondere puero, quomodo non est confusus mente, quomodo filio occultare potuit id, quod futurum erat » (*Chrys.*). « *Ecce, inquit, ignis et ligna : ubi est victima holocausti?* » שה animal e gregariis minus, ovis aut capra. Ergo praetendebat Abraham holocaustum minoris cuiusdam animalis, ergo tantum solummodo erat lignorum pondus, quod puer robustus ferre posset : neque dicitur Isaac omnia ligna solus tulisse, sed quaedam fortasse gestabat. v. 8 « *Dixit autem Abraham : Deus providebit sibi victimam holocaus-*

ti, fili mi. Pergebant ergo pariter » v. 9 « *et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo aedificavit altare et desuper ligna composuit; cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum* ». Post composita ligna *Ios.* inducit Abrahamum filium, quid consilii esset, edocentem. Ligabatur hic utique volens, patris generosum pro aetate imitatus animum; non autem videtur probabile (*Per.*, *Mar.*), fuisse tum triginta septem annorum, qui numerus excogitatus est a credentibus sacrificatum esse puerum, quo anno mortua est Sara. Teneras victimas affectat Deus. Ligatus est, ne indecens aliquis, dum iugularetur, motus sacrificii sanctitati obesset (*Cai.*) et, « ut esset typus Christi clavis affixi cruci » (*Lap.*). v. 10 « *Extenditque manum et arripuit gladium, ut immolaret filium suum* ». Hoc actu pater, quantum in se erat, sacrificium, quod iussus fuerat, reapse praestabat atque intentione « consummatam hostiam » (*Chrys.*) offerebat.

Sacrificia humana apud circum incolentes nationes erant usitata : 4 Reg. 16, 3; Ps. 105 (106), 38. Iisdem postmodum indulsere Moabitae : cf. 4 Reg. 3, 27 et inscriptionem eorum regis Mesae. Indulgebant Aramaei (4 Reg. 17, 31), indulgebant Phoenices et Carthaginienses, quorum vel deus Cronos filium immolaverat (Sanchuniathon). Factum Abrahae utique demonstrat, Deum a populo electo sacrificia humana non esse requisiturum neque grata sibi illa fore : si enim grata fuissent a quoquam, a nullo fuissent gratiora quam ab ipso Abraham. Tamen factum Gen. 22 non habet explicitam eorum sacrificiorum prohibitionem : cf. quae diximus ad Iud. 11. Gratuito autem asserit *Dillm.*, hac narratione innui, Hebraeos antiquitus, uti alios Semitas et Chananaeos, sacrificiis humanis indulsisse, postea illa respuisse et horrorem, quo eadem habuerint, hac efficta de Abraham narratione expressisse. — Quomodo Deus sacrificium humanum imperare potuerit, cf. *Per.*

v. 11 « *Et ecce angelus Domini de coelo clamavit* » *ad ipsum* « *dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum* ». « Tenuit quodammodo manum eius divina vox et ictum vibrantis occupavit dexterae » (*Ambr.*). v. 12 « *Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi* », iam sufficienter perspicio neque argumento indigeo ulteriore, « *quod times Deum et non pepercisti unigenito filio tuo propter me* ». v. 13 « *Levavit Abraham oculos suos viditque post tergum* » — pro אחר *Sam. LXX Syr. Ps. Ion.* pluresque *Codices hebr.* אחד; *Chald.* utramque lectionem copulat — « *arietem inter vepres* » — בסבך in dumeto, ubi rami invicem interseruntur, *Aq.* ἐν συχνεῶνι, *Symm.* ἐν διατύῳ, *LXX* ἐν φυτῷ Σαβέκ — « *haerentem cornibus; quem assumens obtulit holocaustum pro filio* ». v. 14 « *Appellavitque nomen loci illius : Dominus videt* ». Verba sunt eadem atque v. 8, ergo *Dominus providet*. Ergo si hinc derivatur nomen *Moria*, non est (cf. *Ges.*) explicandum « a Deo electus », neque

« a Deo datum ad videndum = visio Dei ». Sequens sententia utique a posteriore aliquo addita est, fortasse a redactore : « *Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit* », vel potius *providebit*. Punctavere utique *Masor.* niphal (LXX ὤφθη), et *Chald. Syr.* (in monte *hoc*) retulere ad montem Sion, in quo diu postea Deus manifestabatur; verum, si ita verba accipiantur, proverbium reapse non fluxit e facto Abrahae, quod tamen affirmat textus, sed e facto aliquo recentiore. Verum sensum attingebat iam *Hier.*, licet tum adhuc verbum reddebat passive : « Hoc autem apud Hebraeos exivit in proverbium, ut, si quando in angustia constituti sunt et Domini optant auxilio sublevari, dicant : In monte Dominus videtur, hoc est : sicut Abrahae misertus est, miserebitur et nostri ». Imo verba S. D. innuere videntur, eius aevi Hebraeos proverbium eo sensu adhibuisse : Deus tempore et modo sibi placito providebit nobis, sicut Abrahae providit in monte. Et notant *Vat.*, *Bonfr.* aliique verba esse eadem atque v. 8 אלהים יראה. « Abraham igitur advertens, quod ipse inscius prius dixerat, id prophetiam eius fuisse quod postea evenit, ex eo appellavit montem : Dominus videbit, i. e. providebit. Quae tamen appellatio longius transferri potest ad firmandam eorum omnium, qui in calamitatibus sunt, Dei fiduciam, ut, in quacumque re ardua et calamitosa fuerint, minime deficiant animo, sed humana destituti ope ad divinam confugiant » (*Per.*). v. 15 « *Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de coelo, dicens* » : — illud *secundo* crediderim consilio esse scriptum, quo attendat lector *bis* angelum de coelo Abraham allocutum esse, v. 11 et v. 15.

Pro שנית significatio generalior « iterum », « rursus » nusquam demonstratur : habet igitur h. l. vox utique emphasin aliquam. Eam repetere poteris e facto, angelum reapse locutum esse *bis*. Quodsi hoc non omnem removeat dubitationem, perpendas, quaeso, rationem, qua ante collecta in unum haec documenta sacra apud Hebraeos traditio asservabatur. Circumferebatur ea sc. oretenus, maxime si non unice, apud singulas tribus recitabatur, non omnia forsan apud omnes neque iisdem ubique verbis. Et unam equidem earum traditionum tandem colligendarum scriptisque consignandarum rationem crediderim fuisse hanc, quod eae variis in locis nimium deformarentur, imo deperirent. Finge iam duas redactori praesto fuisse sacrificii Abrahae narrationes : unam e qua, ceteroqui fortasse magis integra, ob sententiarum v. 11 et 15 similitudinem exciderint v. 11-14 narrata, auditorque in opinionem adduceretur (iunge v. 16 immediate versui 10) Abraham filium reapse immolasse humanaque sacrificia Deo non esse prorsus exosa; alteram fortasse quoad v. 1-10 narrata non ita completam, sed alterum angeli alloquium distincte referentem : erat tum gravissima profecto ratio, cur redactor priorem narrationem e secunda compleret, adscripta etiam voce *secundo*.

v. 16 « *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus* ». Hebr. 6,13 : « Abra-

hae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum ». Cf. Ex. 32,13. Hominum mores imitatur Deus : cum hi promissis iuramento firmatis maiorem fidem adhibeant, iurat et ipse (*Chrys.*). Formula נאם יהוה, praeter h. l., in Pentateucho solum legitur Num. 14,28 : formula sc. iuramenti maxime solemni Deus nonnisi perraro utitur. Sequentes promissiones fuerant factae iam antea (*Per.*), tamen h. l. omnes simul et quoad aliqua distinctius (*Cai.*) confirmantur. « *Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me* » (cf. v. 12) : v. 17 « *benedicam tibi* » (12,2) « *et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam, quae est in littore maris* » (cf. 13,16; 15,5; 17,2. 6; 18, 18); « *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum* ». Haec ultima promissio non fuerat antea totidem verbis pronuntiata, tamen cf. 12,3 et 15,14. Phrasis videtur (cf. 24,60) fuisse tum usitatior, exprimens plenum de inimicis triumphum. Cf. *Per.* v. 18 « *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae* ». Cf. 12,3; 18,18, ubi dicebatur *in te*, hic paulo distinctius *in semine tuo;* quod semen intelligitur, uti praecedentibus membris, tota Abrahae electa posteritas, imprimis utique Christus. v. 19 « *Reversus est Abraham ad pueros suos abieruntque Bersabee simul et habitavit ibi* ».

C. Actorum Abrahae supplementum Gen. 22,20-25,11.

1. *Genealogia Nachoritarum* Gen. 22,20-24.

Arg. — Haec genealogia describenda erat primum, quia Genesis, antequam ab uno patriarcha ad alterum progrediatur, prioris fratrum, si qui recensebantur, genealogiam absolvere consuevit. Ita ante Sethitarum Generationes recensentur Cainitae, ante Generationes Sem Iaphetidae et Chamitae : ergo ante Generationes Ismael et Isaac dicendum erat de posteris Nachor et Aran, seu Lot qui filius Aran exstitit. De Lot in ipsis Abrahae actis dicebatur : supplenda ergo supererat genealogia Nachor. Quae ideo etiam adscribitur, quod Rebeccae, futurae Isaac uxoris, origines pandat. Licet utique primitus (cf. v. 20) genealogia ab Aramaeorum repetenda sit traditione, tamen a s. auctore compendio proponitur ita, ut vel Laban origo supprimatur, 24,29 supplenda. Quoniam tota compendio traditur atque fere parentheseos instar, ideo etiam non ornatur titulo אלה תולדות, parentheses quippe non solent titulis distingui.

Contradictionem recentiores in eo deprehendunt, quod Hus et Aram h. l. a Nachor deriventur, dum 11, 22 sq. hic filius Semi, ille filius Aram scribatur. Contra

quae nota, licet aliqua huius genealogiae nomina demonstrentur postmodum fuisse tribuum, non sequitur omnia fuisse : an exstitit specialis aliqua tribus Nachor, Bathuel? Ergo etiam Hus et Aram potuere esse individua, a quibus nullae distinctae ortae sint tribus. An est ita creditu difficile, Nachoridas aliquos habuisse nomina Hus et Aram, quae filii et nepotis Sem fuissent propria, cum diu post inter Hebraeos reperiantur viri Aram et Maacha (1 Par. 7, 34; 11, 43)? Praeterea, cum exstiterint gentes aliquae nominibus iisdem aut perquam similibus, num illud est penitus absonum, exstitisse in vastis Arabiae et Syriae tractibus tribus duas nominum Aram et Hus? Sed demus, nomina Hus et Aram h. l. ad easdem atque 11, 22 sq. referri gentes. Licet individui homines singuli singulos habeant patres, at una gens e variarum tribuum mixtione orta pluribus potest gloriari progenitoribus : id factum scimus in Samaritanis, Romanis etc. Facile igitur concedemus gentem Hus coaluisse e Nachoridis quibusdam et Horraeis (36, 28) Aramaeis admixtis, et Aramaeis ipsis ab Aram Semi filio progenitis se postmodum adiunxisse Nachoridas Camuele ortos, et Chaldaeis Arphaxade natis accessisse item Nachoridas aliquos, sc. Cased.

Formula omnino indeterminata genealogia praecedentibus copulatur : non dicitur post *omnia* narrata aut *unico* nuntio Abraham certior factus esse de universa fratris progenie; nomina didicit fortasse deinceps, cum non ita rari essent, qui e Syria per Palaestinam peregrinarentur Aegyptum versus. v. 20 : « *His ita gestis nuntiatum est Abrahae, quod Melcha quoque* » (cf. 11,29) « *genuisset filios Nachor fratri suo* » : v. 21 « *Hus primogenitum, et Buz fratrem eius, et Camuel patrem Syrorum* » vel *Aram*, v. 22 « *et Cased, et Azau, Pheldas quoque et Iedlaph* », *LXX* Ἰεκλεάφ; v. 23 « *ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. Octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahae* ». Alios quatuor genuit uxor secundaria. v. 24 « *Concubina vero illius nomine Roma* » — *Sam.* רומה, *Syr.* דומה (!), *LXX* Ῥεῦμα, sed *Lagarde* Ῥέημα, *Hebr. Chald.* ראומה — « *peperit Tabee et Gaham et Tahas, et Maacha* ».

Horum aliqui prorsus ignoti sunt, neque iuvat nomina simile quid sonantia ex omnibus cis et trans Euphraten pagis cogere. De *Hus* v. s.; si ab eo nomen accepit terra Hus Iob 1, 1, tum eius sedes collocandae erunt in Hauran : cf. *Knabenbauer* ib. — Elihu Iob 32, 2 scribitur Buzites, ergo fortasse a nostro *Buz* erat progenitus. Ier. 25, 23 Buz tribubus Arabiae accensetur. Tandem inscriptiones cuneiformes (*Del.* Par. 306 sq.) norunt gentes *Bâzu* et *Chazû* Arabes, fortasse circa Hauran incolentes, quas Del. coniicit easdem esse atque *Buz* et *Azau*. — *Aram* h. l. non videtur esse idem atque *Ram* Iob 32, 2, qui cum ib. videatur ortus referri ad Buz, non ita facile affirmandus est ortus esse Camuele. — De *Cased* cf. p. 32,9 sq. et Iob 1, 17. — A *Maacha* nomen videtur ducere regnum notissimum Beth Maacha, de quo diximus ad 2 Reg. 10, 6 fuitque postmodum a tribu Manasse absorptum. — Quae modo de Hus, Buz, Cased, Maacha notabamus, reapse suggerunt Nachoridas aut omnes aut plerosque circa Hauran incoluisse.

2. *Sarae funus* Gen. 23,1-20.

Arg. — Narrandum illud erat cum ob Sarae dignitatem, tum quod 24,67 ad illud funus alludatur. Hoc caput, uti cap. 14, vividissime antiquissimos mores depingit. Hethaei Abrahamum v. 6 titulo salutant נשיא, qui apud ipsos, uti apud Ismaelitas (cf. quae diximus p. 395), videtur in usu fuisse. Ib. vide de אחזה v. 4.9. 20 et בקנה v. 18. Usurpantur termini *legales :* קום v. 17. 20 significatione « confirmatus est » (cf. alios textus legales Lev. 25,30; 27,14. 17. 19), תושב v. 4 (cf. Lev. 22,10; 25,47; Ps. 38,13 ad Genesin alludens; 3 Reg. 17,1). Nomen Machpelah v. 9.17. 19 iis textibus (25,9; 49,29 vel 30; 50,13) adscribitur, quibus locus sepulturae patriarchae alicuius accurate erat determinandus : alias omittitur, v. g. v. 20. Quid vero in בני חת prodat scriptorem A (*Kn.*), dum 27,46 בנית חת redactori concedatur (*Dillm.*), equidem non video. An forte forma carens terminatione י? At 10,15 sq. legitur חת sine illo י, et sequuntur immediate alia nomina י ornata, ut sit evidens, auctorem unum eundemque illud י modo adscribere, modo omittere.

Cap. XXIII v. 1 « *Vixit autem Sara centum viginti septem annis* ». Notat *Per.* huius primae recenseri mulieris aetatem, quod mater exstiterit populi electi. *Hebr. : Et fuit vita Sarae* 127 *anni, anni vitae Sarae,* quam ultimam appositionem a *LXX Vulg.* non expressam *Dillm.* configit, quod non ita sit e genio elohistae : sic studio systematis s. textui violenta infertur manus. Memento *LXX Vulg.*, quod sapientium translatorum est, non consuevisse vertere de verbo ad verbum. v. 2 « *Et mortua est in civitate Arbee, quae est Hebron, in terra Chanaan* », quo Abraham, quod « advena et peregrinus » esset, rursum commigraverat (*Cai.*).

De *Ciriath Arbee*, quae ab Arbee de stirpe Enac (Ios. 15, 13; 21, 11) nomen habet, diximus ad Iud. 1, 10. *LXX* ἐν πόλει Ἀρβόκ (*Lagarde* Ἀρβόχ) ἥ ἐστιν ἐν τῷ κοιλώματι, αὕτη ἔστι Χεβρών. Idemque habet *Sam.* אל עבוק. Quod *Dillm.* pronuntiat de consilio esse adiectum ad hunc locum cum 37, 14 conciliandum et, quomodo Mambre et Hebron ad invicem habuerint, definiendum. Sc. 23, 19 legitur « Mambre, haec est Hebron », 35, 27 « Mambre, Ciriath Arbee, haec est Hebron », 13, 18 « in querceto Mambre, quod est in Hebron ». Civitas Hebron seu Ciriath Arbee erat in valle, quercetum uti alii sacri lucus videtur fuisse in loco altiore. Reapse nihil quoad 23,2 erat conciliandum, et lectio *Sam. LXX* suam solidam habet probabilitatem. Voce ארבע in ארבק (LXX) deformata, facile membrum אל עבוק etiam desinens in ק omitti potuit. v. 2. 19 additur *in terra Chanaan.* Auctor Iosue posterior certe non tam studiose situm Hebron descripsisset neque addidisset, civitatem omnium notissimam esse in terra Chanaan. Expressio nos revocat ad tempus, quo fixas Abrahamidae in

Chanaanitide sedes non habebant et quo Bersabee, ubi prius Abraham credendus est esse moratus, non erat uti postea in finibus Chananaeorum sed Philisthaeorum.

« *Venitque Abraham* ». « non quasi peregre advenerit et Sara moriente absens fuerit » (*Bonfr.*), quod volunt *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*; « sed funebri vestitu et comitatu multorum adit locum, ubi depositum fuerat cadaver » (*Per.*), « *ut plangeret et fleret eam* », qui sacrificaturus filium non fleverat (*Per.*). v. 3 « *Cumque surrexisset ab officio funeris* », *Hebr. : a facie mortui sui*, « *locutus est ad filios Heth dicens* » : v. 4 « *Advena sum et peregrinus apud vos* », et qua talis nullam terrae partem meo iure possideo (*Kn.*) : « *date mihi ius sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum* », מלפני (cf. v. 8), de coram me; *angl.* out of sight. Haec in porta v. 10 loquebatur Abraham, ubi negotia expediebantur. *Hebr. : possessionem sepulcri*, non petit licentiam utendi sepulturis Hethaeorum (*Cai.*), nolebat suos post mortem misceri incircumcisorum cadaveribus (*Bonfr.*), ipsum locum emere desiderat. v. 5 « *Responderunt filii Heth dicentes* » : v. 6 « *Audi nos, domine, princeps Dei es apud nos* », i. e. eximius et singulari praestantia (*Vat.*); ut principem te tractabimus, non ut peregrinum (*Calm.*). « *In electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere* [*poterit*], *quin in monumento eius sepelias mortuum tuum* ».

Pronomen לוֹ post לֵאמֹר scribi haud consuevit (*Houb.*) : hinc *Sam. LXX* hic et v. 14 vocem trahunt ad sequentia. Sed ipsi scribunt negationem לֹא, *nequaquam, domine*, quae tamen h. l. negatio admitti nequit, nisi cum LXX ordinem verborum invertas לֹא אֲדֹנִי שְׁמָעֵנִי. Melius hic et v. 14 punctes לִי : *Audi nos, quaeso, domine* (*Hitzig*). Quae lectio conformatur exquisitae urbanitati huius colloquii. Ita orientales vel hodie eiusmodi negotia peragunt. Ad urbis portam accedunt, ubi coram testibus transigitur res. Idem agit Abraham. Advenae nomine benevolentiam captat, sepulcri possessionem postulat. Illi urbane suorum sepulcrorum usum offerunt. Conditionis gratias ille rependit profunde inclinatus, verum ut sibi vendatur sepulcrum insistit. Illud, quod prae ceteris in votis est, sepulcrum designat, Ephronis. Non tamen virum alloquitur, sed reliquos ut apud eum intercedant orat. Ephron sepulcrum dono offert : huius rursus conditionis gratias Abraham profunde inclinatus rependit. Tandem emit. Cf. *Vigouroux*, La Bible I. 444 sqq. Idem auctor adnotat, Abraham nobis primum in scriptura exemplum dare condendorum, non cremandorum cadaverum.

v. 7 « *Surrexit Abraham et adoravit populum terrae, filios videlicet Heth* », v. 8 « *dixitque ad eos : Si placet animae vestrae, ut sepeliam mortuum meum, audite me et intercedite pro me apud Ephron, filium Seor,* » — Nomen צֹחַר etiam habet Simeonita 46,10; Ex. 6,15 et Iudaeus 1 Par. 4,7. *Sam.* צֹהַר הַחִתִּי, scriptio nominis etiam alias incerta — v. 9 « *ut det mihi speluncam duplicem* », — *Vulg.* vertit nomen se-

cundum etymologiam; sed verius *Vat.* retinet nomen proprium *Machpelah* — « *quam habet in extrema parte agri sui. Pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri* ». v. 10 « *Habitabat* » — melius LXX *sedebat* — « *autem Ephron in medio filiorum Heth* ». Praesens aderat : aut illum Abraham facie non noverat, aut hoc etiam erat urbanitatis, ut ab illis non immediate ad Ephron converteret sermonem, sed ut intercederent rogaret. « *Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens* » : v. 11 « *Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor. Agrum trado tibi et speluncam, quae in eo est, praesentibus filiis populi mei* », « publice, non privatim » (*Vat.*), cui rei iterum iterumque insistitur, cum ea maxime constet validitas contractus. « *Sepeli mortuum tuum* ».

Ingredientes civitatem, uti 34,24 *egredientes civitate*, simpliciter sunt cives (*Dillm.*). *Hebr.* : *in* (ב) *auribus filiorum Heth et* (ל) *omnibus ingredientibus portam civitatis*. Duae expressiones videntur esse synonymae. Dillm. putat alteram limitare priorem : quotquot ingrediebantur etc.

v. 12 « *Adoravit Abraham coram populo terrae* », v. 13 « *et locutus est ad Ephron circumstante plebe : Quaeso, ut audias me. Dabo pecuniam pro agro : suscipe eam et* [*sic*] *sepeliam mortuum meum in eo* ». Donum declinat, pretium offert Abraham.

Sensus planus, sed lectiones discrepantes. *Sam. LXX Targ.* : אך אם אתה לי שמעני. *profecto, si tu mihi, audi me;* ubi evidenter aliquid supplendum, v. g. *Chald.* : *si tu mihi conferre vis misericordiam*, seu brevius : si tu me audis, nam שמע etiam cum ל construitur. *Hebr.* : אך אם אתה לו שמעני, *profecto, si tu, audi quaeso me*, constructio priore etiam magis truncata. Cuius asperitatem persentiens *Vulg.* priorem partem suppressit. *Syr.* explicat : *si tu vis, audi me.* « Truncata sententia, quae optativo אם inchoabatur, pergitur urbaniore etiam לי cum imperativo » (*Dillm.*). Sed longe planiorem explicationem tradit *Hitzig* אתה interpretatus non pronomen sed kal verbi אות : Profecto, si tu consentis, audi quaeso me; vel : si tu mihi consentis, audi me; nam explicatio haec lectioni tam לי quam לו adaptatur. Neque obiicias, eius verbi kal secus non usu venire. Reapse verbum quater tantum legitur et quidem coniugatione niphal (34,15. 22. 23; 4 Reg. 12,9) : quid igitur mirum kal nonnisi semel, sc. hoc textu, legi?

v. 14 « *Responditque Ephron* » : v. 15 « *Domine mi, audi me. Terra,* |*quam postulas*|, *quadringentis siclis argenti* [*valet, istud est pretium*| *inter me et te,* [*sed*] *quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum* ». Iungendum est aut : Terra quadringentorum siclorum inter me et te, i. e. si de ea quaeratur inter nos, quid est hoc? aut cum LXX : Terra quadringentorum siclorum, quid est hoc inter me et te? Sensus erit idem; non

sane cum *Sa* (cf. *Vat.*) : « tam vili vendo propter te », cum ita oratio ab exquisita urbanitate ad avaritiam pudoris nesciam deflecteret. Sed verius *Cai.* illud *quid hoc* interpretatur « parvi momenti est », « quasi dicat : non decet te vel me, qui et amici et divites sumus, de tantula summa sollicitari » (*Menoch.*). Praetextu iterum declinandae emptionis, pretium indicat homo. Ita etiamnum agere orientales, vide apud *Vigouroux* l. c. et *Del.* — Ad textum cf., quae diximus ad v. 6. LXX pro שמעני erronee שמעתי. v. 16 « *Quod cum audisset Abraham* », — *Hebr. : et audivit Abraham Ephronem*, quod recte interpretatur *Drus.* « acquievit et assensit ei » — « *appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae* ». Ponderavit argentum : eandem expressionem habent etiam Assyri (*Schrader* KAT). Unde infert *Bonfr.*, non fuisse « signatas » argenti laminas, quod serius fecere Phoenices, sed gratuito coniicit *Del.* factum etiam esse Abrahae tempore.

Si *sicli* supponantur babylonici, quos debuit Abraham nosse e Chaldaea profectus, tum quadringenti illi aequabant 6732 grammata (cf. *Schrader*). A babylonico differebat quidem aliquantum Hebraeorum siclus posteriorum ; at num siclus, quo Abraham utebatur, debuit esse idem, quem Hebraei habebant ex Aegypto reduces? Quem vero valorem repraesentent quadringenti illi sicli definire haud valemus, cum, quod fuerit eo tempore argenti pretium, penitus ignoremus. Illi sicli certe non erant *nummi*, sed argenti frusta probabilius in laminas tusa. Erant autem עבר לסחר, *transientes negotiatori* seu, ut *Chald.* explicat, *quod accipitur pro mercibus in omnibus provinciis.* Erant iusti ponderis, non deficientis. Conferunt hic aliqui « pondus regium » 2 Reg. 14,26. Plura hoc textu docemur, quae aliis textibus et orientis antiquitatibus confirmantur : fuisse tum veri nominis negotiatores, qui mercaturae exercendae causa circumirent (סחר), merces non commutarent tantum, puta vestes pro frumento, sed auri et argenti pretio aestimarent.

v. 17 « *Confirmatusque est* » — i. e. in firmam et permanentem possessionem cessit — « *ager* [*quondam*] *Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre* », — verte : *qui erat in Machpelah, quod erat ad orientem Mambre* — « *tam ipse quam spelunca et omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum* », v. 18 « *Abrahae in possessionem, videntibus filiis Heth et cunctis, qui intrabant portam civitatis illius* ». *Hebr. Sam. Chald.* בכל, sed *LXX Vulg. Syr.* וכל : sensus utique est idem atque v. 10. Res empta accuratissime describitur, neque in eiusmodi instrumento iuridico aliqua verborum redundantia admirationem habet. v. 19 « *Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quae respiciebat Mambre* », — verte : *in spelunca agri Machpelah, ad orientem Mambre* — « *haec est Hebron in terra Chanaan* ». Ergo Hebron est Mambre : ad cuius orien-

tem reapse est Moschea Charam speluncas habens, quae traditur habere patriarcharum sepulcra. Sed christiani cum ab illa, praeter paucissimos viros nobiles, religiose excludantur, locus nondum satis exploratus est. Cf. *Baedeker-Socin* p. 172 sq. v. 20 « *Et confirmatus est ager et antrum, quod erat in eo, Abrahae in possessionem monumenti a filiis Heth* ».

3. *Nuptiae Isaac* Gen. 24,1-67.

Arg. — Abraham a nuptiis Chananaearum abhorrens mittit servum seniorem domus in Mesopotamiam ad quaerendam filio Isaac uxorem. Qui Deo providente occurrit prope Haran Rebeccae, Nachoris nepti, eamque Isaac nanciscitur uxorem. Narrationem omnes permittunt iahvistae, i. e. ei auctori, quem nos censemus reliqua etiam Abrahae acta enarrasse.

Cap. XXIV v. 1 « *Erat autem Abraham senex dierumque multorum* », senex non comparatione maiorum, quorum aliqui longe diutius vitam produxerant, sed aequalium (*Per.*); unde inferas, aetatem centum septuaginta quinque annorum vel Abrahae aevo fuisse extraordinariam. « *Et Dominus in cunctis benedixerat ei* ». Nihil supererat praestandum, nisi ut filio rite de uxore provideretur atque ita divinae benedictiones omnes in posteros transmitterentur. v. 2 « *Dixitque ad servum seniorem domus suae, qui praerat omnibus, quae habebat* » (cf. quae diximus ad 15,2. sq.): « *Pone manum tuam subter femur meum* », v. 3 « *ut adiurem te per Dominum Deum coeli et* » — *Deum* rursus scribunt reliqui, quo adiuratio fit solemnior — « *terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum, inter quos habito* ». Ille iurandi ritus supposita femori manu secus de solo Iacob 47,29 legitur; audacius igitur aliqui affirmant, eum tum ritum passim adhiberi consuevisse. Ille ritus proxime utique (*Ephr.*, *Theodoret.*) circumcisionem respiciebat, divini foederis signum; at cum istud foedus totum respiceret benedictiones per Abrahae posteritatem derivandas in omnes gentes, hinc merito *Ambr.* : « per femur generationem intelligimus, generatio autem Abrahae Christus est ». Chananaeos respuit Abraham, « quorum generis auctor patrem non honoraverat et ideo maledictionis haereditatem transmisit in suos » ; post quae verba *Ambr.* pulchre in matrimonia mixta invehitur. Neque par erat uxorem ab illis peti, qui praescirentur a posteris Abrahae aliquando esse exstirpandi. v. 4 « *Sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac* ». Terram suam intelligit non Chaldaeam sed Mesopotamiam, « quod necessarios ibi haberet versantes et quod

aliquamdiu sedes ibi cum parente suo Thare habuerit » (*Calm.*). Vel etiam Aram Naharaim tota intelligebatur utrique flumini adiacens regio, quatenus ab Arphaxadaeis et Aramaeis obtinebatur. In uxore maxime quaeruntur mores et religio, quam igitur seligendam suscipit Abraham, et quidem non per se sed per servum senem. Celebrat autem Isaaci fidem et castitatem *Rup.*, quod « illam exspectaret coniugem, quam Deus daret, non quam concupiscentibus oculis ipse cum dote magna rapuisset ». Cur vero non ipsum Isaac in Mesopotamiam mittit Abraham, praesertim cum 28,1 Iacobum Isaac eodem miserit? Quandoque in simili negotio dissimilia agunt viri etiam sancti. Minus pronus ad filium in Mesopotamiam remittendum fuit patriarcha, qui ipse divino mandato indidem egredi iussus fuerat (*Proc.*); dum Iacobo non solius uxoris quaerendae, sed irae potissimum fratris declinandae causa Mesopotamia fuit petenda. Addit *Per.* unicum penes se habuisse filium Abraham, duos Isaac. Aderant fortasse Abrahae etiam filii Ceturae, sed sane eximie carus erat patri filius ille, qui a sene genitus et immolantis ensi fuerat ereptus.

v. 5 « *Respondit servus : Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?* » Alia ratio excogitari haud poterat, cum neque caelebs perseverare posset vir, cui posteritatis benedictio fuisset promissa. v. 6 « *Dixitque Abraham : Cave, nequando reducas filium meum illuc* ». Id adversari iudicabat divino mandato, quo ipse e Mesopotamia fuerat evocatus, et promissionibus, quibus Chanaanitis posteris possidenda attribuebatur (*Per.*) : v. 7 « *Dominus Deus coeli, qui tulit me de domo patris mei et de terra nativitatis meae, qui locutus est mihi et iuravit mihi dicens : Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te et accipies inde uxorem filio meo* ». Haec patris pia in Deum fiducia; verum etsi hac exspectatione consensurae providente Deo mulieris se falli posse persentiat, neque, quomodo tum difficultate se expediat, perspiciat, tamen filium in Mesopotamiam contra Dei voluntatem reduci absolute vetat, totam rem uti in sacrificio Isaac Dei providentiae committens : v. 8 « *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento. Filium meum tantum ne reducas illuc* ». v. 9 « *Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui et iuravit illi super sermone hoc* ».

v. 10 « *Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit* » — cum duplex וילך admirationem faciat, vox h. l. et ante sequens incisum reapse abundet, et lectio וילך וכל facile oriri potuerit repetito vel corrupto לכל, hinc probabilitatem habet lectio LXX prius וילך ignorans — « *ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit*

in Mesopotamiam » (cf. quae de Aram Naharaim diximus 10,22; Iud. 3,10) « *ad urbem Nachor* », i. e. Haran 27,43; 28,10. Videtur eo commigrasse Nachor post Abraham, cum 12,5 non recenseatur. v. 11 « *Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquae vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam* » (cf. 1 Reg. 9,11), « *dixit* » : v. 12 « *Domine Deus domini mei Abraham* », « quamvis ego sum indignus, respice herum meum » (*Proc.*); « *occurre, obsecro* », — seu potius *occurrere fac* « uxorem » (*Ps. Ion., Targ. Hier.*), « quod opto » (*Sa*) — « *mihi hodie* », i. e. « nunc » (*Vat.*), « *et fac misericordiam cum domino meo Abraham* », « voti compotem fac » (*Chrys.*). Quae sequuntur, non sunt vana observatio (*Aug.*), sed « ex instinctu Dei vel angeli (v. 7) servus sibi signum hoc constituit » (*Tir.*). « Nec ipse petendae puellae iudicium suis commisit oculis, qui solam faciem, non etiam mores aut virtutem pervidere possent, sed secundum herilem fidem credens, quod domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spem » (*Rup.*). « Congruum etiam erat signum : erat enim signum bonae uxoris et indolis affabilis, hospitalis, providae et strenuae » (*Menoch.*). v. 13 « *Ecce ego sto prope fontem aquae, et filiae habitatorum huius civitatis egredientur ad hauriendam aquam* ». v. 14 « *Igitur puella, cui ego dixero : Inclina hydriam tuam, ut bibam; et illa responderit : Bibe, quin et camelis tuis dabo potum : ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac, et per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo* ».

Eventus illico secutus ostendit orationem non fuisse superstitiosam (*Per.*). v. 15 « *Necdum intra se* » — vocem habent etiam *Sam. LXX* — « *verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchae uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua* », v. 16 « *puella decora nimis, virgoque* [*pulcherrima*] *et incognita viro* », quod est ἓν διὰ δυοῖν. Laudatur venustas et castitas. « *Descenderat autem ad fontem et impleverat hydriam et revertebatur* ». v. 17 « *Occurritque ei servus et ait : Paurillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua* ». v. 18 « *Quae respondit : Bibe, domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam et dedit ei potum* ». v. 19 « *Cumque ille bibisset, adiecit : Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant* ». v. 20 « *Effundensque hydriam in canalibus* », e quibus pecora bibebant (cf. 30,38), « *recurrit ad puteum, ut hauriret aquam, et haustam omnibus camelis dedit* ». v. 21 « *Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non* ». Primum nihil agebat aut loquebatur, sed adspiciebat (שאה = שעה), utrum

signum a Deo petitum plene et quoad omnia impleretur (*Dillm.*).

v. 22 « *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem* ». Protulit χάριτος ἀμοιβὴν καὶ γέρας (*Ios.*); « desponsationis symbola » (*Theodoret.*) nonnisi v. 53 commemorantur. Pro *inaures* habet *Hebr. annulum*, eumque intelligi naribus inserendum, quales etiamnum ab Arabibus traduntur puellis, quarum matrimonium expetunt (*Calm.*), patet cum numero singulari tum *Sam.* addente וישם על אפה, *et posuit in naribus eius*. Quod additamentum crediderim esse genuinum, sed excidisse antiquitus, scriba aliquo a וישם transiliente ad similem vocem ושני.

Huic *annulo* tribuunt *Hebr. Sam. LXX Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* pondus *dimidii sicli*. *Chald. Syr.* habent *siclum*, sane quod duas finxerint inaures dimidii sicli. *Hier.* apud LXX videtur legisse διδραχμήν, quod efficeret siclum unum. Quomodo ad *siclos duos* idem devenerit, explicari nequit (cf. *Verc.*); explicatio, quam tradit in Quaest. hebr., certo falsa est.

Sequentes quaestiones censent *Cai., Sa* rogatas esse, antequam annulus et armillae donarentur : at falso. Data sunt haec, ubi primum, signo a Deo petito plene praestito, constitit hanc divinitus puellam praeparatam esse Isaaco. At, ubi de adeunda paterna domo agebatur, nomen utique patris rogandum erat. Dices, e v. 47 effici videri, primum rogatas quaestiones, dein tradita munera. Obvia solutio est, acta haec esse simultanee; debuere autem duabus ex ordine sententiis referri; igitur v. 22 sq. munera primum, v. 47 quaestiones recensentur. v. 23 « *Dixitque ad eam : Cuius es filia? indica mihi. Est in domo patris tui locus ad manendum?* » v. 24 « *Quae respondit : filia sum Bathuelis, filii Melchae, quem peperit ipsi Nachor* ». Matris Rebeccae (cf. v. 53) nomen non traditur : at semper inculcatur aviam fuisse Nachoris uxorem primam, non secundariam. Plus etiam offert puella, quam fuerat rogata (*Chrys.*), non locum tantummodo sed etiam pabulum : v. 25 « *Et addidit dicens : Palearum quoque et foeni plurimum est apud nos et locus spatiosus ad manendum* ». Iam certissime perspiciens servus, prosperum iter suum fecisse Deum, v. 26 « *inclinavit se homo et adoravit Dominum* », v. 27 « *dicens : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem* », i. e. fidelitatem, « *suam a domino meo et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei* ». *Masor. : fratrum*, i. e. cognatorum.

v. 28 « *Cucurrit itaque puella et nuntiavit in domum matris suae omnia, quae audierat* ». Variae unius viri uxores seorsim habitabant

(*Cai.*). Utrum Bathuel puellae pater fuerit tum adhuc inter vivos, disquiremus ad v. 50. v. 29 « *Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban; qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons* ». Cum v. 30 praecedente versu dicta enucleatius evolvat, *Dillm.* supponit disiecta esse membra, ut primitus nomen *Laban* immediate exceperit v. 30 usque ad athnach, atque inde textus fuerit : « festine egressus est ad hominem, ubi erat fons, venitque ad virum etc. ». Planius *Cai.*, *Bonfr.*, quibus assentitur *Del.*, censent v. 30, quae v. 29 summatim expresserat, evolvere inseruntque initio vocem *enim*. v. 30 « *Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suae et audisset cuncta verba referentis : Haec locutus est mihi homo; venit ad virum, qui stabat iuxta camelos et prope fontem aquae* », v. 31 « *dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini* », qui tuis te verbis professus es cultorem Domini et « cui Deum favere cerno » (*Menoch.*) : « *cur foris stas? Praeparavi domum et locum camelis* ». v. 32 « *Et introduxit eum in hospitium* » — *Hebr. in domum* — « *ac destravit camelos, deditque paleas et foenum* » *camelis*, « *et aquam ad lavandos pedes eius et virorum, qui venerant cum eo* ».

Reliqui *et ingressus est vir*, et ita debet punctari, cum non sequatur את. Ergo in sententia mutatur subiectum, quod non infrequens est apud Hebraeos. Non inepte *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* etiam pro altero inciso subiectum adstruunt servum Abraham, ut is non alium aliquem passus sit desternere camelos. Postea subiectum est Laban et nota, etiam hunc primum camelis, postea hominibus providisse.

v. 33 « *Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait : Non comedam, donec loquar sermones meos* », « nisi prius exposuero, cuius rei gratia huc missus sim » (*Menoch.*). « Non prius meae quietis rationem habebo » (*Chrys.*). « *Respondit ei : Loquere* ». Iam heri causam acturus servus primum heri divitias celebrat, quae unius universae filii sint futurae (*Cai.*) : acceptior enim esse consuevit procus dives egeno. Simul divitias Deo tribuens acceptas ostendit se et herum veri Dei esse cultores. v. 34 « *At ille : Servus, inquit, Abraham sum* », v. 35 « *et Dominus benedixit domino meo valde magnificatusque est; et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos* ». 36 « *Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua* », — vox *Vulg.* est anceps uti ipse textus hebr., quem mutata punctatione *Masor.* referunt ad Saram, *LXX* ad Abraham — « *deditque illi omnia, quae habuerat* ». E quibus verbis cum 25,5 collatis infert *Dillm.*, ordinem narrationis esse inversum nostrumque primitus caput post 25,5 sq. fuisse insertum. Quod est plane ridiculum. 25,1-6 se habet ad instar appendicis, qui similiter atque Genera-

tiones Ismael 25,12 sqq. extremis Generationibus Thare adnectitur. At perperam supponat quis, omnia 25,1-18 narrata *post* cap. 24 narrata accidisse. Iam ante Isaaci nuptias potuit filios genuisse Ismael; iam ante servum in Mesopotamiam deputatum dederat Abraham sua universa Isaaco. v. 37 « *Et adiuravit me dominus meus dicens : Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum, in quorum terra habito* »; v. 38 « *sed ad domum patris mei perges et de cognatione mea accipies uxorem filio meo* ». v. 39 « *Ego vero respondi domino meo : Quid si noluerit venire mecum mulier?* » v. 40 « *Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo* », cui servio, quem colo (cf. 17,1), « *mittet angelum suum tecum et diriget viam tuam, accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea et de domo patris mei* ». v. 41 « *Innocens eris a* » *iuramento* illudque consequente « *maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos et non dederint tibi* »; *et eris immunis a iuramento meo.* v. 42 « *Veni ergo hodie ad fontem aquae et dixi : Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo* », v. 43 « *ecce sto iuxta fontem aquae et virgo, quae egredietur ad hauriendam aquam* » et « *audierit a me : Da mihi pauxillum aquae ad bibendum ex hydria tua* »; v. 44 « *et dixerit mihi : Et tu bibe et camelis tuis hauriam : ipsa est mulier, quam praeparavit Dominus filio domini mei* ». v. 45 *Hebr.* orditur verbotenus uti v. 15 : *Ego nondum compleveram loqui in corde meo.* « *Dumque haec tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula, descenditque ad fontem et hausit aquam. Et aio ad eam : Da mihi* [*paululum*] *bibere* ». Cf. *Sam.* v. 46 « *Quae festinans deposuit hydriam de humero et dixit mihi : Et tu bibe et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavit camelos* ». v. 47 « *Interrogavique eam et dixi : Cuius es filia? Quae respondit : Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, et armillas posui in manibus eius* ». v. 48 « *Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius* ». Re tam fideliter enarrata iam, ut ipsi decernant, rogat servus v. 49 *: Et nunc,* seu « *Quamobrem, si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi; sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram sive ad sinistram* », « ut alio me vertam » (*Chrys.*), cf. 13,9. Non satis plane *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* « ad meridiem aut ad septentrionem ». *Misericordiam* dicit seu gratiam, quia non tenebantur (*Cai.*); *veritatem* seu fidem, qualis decet cognatos (*Kn.*).

v. 50 « *Responderuntque Laban et Bathuel : A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui*

tecum ». *Hebr. : non possumus loqui ad te neque bonum neque malum*, i. e. nihil, cf. 31,24. 29; 2 Reg. 13,22. « Matris et puellae nulla hic mentio : tantum valebat ius paternum eo tempore » (*Grotius*).

Quaeritur, quis ille sit *Bathuel*. Quem patrem puellae censent *Chrys.*, *Cai.* At pater secus in tota narratione non comparet, solummodo fratrum et matris v. 53. 55 fit mentio, ad « domum matris » v. 28 currit puella. Hic vero Bathuel etiam *post* Laban recensetur. Unde colligas, frustra h. l. *Del.* et *Dillm.* appellare polygamiam, ob quam factum sit, ut fratres etiam in sororibus nuptui tradendis interrogandi fuerint. Citant 34,5. 11. 25; Iud. 21,22; 2 Sam. 13,22. At factum Dinae scelus fuit etiam polygamorum legibus adversum; reliqua certe non explicant, cur Laban ante Bathuel scribatur. Hinc censent *Ios. Syr. Calm.* patrem Bathuel iam fuisse vita functum atque h. l. recenseri Bathuel aliquem Labani fratrem minorem. Non tamen potest haec sententia confirmari e plurali « fratres » v. 53. 55. Etenim v. 53 punctabant utique *Vulg. Syr. Vers. Sam.* pluralem; at *Masor. LXX Chald.* singularem. v. 55 legunt *Vulg. LXX Syr. Vers. Sam.* verbum et nomen plurali numero, *Sam.* certe verbum; e contra *Hebr. Chald.* verbum et nomen singulari scribunt. Potuit etiam vox *Bathuel* orta esse ex antiquissima cuiusdam scribae glossa, qui nefas putaret patrem Bathuel in filia nuptui tradenda ignorari.

v. 51 « *En Rebecca coram te est, tolle eam et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus* ». v. 52 « *Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum* », v. 53 « *prolatisque vasis argenteis et aureis* » — rebus ad mundum muliebrem pertinentibus, vox enim *vasa* latissimae est acceptionis (*Bonfr.*) — « *ac vestibus, dedit ea Rebeccae* [*pro munere*] », quale sponsus consueverat offerre; « *fratribus quoque eius et matri dona obtulit* », quae quandoque haud aliud erant, nisi traditae sponsae pretium ac veluti emptio. Nunc tandem, quem v. 33 declinaverat, cibum sumit servus v. 54 : « [*Inito convivio*] *vescentes pariter et bibentes* » *ipse et viri, qui cum eo erant,* « *manserunt ibi. Surgens autem mane locutus est puer : Dimitte me, ut vadam ad dominum meum* ». v. 55 « *Responderuntque fratres eius et mater : Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur* ». Semper, ut profectio postponatur, orientales supplicant, cf. Iud. 19,4 sq.

יבים או עשור. Nota alteram vocem, quod concessionem aliquam exprimit, debere exprimere tempus priore brevius; יבים autem (cf. quae diximus ad 1 Reg. 1,3; 27, 7; Iud. 17,10) est *annus* : quid ergo erit *decas* עשור, nisi decas mensium? Hinc *Targ. annum aut decem menses.* Sed *Sam. Syr.* pro עשר legebant חדש, ergo *annum aut mensem.* Quae lectio est omnino praeferenda.

v. 56 « *Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam; dimittite me, ut pergam ad dominum meum* ». v. 57 « *Et dixerunt :*

Vocemus puellam et quaeramus ipsius voluntatem ». « Consulitur puella non de sponsalibus, sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die » (*Ambr.*). v. 58 « *Cumque vocata venisset, sciscitati sunt : Vis ire cum homine isto? Quae ait : Vadam* ». v. 59 « *Dimiserunt ergo eam et nutricem illius* », cuius nomen Debora 35,8, — *LXX* pro מנקתה legebant מקנתה (*Calm.*) — « *servumque Abraham et comites eius* ». « Decens, ut ad nuptias absque parentibus virgo proficiscens nutricis solatio foveretur » (*Hier.*). v. 60 « *Imprecantes prospera sorori suae* », uti etiamnum usus habet in oriente et cf. Ruth 4,11, « *atque dicentes : Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas* », quod recte interpretantur *LXX Chald. urbes,* et hinc consequenter *Syr. regiones* « *inimicorum suorum* ». Posteritatem numerosam atque florentem apprecantur. v. 61 « *Igitur Rebecca et puellae illius ascensis camelis secutae sunt virum, qui festinus revertebatur ad dominum suum* ». Loco alterius versus partis *Hebr. : et sumpsit servus Rebeccam et abiit.* Longum sermonem texuerat, sed negotium ipsum brevissimo, quo potest, tempore absolvit.

v. 62 « [*Eo autem tempore*] *deambulabat Isaac per viam, quae ducit ad puteum,* [*cuius nomen est*] *Viventis et Videntis* » (cf. 16,14). Secundum lectionem *Sam. LXX* verte : *Iverat autem Isaac in desertum Lechai Roi.* « *Habitabat enim in terra australi* », in Negeb. v. 63 « *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die* ». Verte : *Et egressus fuerat ad lamentandum in agro etc.* Haec referuntur ad Isaaci v. 67 de morte matris luctum acerbissimum. Igitur primum secesserat de Hebron, ubi mater supremum diem obierat et sepulta iacebat, atque in Negeb tentoria fixerat. Sed neque sic luctum compescuerat; interdiu, quod crediderim, matrem in tentorio lugebat; sub vesperam lamentaturus in agrum egrediebatur.

בא מבוא convenientem sensum non dat : venit a veniendo ad puteum, venit e regione putei. Ita *Dillm.* appellans 10,19. 30; Num. 13,21 : sed immerito hi textus conferuntur. Non quaeritur, unde veniens, sed ubi Rebeccae occurrerit Isaac. Quod exprimit lectio *Sam. LXX* בא במדבר. — Quid sit שוח, coniecturis versiones definire student. *LXX confabulari, Syr. deambulare.* Alii recte idem esse censent atque שיח; inter quos *Vulg.* vertit *meditari, Targ. orare.* Sed radici pluribus textibus convenit significatio *lamentandi* (*Kn.*) : Ps. 54 (55), 3 « contristatus sum in lamentatione mea »; ib. v. 18 « vespere et mane et meridie lamentabor et suspirabo »; Ps. 141 (142), 3 « effundo in conspectu eius lamentationem meam »; Iob 7,11 « lamentabor in amaritudine animae meae »; ib. v. 13 « assurget in lamentatione de lecto suo »; Prov. 23,29 « cui lamentatio? » Ergo haec significatio h. l. praeferenda, optimum efficiens sensum : describitur sc. Isaac luctu amissae matris adhuc oppressus. Unde perspicies, quam inepte recentiores aliqui ob v. 36 fingant, cap. 24 primitus post 25,1-6 fuisse insertum : quia potius cap. 24 cum cap. 23 narrata morte Sarae individue connectitur.

« *Cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul* ». v. 64 « *Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo* », v. 65 « *et ait ad puerum : Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis?* » Advertere iam *Cai.*, *Bonfr.*, *Per.*, praepostere narrari prius Rebecca de camelo descendisse, postea quem obvium haberet didicisse. Si eum honoratura descendebat, at quomodo poterat velle honorare, quem nesciebat? ותפל primitus significat *decidit;* unde derivari potest significatio *descendit*, at etiam altera significatio *inclinavit se*, sc. interrogatura (*Targ. Syr.*). Cf. ad Iud. 1,14. « *Dixitque ei : Ipse est dominus meus* ». Monet *Dillm.*, v. 36 suppetere sufficientem rationem, cur praeter Abraham etiam Isaac *dominus* vocetur a puero, i. e. a servo illo seniore. Mirabatur iam *Cai.*, cur Abrahae nulla fiat mentio extremo hoc capite. Fortasse, quia ipse in Negeb non secesserat, sed Hebrone prope sepulcrum Sarae perstiterat. « *At illa tollens* [*cito*] *pallium operuit se* ». « Ex hac consuetudine operiendi faciem nubendi et nuptiarum nomina emanarunt » (*Cai.*). Cf. *Plin.* 21,22. Etiamnum in oriente sponsa velata occurrit sponso : cf. *Dillm.* v. 66 « *Servus autem cuncta, quae gesserat, narravit Isaac* ». Fortasse eadem in Hebron antea narraverat Abrahae. v. 67 « *Qui introduxit eam in tabernaculum Sarae matris suae, et accepit eam uxorem; et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret* ». *Hebr. : et dilexit eam, et consolatus est Isaac ob matrem suam.*

4. *Abrahae e Cetura filii, divitiae, funus* Gen. 25,1-11.

Arg. — Pericope adiicitur ad absolvendas Generationes Thare seu historiam Abraham. Cuius mors et sepultura narrantur, prius tamen nuptiae cum Cetura initae appendicis instar subiiciuntur. Sane non fuere eae initae post mortuam Saram a viro aetate confecto : probabilius diu ante, non tamen ante natum Isaac, cf. 21, 9 sqq. Quae de morte et sepultura Abrahae v. 7-11[a] traduntur, recentiores ei concedunt auctori, qui etiam secus genealogias contexuerit. Lubentes concedimus, stilo genealogiarum hos versus esse exaratos, sive ab eodem qui priores concinnaverit genealogias, sive ab alio qui antecessorum stilum fideliter sit imitatus. Altera v. 11 pars Isaaci sedes describens indubie respicit v. 18 Ismaelis sedes describentem, et est fortasse addita a redactore, qui haec documenta compegit.

Diversorum auctorum vestigia aliqua deprehendunt neoterici. Quorum primum affertur contradictio inter v. 3 et 10,7 : ibi Saba et Dadan Cuschitis, hic Abrahamidis accensentur. Recole, quod diximus, licet unus homo non possit duobus nasci patribus,

unum populum vere posse duobus progenitoribus adscribi : tribus Saba et Dadan e Cuschitis et Abrahamidis commixtae et Chus et Abraha gloriantur parentibus. — v. 6 Ismaelem non efferri nomine, non efficit eum versum alius esse auctoris atque v. 9 Ismaelis nomen habentem. Sane, ut filius tot divinis benedictionibus cumulatus et fratrum natu maximus in patris funere nomine appellaretur, aequum erat; ut eius v. 6 nomen scriberetur, ubi omnes praeter Isaac filii eadem dona accepisse narrantur, nulla suadebat ratio. — Quod auctor quandoque ante dicta repetat aut ad ea alludat, id demonstrat eum praecedentem etiam narrationem callere : auctorne sit diversus an idem, per se non dirimit. Idem dic de adhibitis vocibus ילד (non הוליד : sed quid inde!) et בנו, omnino sicut Gen. 10 : norat sc. noster auctor cap. 10 et res eidem affines iisdem vocibus expressit. Clausula item v. 4 est ad instar clausularum 10,20. 31. 32. — Dicunt, 25,1 et 6 diversorum esse auctorum, quod ibi vox אשה, hic פילגש scribatur. Respondeo : ubi narratur matrimonium initum, exprimi imprimis oportet mulierem assumptam esse in *uxorem;* fuisse uxorem *secundariam* satis exprimitur voce ויסף; e contra v. 6 omnino exprimendum erat agi de uxoribus *secundariis*.

Cap. XXV v. 1 « *Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Cetturam* ». Tota haec genealogia repetitur 1 Par. 1,32 sqq. Cetura sonat *incensum*, nomen aptum mulieri : at ridicule coniicit *Sprenger* (cf. Dillm.), Ceturam affictam esse ut matrem tribuum, quae incensum divenderint. LXX scribunt Χεττούρα, acsi nomini aliquid cum Hethitis esset commune. v. 2 « *Quae peperit ei Zamram et Iecsan et Madan et Madian et Iesboc et Sue* ». v. 3 « *Iecsan quoque genuit Saba et Dadan. Filii Dadan fuere Assurim et Latusim et Loomim* ». v. 4 « *At vero ex Madian ortus est Epha et Opher et Henoch et Abida et Eldaa. Omnes hi filii Ceturae* ».

Fortasse verum est, quod ait *Ios.*, hos « occupasse Troglodyticam et regionem Arabiae Felicis, quatenus ad Rubrum Mare protenditur ». Sed, quae addit ex Cleodemo Iudaeo certe falsa sunt. De *Saba* et *Dadan* iam dictum est. Cf. *Schrader*. Frequens in s. scriptura *Madianitarum* mentio, licet fortasse ea gens non tota ex Abraham ortum duxerit, uti etiam Saba et Dadan. Habitabant prope montem Horeb Ex. 3,1; 17,6; 18,5, itemque Moabitarum erant finitimi Num. 31. Gen. 37,25 sqq. etiam Ismaelitae appellantur, cum qua gente intima eis videtur fuisse necessitas. Ad *Sue* cf. Iob 2,11. Ad *Epha* cf. Is. 60,6; quam tribum censent esse eandem atque Chaiapa vel Cbaipa, quae in textibus cuneiformibus frequenter in Arabia septentrionali recensetur. Alia vide apud *Kn., Dillm.* : habent ea praeter meras nominum assonantias vix quidquam.

v. 5 « *Deditque Abraham cuncta, quae possederat, Isaac* »; v. 6 « *filiis autem concubinarum largitus est munera* » (cf. 20,14) « *et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem* ». *Hebr. : orientem versus, in regionem Qedem* seu Arabiam; et nota *Sam.* legere קדמה, cf. v. 15 : illuc eos secedere iussit, « ne cum Isaac contenderent eumque in terrae promissae possessione

turbarent » (*Menoch.*). Id autem fecit *dum adhuc ipse viveret*, ergo auctoritate paterna, quae in dubium vocari aut ignorari haud posset impune. Miratur *Dillm.* dona data etiam Ismaeli, qui 21,20 sq. domo paterna excesserit, hincque diversos subodoratur auctores. At, num patrem nunquam invisit Ismael? num inimici fuere pater et filius? Funeri certe interfuit Ismael.

v. 7 « *Fuerunt autem dies vitae Abrahae centum septuaginta quinque anni* ». Esau et Iacob eo superstite nati sunt (*Per.*). v. 8 « *Et deficiens mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum* », — ימים praeter *Hebr. Chald.* habent omnes — « *congregatusque est ad populum suum* ». « Hoc non potest intelligi de corpore, quod cum suis in patria sepultum non est : intelligendum ergo de anima, quae post mortem superstes et immortalis » (*Menoch.*). Cf. 15,15. v. 9 « *Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici* » seu Machpelah, « *quae sita est in agro Ephron filii Seor Hethaei, e regione Mambre* », v. 10 « *quem emerat a filiis Heth; ibi sepultus est ipse et Sara uxor eius* ». v. 11 « *Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viventis et Videntis* ».

II. GENERATIONES ISMAEL GEN. 25,12-18.

Arg. — Novas incipere Generationes patet cum titulo *Hae sunt generationes Ismael*, tum structura aliis generationibus, imprimis Generationibus Esau affini. Cf. ad titulum v. 13 secundarium 36,10 « Et haec nomina filiorum eius ». « Primogenitus » item effertur 10,15; 22, 21. Cum clausula v. 16 « Isti sunt filii Ismaelis », cf. 36,19 clausulam « Isti sunt filii Esau ». Cum v. 13 « in vocabulis et generationibus suis » et cum altera clausula v. 16 « haec nomina per castella et oppida eorum », cf. 36,40 « Haec ergo nomina ducum Esau in cognationibus et locis et vocabulis suis ». Cum « principum » appellatione v. 16 cf. « ducum » nomen 36,19.40. Tandem cum sedium descriptione v. 18 cf. 36,8. 43.

v. 12 « *Hae sunt generationes Ismael filii Abrahae, quem peperit ei Agar Aegyptia, famula Sarae* », v. 13 « *et haec nomina filiorum eius in vocabulis* ». — *Hebr. nominibus* — « [*et*] *generationibus suis* ». Constructio est sane nonnihil pleonastica. *Drus.* : per nomina secundum generationes suas seu aetatem, i. e. nomina ordine aetatis recen-

sentur; cf. vocem « primogenitus » illico nomini Nabaioth adscriptam. Posset intelligi constructio e duabus confusa : Hae sunt generationes secundum nomina; haec sunt nomina secundum generationes. « *Primogenitus Ismaelis Nabaioth, [deinde] Cedar et Adbeel et Mabsam* », v. 14 « *Masma quoque et Duma et Massa* », v. 15 « *Hadar et Thema et Iethur et Naphis et Cedma* ». Cf. 1 Par. 1,28 sqq.

De his plura novimus, quam de filiis Ceturae. ***Nabaioth*** (Gen. 36,3; Is. 60,7) et ***Cedar*** (Cant. 1,4 vel hebr. 5; Is. 21,16 etc.), gregibus abundantes et tentoriis conspicui, in textibus cuneiformibus recurrunt ut Nabaitai et Kadru, apud auctores antiquos ut Nabataei et Cedrei. ***Adbeel*** est Idibi' il vel Idiba' il cuneiformium. Nomina ***Mabsam*** et ***Masma*** habentur etiam 1 Par. 4,25. Habes ***Duma*** tribus Iuda Ios. 15,52; alteram Idumaeae Is. 21,11 : sed hae non pertinent huc. Alia etiam loca hodie similia nomina habent, unde caute procedendum interpreti. Cum ***Massa*** conferunt Mas cuneiformium, nomen tribus in septentrionali parte Arabiae. Pro ***Hader*** legunt *Sam. Chald.* et 1 Par. 1,30 ***Hadad***, initio vocis item legitur modo ח, modo ה. ***Thema*** Is. 21,14 cum Dedan, Ier. 25,23 cum Dedan et Buz recensetur (cf. Iob 6,19); apud Assyros Timai, qui cum Mas citantur. De quibusdam nominibus similibus cf. ***Dillm.*** ***Iethur*** sunt Ituraei, qui 1 Par. 5,19 sq. cum ***Naphis*** recensentur et incolebant Libanum et Antilibanum et ad meridiem Damasci.

v. 16 « *Isti sunt filii Ismaelis, et haec nomina per castella et oppida eorum* », per pagos apertos (Lev. 25,31) et tabernaculorum castra mobilia (Ez. 25,4), « *duodecim principes tribuum suarum* ». v. 17 « *Et facti sunt anni vitae Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est et appositus ad populum suum* ». Ex qua expressione audacius inferebat *Tost.*, salutem consecutum esse Ismaelem. Pro עביו *Sam.* עביה, et consentiunt reliqui. v. 18 « *Habitavit autem* » — *Hebr. Sam. Chald. Syr. : habitaverunt* — « *ab Hevila usque Sur, quae respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios* ». Si *Hevila* sit idem locus, uti 10,29, tum quaerendus erit in interiore Arabia, potius meridiem versus. Verte : *usque ad murum, qui est ad introitum Aegypti, si pergas Assyriam versus.* Et cf. quae diximus ad 1 Reg. 15,7. « *Coram cunctis fratribus suis obiit* ». נפל h. l. (cf. Iud. 7,12) cum *LXX Chald. Syr.* vertendum est *havitavit :* etenim sedes hoc versu describuntur, mors v. 17 absolvebatur. De morte nonnisi violenta נפל scribitur. *Hier.* mortem interpretatus, cogitur asserere « fratres pro filiis appellari » : at, ubi de universae gentis protoparente agitur, num potest eius progenies *fratres* appellari? Ergo intelligendi erunt Ismaelis veri fratres e Sara et Cetura : at primum fratrum obiisse, apud Hebraeos maledictionis genus quoddam censebatur. Verba sunt impletio prophetiae 16,12 (*Vat.*) : « e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula ». Ultra fines reliquorum omnium proprios fines nactus est, eosque latissime patentes.

Concedamus, 25,19 sq. ab auctore Genesis videri narrationi primum individuae inserta, quo et titulus reliquis Generationibus correspondens introduceretur, et post intextas Generationes Ismael, quae de Isaac nativitate et nuptiis ante fuerint relata, compendio resumerentur. Narrationem pridem continuam (cf. p. 41) videtur etiam *Ephr.* agnovisse, v. 21 immediate iungens v. 11 : « Benedixit Deus Isaac, deprecatusque est pro Rebecca, quae erat sterilis ». Porro in illis versibus 19 sq. aetas adscripta et forma תולדת priorum genealogiarum ritum imitantur : quarum videlicet narrator oppido gnarus stilum est imitatus. Ubi recolas, quae de genealogiarum origine disputabamus, eas non ab uno aliquo auctore esse contextas, sed sponte crevisse, singulis generationibus nova addentibus nomina et annos, expressionibus perseverantibus iisdem.

Generationes Isaac vix fata Isaac enarrant, totae sunt in Iacob et Esau fatis pandendis. Vel prima pericope geminorum nativitatem describit et praecox dissidium.

A. Acta ante iter Iacob in Syriam Gen. 25,19-28,10.

1. *Filii in utero collidentes* Gen. 25,19-26.

v. 19 « *Hae* [*quoque*] *sunt generationes Isaac filii Abraham : Abraham genuit Isaac* ». Patris nomen secus (5,1; 6,9; 11,10. 27; 36, 1; 37,1 sq.) non adscribitur. Adscribitur tamen in titulo Generationum Ismael v. 12, cui noster hic titulus conformatur : utrobique habetur *filii Abraham*. Et sicut ibi *matris* nomen additur, quae, cum *famula Sarae* esset, genuit filium aetate quidem maiorem sed dignitate inferiorem, ita h. l. *patris* rursum generatio commemoratur *Abraham genuit Isaac*, cuius sc. Isaac filius praedicatur κατ' ἐξοχήν. v. 20 « *Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban* » *Syri*. Bathuelis origo 22,20 sqq. genealogice tantum describebatur; hic et in sequentibus Bathuel, itemque Laban filius eius, describuntur secundum regionem, quo e pristinis in Chaldaea sedibus migraverant, *Padan Aram*, quam esse regionem circa urbem Haran ostendit 27,43. Cum *padanu* assyrice designet *cam-*

pum (*Schrader* KAT II. p. 295), Padan Aram videtur vertendum campus, planities, regio Aramaeorum. Quae explanatio vix non certa evadit ex Os. 12,12 (13), ubi Iacob dicitur fugisse « in regionem Syriae », שדה ארם (*Kn.*). Cumque Bathuel origine certe fuerit Arphaxadaeus, ergo dicitur *Aramaeus* a regione, ubi sedem fixerat (*Ew.* I. 491). Vide, quae diximus in Introd. p. 32.

v. 21 « *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis* ». Viginti annis (v. 26) sterilem expertus est perseveravitque in oratione (*Chrys.*) : « Quando igitur videris virum et mulierem virtuti deditos carere prole, quando videris pios et religionis studiosos non habere liberos, ne tribuas hoc peccatis. Multae enim divinae dispensationis rationes nobis sunt ignotae ». Eiusmodi autem apud messiae maiores ideo factum esse providente Deo, monet *Theodoret.*, quo foecunditas non naturae tribueretur, sed divino favori. « *Qui exaudivit eum et dedit conceptum Rebeccae* ». v. 22 « *Sed collidebantur in utero eius parvuli; quae ait : Si sic* [*mihi futurum erat*], *quid* [*necesse fuit concipere*]*?* » Etiam ex 27,46 inferas, Rebeccam quandoque impatientius egisse. *Hebr. : Si ita, quare hoc ego?* Brachylogiam feliciter *Vulg.* explicat. *Syr. : quare vivo ego?* « *Perrexitque, ut consuleret Dominum* », quem conceptio habitura esset effectum. Consulendi « modus non est scriptus », sapienter monet *Cai.* Non est necesse supponere sacerdotem aliquem adfuisse, sed adierit altare aliquod et ibi post orationem oraculum somnio exspectaverit (cf. *Theodoret*). v. 23 « *Qui* » *Dominus* « *respondens ait : Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et maior serviet minori* ». Cf. Rom. 9,10. Quatuor membris duo filii annuntiantur duarum nationum futuri parentes, quae contenturae sint inter se ita, ut tandem minoris posteritas praevaleat maiori. Quo ipso praedicitur messias esse futurus de posteritate minoris. v. 24 « *Iam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero eius reperti sunt* ». v. 25 « *Qui prior egressus est, rufus erat et totus in morem pellis* » — *pallii* — « *hispidus* », quam vocant hypertrichosin medici. « *Vocatumque est nomen eius Esau* ». Postea idem vocabatur Edom, *rufus*, primarie sane ob cutis colorem אדמוני, quod idem nomen postea etiam revocabat hominibus in memoriam factum v. 30, quo primogenita vendidit Esau; neque tamen alium ideo v. 30 necesse est adstruere auctorem. Porro nomen Esau durius revocant plures ad radicem arab. *ʿatiia*, « hirsutum esse », dum exstat radix *ʿasa*, « subrufum esse ». Quodsi ab hac nomen Esau repetatur, exprimet tam hoc nomen, quam nomen Edom, viri colorem. Cf. *I. K. Zenner S. I.*, Theol. Quartalschrift, Tuebingen 1889, p. 649 sqq.).

« *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, et idirco appellavit eum Iacob* ». Quod nomen non solum exprimit factum naturale, cf. Os. 12,3 (4), sed simul consonat prophetice v. 23, cum עקב significet *supplantare*. v. 26 « *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli* ».

2. *Primogenita divendita* Gen. 25,27-34.

Arg. — Fratrum ingenia diversa : venator Esau, homo ferus et simplex, pastor Iacob, quietus et astutus; hic matri carior, ille patri. Pro lentis edulio ut primogeniti iura abdicet, Iacob fratri persuadet. Factum laudat *Rup.* : « Nec enim fratrem suum fraude circumvenit, sed cum simplicitate columbae prudentiam habens serpentis, quale habuit pretium sapienter poscenti guloso apposuit et, quod habebat ille, manifesto nomine, sine dolo, sine vi, quae iusta et legitima venditio est, vicissim flagitavit ». *S. Thomam* II II^{ae} q. 100 a. 4 ad 3 Iacobum excusantem secuti sunt plures. Cuius ratio est : « Ius primogeniturae debebatur Iacob ex divina electione ». At v. 23 non promittebatur ei praecise ius primogeniturae et, si promittebatur, nefas tamen erat promissa arripere; fidendum erat Dei providentiae impleturae aliquando promissa. *Cai.* non excusat. Minus etiam Esau excusari potest, nisi forte ob stultitiam.

v. 27 « *Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi et homo agricola; Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis* ». Duorum fratrum mox diversa apparuit indoles : ille, cui victoria praenuntiabatur, quietum vitae genus amplexus est habitans in tabernaculis, i. e. pastorem agens (*Drus.*); alter audacior venationi se dedit.

LXX (οἰκῶν οἰκίαν) et antiquiorum plures exponebant, raro foras progressum Iacob rei domesticae fuisse unice intentum; verum opponitur occupatio occupationi. — תם proprie est *integer*, unde frequenter transit ad significationem *perfectus*, quae tamen h. l. non convenit. *LXX Vulg. Aq. Theod.* vertunt *simplex* (cf. 20,6); quam significationem ideo etiam probat *Mar.*, quod ita belle opponatur Iacobi indoles fratris indoli, cum venatoribus multa in capiendis feris opus sit *astutia*. At certe non eminebat animi simplicitate Iacob, quo nullus, quantum novimus, patriarcharum astutior (*Dillm.*). Melius concipies illam integritatem seu simplicitatem, ut affirmetur secundum externam speciem, ut fuerit Iacob vir quietus, *pacificus* (*Chald.*). Simili ratione nos hominem bonum quandoque vocamus eum, qui est quietus neque ullas movet lites. — איש שדה non est *agricola*, quod potius est איש אדמה 9,20; qui venationi est addictus, non est bonus agricola; sed *agrestis* (*LXX*), *egrediens in agrum* (*Chald.*), vereque explicant *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* de eo, qui venationis causa regionem peragrat. Potuit quidem fieri (*Dillm.*), ut ידע ציד serius in textum irrepserit tamquam glossa explicans איש שדה; tamen id factum esse, nulla suadet ratio; multoque minus fas est, verba aut איש תם aut ישב אהלים tamquam glossam confodere.

v. 28 « *Isaac amabat Esau eo, quod de venationibus illius vesceretur* », « quae profecto amandi causa admodum exilis et levis erat » (*Per.*). Et licet fortasse non profecto unica causa amandi, at tamquam causa affertur amandi prae fratre. *Hebr. : quia venatio erat in ore eius*, ei sapiebat. *Sam.* צידו : et idem fortasse suffixum *LXX Vulg. Chald.* legebant. « *Et Rebecca diligebat Iacob* », ob Dei de illo vaticinium (*Proc.*) et quod constanter penes ipsam in tabernaculo versaretur (*Chrys.*). v. 29 « *Coxit autem Iacob pulmentum; ad quem cum venisset Esau de agro lassus* », v. 30 « *ait : Da mihi de coctione hac rufa* », *rufa* (*Hebr.*), qua vocis repetitione censet *Calm.* viri exprimi aviditatem — « *quia* [*oppido*] *lassus sum* ».

Radici לעט, quod est ἅπαξ λεγόμενον, sensum tribuunt *glutire, vorare.* Sed *Sam.* legit עלט, cui videtur sensus esse *spissum esse*, significatione fortasse eadem. *Chald. Syr.* vertunt verbo בלע, *gustare*, cui correspondet *LXX* γεῦσόν με. — *LXX* : ἀπὸ τοῦ ἐψήματος πυῤῥοῦ τούτου : videtur igitur ea versio prius duorum אדם accepisse ut *cibi* nomen. Eaque vocis acceptio confirmatur ex eo, quod refert Dillm. ex *T. D. Anderson*, hodiedum in oriente cibi genus aliquod, quod cum pane manducetur, vocari אדם. Sic in הָאֹדֶם הָאָדֹם latet lusus verborum Hebraeis non infrequens, et clarius etiam patet cognominis Edom impositi ratio.

« *Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom* ». v. 31 « *Cui dixit Iacob : Vende mihi primogenita tua* ». « Primogenitura, ut aiunt Hebraei, fuit successio in dignitate patris et principatu atque honore eius, et quod auctoritatem haberet in minores » (*Vat.*). Obtingebat item primogenito longe maior pars bonorum 49,3. v. 32 « *Ille respondit : En morior; quid mihi proderunt primogenita?* » v. 33 « *Ait Iacob : Iura ergo mihi. Iuravit ei Esau et vendidit primogenita* », ideo Hebr. 12,16 « profanus » appellatus. v. 34 « *Et sic accepto pane et lentis edulio, comedit et bibit* » *et surrexit* « *et abiit* », quorum verborum cumulatione viri levitas describitur, « *parvipendens quod primogenita vendidisset* ».

3. *Peregrinationes in Gerar* Gen. 26,1-35.

Arg. — Sentiebat *Aug.* 26,1-33 narrata accidisse ante ea, quae extremo cap. 25 narrabantur. Post narratum geminorum partum et ius primogeniturae divenditum redit narratio ad ea, quae acta sunt primis viginti (cf. 25,20. 26) post initas cum Rebecca nuptias annis, inde ad nuptias filiorum progressura. Res ita concipi omnino potest. Ergo etiam Abimelech statui potest idem, qui cap. 20 et 21, esse vir, cuius princeps h. l. et 21,22 recensetur Phicol. Si supponas cap. 20

narrata locum habuisse brevi post Abrahae in Chanaanitiden adventum, cap. 26 narrata brevi post Isaac nuptias, habebis spatium sexaginta circiter annorum et, si supponas Abimelech cap. 20 fuisse fere quadraginta annorum, habebis eundem cap. 26 centenarium.

Dicebamus Introd. p. 31, nostrum caput fere ad instar narrationis 11,27-13,18 procedere secundum diversas peregrinationum Isaac *stationes*. Repetita sc. v. 1-5 divina promissione, v. 6-16 acta in Gerar narrantur, v. 17-22 acta in Valle Gerar, v. 23-33 acta in Bersabee. Non tamen omnes Isaaci, quod putaverim, recensentur peregrinationes, sed eae quibus mutatorum quorumdam prope Gerar puteorum nominum ratio explicetur. Illi putei credendi sunt narratoris aevo fuisse omnibus noti; posteriori aevo nulla eorum habetur mentio. Ergo non ita recenter conscriptus est liber.

Quae extremo capiti adscribuntur de nuptiis Esau, neoterici alteri tribuunt auctori ob adscriptos aetatis annos : recole, quae diximus ad 25, 19 sq. Ceterum sapienter advertit *Dillm.* : « Plures utique expressiones sapiunt B, quales habentur v. 10 (cf. 20,9). 28 (cf. 21,22). 29 (cf. 21,23), speciatim על אדות v. 32 (cf. 21,11. 25) et nomina v. 26. Id tamen sufficienter explicatur inde, quod ipse C prae oculis habuerit scriptum (?) B et plura ex eodem sit mutuatus ». Aliis verbis : testis traditionis recentior quandoque loquitur verbis testium antiquiorum. Utinam hoc saepius recordarentur viri docti!

Cap. XXVI v. 1 « *Orta autem fame super terram post eam sterilitatem, quae acciderat in diebus Abraham* » (12,10), « *abiit Isaac ad Abimelech regem Palaestinorum in Gerara* ». 20,1 is narrabatur imperasse Gerarae, 21,33 terrae Palaestinorum : hic utrumque copulatur. Illud de priore fame utique a redactore videtur insertum non alium ob finem, nisi ne quis duas narrationes similes inter se putaret ex unico eventuortum duxisse.

Terram iam *Per.* interpretabatur Chanaanitiden. At, inquit *Dillm.*, 25,11 versabatur Isaac in Beer Lechai Roi, non in Chanaanitide : ergo alius h. l. narrator. Cur Beer Lechai Roi non spectet ad Chanaanitiden latius acceptam, reapse non video : cf. v. 6. Sed praeterea, cum Isaac pastor fuerit gregum, patet eum non semper in eodem consedisse loco.

v. 2 « *Apparuitque ei Dominus et ait : Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi* », seu *dico, dicam*. Intentio descendendi in Aegyptum, inquit *Dillm.*, v. 1 non exprimebatur : ergo alius hunc versum scripsit auctor. Respondeo : illa intentio ne hoc quidem versu affirmatur, sed simplex habetur prohibitio; prohibetur quandoque res, antequam adfuerit intentio eius rei faciendae. Certe nulla est ratio alius auctoris adstruendi. Cur autem Aegyptum intrare prohi-

betur patriarcha, granarium orientis? Ut in fide exerceatur omnemque spem in Deo reponat dicente : « Ero tecum » (*Chrys.*). v. 3 « *Et peregrinare in ea, eroque tecum et benedicam tibi* ». Qua occasione renovat Deus promissiones Abrahae factas, iisdem uti antea verbis. « *Tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo* » (cf. 15,18).

ארצת, ait *Dillm.*, designat regiones vere diversas, non solum unius regionis pagos, ergo Chanaanitiden et regiones circumiacentes : sed promissio tam ampla posteriorum scriptorum propria est. Respondeo : promittitur sola Chanaanitis, quae pluribus tum regionibus constabat, quod efficitur ipso, ad quem Dillm. appellat, textu 10, 20 : « Hi sunt filii Cham... in terris suis ». Iamvero inter illos filios Cham connumerabantur Iebusaei aliique intra Chanaanitidis fines incolentes. Ergo merito tum temporis Chanaanitis apellari poterat ארצת. — LXX v. 3 sq. legebat singularem.

v. 4 « *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, daboque posteris tuis universas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* »; v. 5 « *eo quod obedierit Abraham voci meae* », imprimis linquendo Chaldaeam et immolando filium, « *et custodierit praecepta et mandata mea, et ceremonias legesque servaverit* ».

Haec substantiva, inquit *Kn.*, eo aevo cumulari consueverunt, quo lex plurima habens mandata exstabat : ergo serius h. l. adiecta verba. Ad haec adverte, שמר בושמרת, *custodiam custodire* esse comparationem petitam a ritu aulicorum vel praetorianorum regis thronum circumstantium, et Num. 1,53; 3,28 etc. utique de levitarum circa sanctuarium excubiis adhiberi consuevit. Cur expressio non potuerit Isaaci aevo adhiberi, difficile perspicitur. Licet nomen מצוה, *mandatum* in Genesi desideretur, certe verbum צוה frequenter usurpavit. חקה habes Iob 38,33; vox significat *statutum*, non meras *ceremonias*. תורה etiam habes Iob 22,22; et nota cum *Del.*, hic legi vocis non singularem sed pluralem, qui secus nonnisi Ex. 16,28; 18,16. 20; Lev. 26,46, non vero in Deut. occurrat. Sed esto, haec nomina sapiant aevum mosaicum : ergo a redactore erunt adiecta, qui suis expressionibus valde correctis et legentibus omnino perspicuis illud enuntiaverit, quod Deus verbis paulo diversis sed sensu iisdem edixisset. Vel etiam traditio oralis, antequam haec scriptis primum mandarentur, expressiones immutavit sensu servato intacto. Denique perpende, aevum mosaicum rerum sacrarum appellationes non omnes de novo effinxisse, sed plures sane ex aevo anteriore esse mutuatum, similiter atque christiana religio multa e iudaica transsumpsit (cf. testamentum, iustitia, iustificatio etc.) : ergo, si eiusmodi quandoque appellatio in Genesi deprehenditur, non est ea ratio cogens, ut a recentiore scriptore inserta esse pronuntietur.

v. 6 « *Mansit itaque Isaac in Geraris* », obsequens Dei v. 2 prohibitioni, et ita incipiens v. 3 praeceptam peregrinationem, quae in eo erat, ut in variis successive locis subsisteret, quoad annonae penuria alio secedere compelleretur. v. 7 « *Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit : Soror mea est. Timuerat enim con-*

fiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem ». A mendacio excusatur Isaac, uti Abraham 20,12 (*Aug.* c. Faust. XXII. 46; *M.* 42. 427 sq.). v. 8 « *Cumque pertransissent dies plurimi* [*et*] *ibidem* [*moraretur*], *prospiciens Abimelech rex Palaestinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca uxore sua* ». Putat *Calm.* regem memorem artis, qua usus esset Abraham, in suspicionem venisse et Isaacum observasse. v. 9 « *Et accersito eo ait : Perspicuum est, quod uxor tua sit. Cur mentitus es, eam sororem tuam esse?* » *Hebr. cur dixisti?* « honestius enim locutus est » (*Cai.*); itemque mox non dicit *quare imposuisti nobis?* sed : *quare rem istam fecisti nobis?* « *Respondit : Timui, ne morerer propter eam* ». v. 10 « *Dixitque Abimelech : Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos* [*grande*] *peccatum* ». Pro הבאה 20,9 hic scribitur אשם, quae duo nomina in sacrificiis legis postmodum diversa omnino significabant : h. l. tamquam plane synonyma habentur. Videtur ergo haec narratio lege potius esse antiquior. « *Praecepitque omni populo dicens :* » v. 11 « *Qui tetigerit hominis huius uxorem, morte morietur* ». Reliqui *hominem hunc et uxorem eius.*

Quo praecise tempore sequentia evenerint, non plane liquet. Videntur utique connecti cum fame v. 1, neque ratio est negandi illa evenisse eo ipso anno, quo Isaac in Philisthaeam descendit. Quod excludi autumat *Dillm.* verbis v. 8 « Cumque pertransissent dies plurimi ». At non ita ex ordine consuevit procedere Hebraeorum narratio. Primum in commoratione v. 6 Geraris facta narratur ars, qua inde ab ipso ingressus die Isaac professus est Rebeccam sororem; hinc sponte se offert narrandus eventus, quo nonnisi post « plurimos dies » eam artem subodoratus est rex; tandem redit narratio ad ea, quibus vix regionem ingressus Isaac se a fame defendere studuit. v. 12 « *Serit autem Isaac in terra illa et invenit in ipso anno centuplum; benedixitque ei Dominus* », quod v. 3 promiserat; fuitque ea potissimum benedictio laetae segetis causa.

Abraham non narratur agrum coluisse, sed Iacob 37,7. Non narratur Isaac prope Geraram agrum emisse : quare sapienter suggerit *Calm.*, cum ad tempus usum esse agro ab accolis inculto relicto. Dillm. citat auctores plures, qui orientem invisere, narrantes Arabes quandoque etiamnum simul agris colendis et gregibus alendis operam navare. Tamen Isaaci divitias non segetibus constitisse sed gregibus, v. 14 docet. — שערים *LXX Syr.* vertere *hordeum*, quod in Philisthaea plurimum nascitur et insigne. *Vulg.* aliam secuta punctationem intellexit *mensuras* : eodem recidit *Targumim aestimationes* a שער : centies quantum aestimatione exspectabatur.

v. 13 « *Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens,*

donec magnus vehementer effectus est ». v. 14 « *Habuit quoque possessiones ovium et armentorum et familiae plurimum. Ob hoc invidentes ei Palaestini* », — *Hebr. : et inviderunt ei Palaestini* — v. 15 « *omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo* ». Si haec sententia narrationem continuaret, deberet ordiri ויהפרו; quod cum non fiat, accipienda erit ut parenthesis seu glossa construenda plusquamperfecto (*Drus.*) : *Omnes puteos, quos foderant servi eius in diebus patris eius Abraham, obstruxerant Philisthaei implentes humo,* neglecto foedere (*Proc.*) 21,23 cum Abraham inito. Sed ex his patet, locum huius parentheseos proprium non esse post v. 14 sed post v. 17 : ergo aut primitus post v. 17 legebatur, aut serius margini adscripta in textum irrepsit loco non suo. v. 16 immediate cum v. 14 connectitur : » [*in tantum ut ipse*] *Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde* ». v. 17 « *Et ille discedens, ut veniret ad torrentem* », seu potius *vallem* (Wadi), « *Gerarae habitaretque ibi* », v. 18 « *rursum fodit* [*alios*] *puteos* », — agitur de iisdem atque v. 15 — « *quos foderant servi patris sui Abraham* », — *Hebr. : quos foderant in diebus patris sui Abraham* — « *et quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim, appellavitque eos iisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat* ». Narrat iam auctor, quomodo haec nomina mutata fuerint in alia, ob rixas similes iis 13,7 et 21,25. v. 19 « *Foderuntque in torrente* », seu potius *valle,* « *et repererunt aquam vivam* », fluentem. v. 20 « *Sed* [*et*] *ibi iurgium fuit pastorum Gerarae adversus pastores Isaac dicentium : Nostra est aqua. Quam ob rem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocavit Calumniam* » seu *Litem.* v. 21 « *Foderunt autem et alium, et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Inimicitias* ». v. 22 « *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt; itaque vocavit nomen eius Latitudo, dicens : Nunc dilatavit nos Dominus et fecit crescere super terram* ». Aliqui sibi videntur horum nominum vestigia aliqua hodiedum in illis regionibus deprehendere. Id certum est, torrentem, qui haud procul Gerara in mare immittatur, ipsam Bersabee praeterfluere, ut reapse Isaac per torrentis vallem *ascendens* potuerit eo pervenire.

v. 23 « *Ascendit autem ex illo loco in Bersabee* ». v. 24 « *Ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui. Noli timere, quia ego tecum sum. Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham* ». Confirmantur promissiones prius factae. Divina, quae promittitur, protectio illico manifestatur adducto in eum locum rege Philisthaeorum, quibuscum fuerant omnes illae de puteis rixae, pacis feriendae causa (*Chrys.*).

v. 25 « *Itaque aedificavit ibi altare et, invocato nomine Domini, extendit tabernaculum* [*praecepitque*] *servis suis, ut foderent puteum* ». v. 26 « *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum* », v. 27 « *locutus est eis Isaac : Quid venistis ad me, hominem quem odistis, et expulistis a vobis?* » Titulus ברע secus habetur 3 Reg. 4,5; 1 Par. 27,33 : cuinam officio ille corresponderit, ignoramus. Queritur *Dillm.*, nullam cerni rationem, cur rex tantum iter susceperit. Non cernit, qui claudit oculos : habetur enim ratio v. 24. 28. Deus ita promissam protectionem largitus est, ut cor regis emolliret; rex perspexit Isaac esse Deo imprimis carum, prospere agere; ideo tutius esse duxit, eum sibi devincire amicum. v. 28 « *Qui responderunt : Vidimus tecum esse Dominum et idcirco nos diximus : Sit iuramentum inter nos et ineamus foedus* », v. 29 « *ut non facias nobis quidquam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus nec fecimus, quod te laederet, sed cum pace dimisimus* [*auctum*] *benedictione Domini* ».

Illud *te non attigimus* (*Hebr.*) refertur ad v. 11 fuitque a Philisthaeis observatum, quamdiu in urbe Gerar (cf. v. 16) perseveravit Isaac. Ad idem tempus refertur *et fecimus tibi bonum tantummodo* ac tandem *dimisimus cum pace*. Abimelech, uti 21,26, ignorantiam simulat iniuriarum a suis illatarum, eorum meminit solum, quae Gerarae coram ipso acta fuerant. Isaac ad iniurias alludit v. 27 sed, ubi intellexit eos amicitiae causa accessisse, pacis studiosus etiam ipse ignorat. — *Hebr. Chald. Syr.* אתה עתה ברוך יהוה, *tuque tandem es benedictus Domini*, quare tecum exoptamus amicitiam inire. *Sam.* duas priores voces inverso ordine legit עתה אתה, et *LXX Vulg.* copulam praefigunt : *atque hinc*, quia nos non attigimus etc.) *tu nunc plenitudine divinae benedictionis* (cf. v. 12-14) *frueris*. Grati animi est, ut te nobis amicum exhibeas, quia bona tua omnia a nobis tandem profecta sunt. Vir egregie impudens!

v. 30 « *Fecit ergo eis convivium et post cibum et potum* » v. 31 « *surgentes mane iuraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac pacifice* [*in locum suum*] ». v. 32 « *Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes : Invenimus aquam* ». Dum puteus v. 25 fodiebatur, eiusque rei uti crediderim ignarus, affuit Abimelech et foedus inivit. Vix foedere icto discesserat, allatus est nuntius de aqua a fodientibus reperta, atque ita puteus ille eo foedere a Philisthaeorum violentia defendebatur. Ex his videtur posse inferri, Bersabee tum intra fines regni Gerar fuisse. v. 33 « *Unde appellavit eum Abundantiam* ». Hunc sensum *Vulg. Syr. Aq. Symm.* nomini שבעה affixere punctantes שׁ loco שׁ. Sane secundum contextum et 21,31 praeferendus sensus ὅρκος (LXX). Ceterum eadem vox et iuramentum exprimebat et numerum septenarium, qui, quod sacer esset, omne genus excellentiae et abundantiae repraesentabat. Ergo

etiam illa interpretatio *abundantia* vera censeri potest, sed punctatio (*Hier.*) falsa. « *Et nomen urbi impositum est Bersabee, usque in praesentem diem* ». Quo aevo scriptis documentis carebat stirps electa, traditio eventuum memorabilium quibusdam locorum nominibus copulabatur, ita ut nomen eventum et traditionem in mentem revocaret. Hinc minime mirandum, unius quandoque loci nomen, uti h. l., cum duobus eventibus connecti.

Ad nuptias filiorum Isaac progressura narratio primum paucis expedit Esau nuptias (cf. 28,6-9). v. 34 « *Esau vero quadragenarius duxit uxores, Iudith filiam Beeri Hethaei, et Basemath filiam Elon eiusdem loci* » *Hethaei;* v. 35 « *quae ambae offenderant animum Isaac et Rebeccae* », cf. 27,46. De iis erit dicendum 36,2 sq.

4. *Itineris syriaci causae* Gen. 27,1-28,10.

Arg. — Causae assignantur duae, quas non a diversis derivandas esse auctoribus Introd. p. 32 demonstrabamus : prima odium Esau ob subreptam paternam benedictionem 27,1-45; altera patris desiderium, ut filius non Chananaeam sed cognatam duceret uxorem 27,46-28,9. Cap. 27 plerique permittunt iahvistae, eidem sc. auctori qui cap. 26 scripserit. Duorum scriptorum indicia appellat *Wellh.* aliqua bis narrata. Nihil repeti facile perspicies collatis v. 21-23 cum v. 24-37ª, v. 33 sq. cum v. 35-38, v. 35ª cum v. 44ᵇ. Pauca suis locis subiiciemus.

Aiunt, huius capitis *chronologiam* a reliqua narratione discordare : modo cernebas Isaac vigoris plenum, nunc est senex decrepitus et coecus, post haec saeculum fere superstes est. Adverte, nos ignorare qua aetate Iacob uxores duxerit. Id certe praestitit post nuptias Esau, quae initae sunt anno Esau quadragesimo, Isaac centesimo. Vix credendus est Esau uno anno duas duxisse uxores; rursus rixas 26,35 et 27,46 crediderim longiori tempore esse protractas. Isaac vixit centum octoginta annis, quem adhuc vivum 35,27 Iacob e Mesopotamia redux offendit, et quidem non ita diu post natum Ioseph 30,25. Quaerendum porro, quo anno natus sit Ioseph. Is fuit 41,46 triginta annorum, quando stetit ante Pharaonem, secuti sunt 41,47 septem anni ubertatis et duo 45,6 penuriae. Ergo Ioseph fuit fere quadragenarius, quo anno 47,9 Iacob centum triginta annorum senex ingressus est Aegyptum. Ergo natus est Ioseph anno vitae Iacob circiter nonagesimo, qui fuit centesimus quinquagesimus vitae Isaac. Manserat autem Iacob in Mesopotamia annos viginti 31,38. 41. Dicamus ergo Iacob eo profectum esse anno aetatis patris circiter centesimo trigesimo. Profecto, si Abraham 18,11, quo tempore erat fere centenarius, senex erat,

non est cur miremur, Isaac centum et triginta annorum dici senem. At nonne miraculo proximum est, virum, qui vitam esset producturus usque ad centum octoginta annos, aetate iam centum et triginta annorum exstitisse viribus prorsus decrepitum, imo caecum. Respondeas, decrepitum non dici. Caecitas in viro plus centum annorum utique senectuti adscribebatur, quare s. narrator popularium more loquens : « senuit », inquit, « et caligaverunt oculi eius ». Tamen non est ratio, eius caecitatis soli senectuti adscribendae, licet aliam causam ignorarent Isaaci aequales; potuit esse morbus. Et nota, in hac narratione Rebeccam utique non exhiberi decrepitam.

Cap. XXVII v. 1 « *Senuit autem Isaac et caligaverunt oculi eius* », — vox imperfectam caecitatem designat, cf. 1 Reg. 3,2 — « *et videre non poterat* ». In Moyse Deut. 34,7 laudatur : « non caligavit oculus eius nec dentes illius moti sunt ». « *Vocavitque Esau, filium suum maiorem, et dixit ei : Fili mi! Qui respondit : Adsum* ». v. 2 « *Cui pater : Vides, inquit, quod senuerim et ignorem diem mortis meae* ». Gravem morbum suspicatur *Calm.;* sed is vix componi potest cum tanto appetitu carnis ferarum, et quidem recenter occisarum. « Vegetae ac vividae senectutis argumentum est, tantopere venatitias et ferinas carnes in cibum appetere. Ergo Isaac, etsi infirma erat acie oculorum, robustissimo tamen atque optimo fuisse stomacho, qui est officina vitae, necesse est » (*Per.*). Caeci facilius indulgent seriis cogitationibus; Isaac caecitatem aestimabat esse totam quantam senectutis effectum et hinc brevi secuturae mortis praesagium. Dies mortis ignorata causa est, cur benedictionem nolit differre Isaac. v. 3 « *Sume arma tua, pharetram* » — תלי ἅπαξ λεγόμενον, a *pendendo;* non *gladius,* (*Chald. Syr.*) quo quis cingitur neque antiqui facile utebantur in venatione, sed *pharetra* (*LXX Vulg. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*) — « *et arcum, et egredere foras; cumque venatu aliquid apprehenderis* », v. 4 « *fac mihi inde pulmentum* », genus cibi electitium, ut patet Prov. 23,3. 6, « *sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea, antequam moriar* ». Volebat benedicere tamquam primogenito, nam divina promissio 25,23 ius primogeniturae non ademerat, neque pater venditionem 25,33 ratam habebat. Rogabat prius eo refici cibo, quem 25,28 maxime in votis haberet : cave, id carpas in viro, cui ob caecitatem pluribus carendum esset oblectamentis.

v. 5 « *Quod cum audisset Rebecca et ille abiisset in agrum, ut iussionem patris impleret* », — v. 5 et 8 liberius *Vulg.* vertit. Pro להביא (cf. v. 4. 7) *LXX* לאביו — v. 6 « *dixit filio suo Iacob : Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo et dicentem ei* » : v. 7 « *Affer*

mihi de venatione tua et fac cibos », *pulmentum*, « *ut comedam et benedicam tibi coram Domino* », eo « annuente et ratum habente » (*Bonfr.*; cf. 1 Reg. 23,18), « *antequam moriar* ». v. 8 « *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis* », v. 9 « *et pergens ad gregem affer mihi duos hoedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur* ». Ne mireris cum *Proc.* duos hoedos seni pro epulo oblatos; teneriores tantum partes ipse erat comesturus (*Bonfr.*); honorabatur quis magna portione apposita (18,6; 43,34; 1 Reg. 9,24). v. 10 « *Quas cum intuleris et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur* ».

Celebris hic occurrit quaestio, an peccaverint Rebecca et Iacob obiective. Sententias bene exponit *Lamy*. Veteres, secuti imprimis *Aug.* (De mendacio cap. 5; *M.* 40. 491), variis modis illos excusare nituntur. Hodie cum *Cai.* consentiunt auctores, illos obiective sine dubio peccasse. *Bonfr.* : « Neque vero debemus usque adeo esse solliciti, ut omnia sanctorum facta excusemus a peccato veniali », vel etiam mortali, « cum id contextus scripturae minus patitur, nec aliter nisi valde contorte scriptura explicari potest; quandoquidem certum sit, homines sanctos ipsosque adeo apostolos absque huiusmodi peccatis non vixisse ».

v. 11 « *Cui ille respondit : Nosti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis* ». v. 12 « *Si attrectaverit me pater meus* [*et senserit*], *timeo ne putet me sibi voluisse illudere* », — hunc sensum exprimunt versiones, cf. 2 Par. 36,16. Ludibrium magis attendit Iacob, quam deceptionem aut iniustitiam. Sane aegerrime laturus fuisset pater senex caecus ludibrium (*Calm.*) — « *et inducam super me maledictionem pro benedictione* ». v. 13 « *Ad quem mater : In me sit, ait, ista maledictio, fili mi. Tantum audi vocem meam et pergens affer, quae dixi* ». Maledictionem censet futuram non gravem, inferendam ob actum, qui id tantummodo esset acceleraturus, quod ipsa opinabatur 25,23 divinitus fuisse praenuntiatum. v. 14 « *Abiit et attulit deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius* ». v. 15 « *Et vestibus Esau* » *filii sui maioris* » *valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum* », sc. *Iacob filium suum minorem*. חמודות, *desiderabilia* sunt vestes lectiores, festivae (cf. *Hier.*) : etiam his praecellebat primogenitus fratres suos (*Cai.*). v. 16 « *Pelliculasque hoedorum circumdedit manibus et colli nuda protexit* », ea sc. quae erant lenia, non pilosa (v. 11). Utrum ex voce *domi* fas sit cum *Dillm.* inferre, aedificasse Isaac domum, uti Lot 19,2 sqq. et Iacob 33,17, ambigo. v. 17 « *Deditque pulmentum et panes, quos coxerat, tradidit* ».

v. 18 primam vocem cum *Masor. Chald.* puncta *et ingressus est.*

« *Quibus illatis dixit : Pater mi. At ille respondit : Audio. Quis es tu, fili mi?* » Suspicionem iam movebat patri et vox et reditus exspectatione celerior. v. 19 « *Dixitque Iacob : Ego sum primogenitus tuus Esau* ». Merito adnotat *Cai.*, certe in voce *Esau* latere mendacium, nam Iacob non emerat ius usurpandi nominis fratris. « *Feci, sicut praecepisti mihi. Surge* », recumbebat enim vel dormierat, « *sede* », — male pro שבה *Sam.* שבע, *saturare*, nam prius est edere quam saturari — « *et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua* ». v. 20 « *Rursumque Isaac ad filium suum : Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit : Voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi quod volebam* ». *Hebr. : Occurrere fecit Dominus Deus tuus ante faciem meam.* v. 21 « *Dixitque Isaac : Accede huc, ut tangam te, fili mi,* [*et probem,*] *utrum tu sis filius meus Esau, an non* ». v. 22 « *Accessit ille ad patrem et, palpato eo, dixit Isaac : Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau* ». v. 23 « *Et non cognovit eum, quia pilosae manus similitudinem maioris expresserant* ». *Hebr. : quia erant manus eius sicut manus Esau fratris eius pilosae.* Sequens *benedicens* non est detorquendum ad sensum « parans benedicere » (*Bonfr.* et alii), sed est vera benedictio, qua se sc. salutabant (cf. 47,7. 10; 4 Reg. 4,29; *Kn.*), qui invicem occurrebant. Hanc ante non pronuntiaverat Isaac, quia nunc primum sibi videtur certius perspicere, quisnam coram adsit. Tamen ex hac voce et ex iterata quaestione « tune es Esau? » putant effici, duo h. l. consuta esse documenta. Non satis attendere indolem senis caeci viri doctissimi. Cuius visus iam factus est hebes, is dubitat possitne satis fidere auditui iunioris vocem referenti, tandemque dubium dirimit testimonio tactus et odoratus. Non audit et tangit in uno documento senex et in altero odoratur, sed in una individua narratione omnes ex ordine sensus applicat. Simul nomen repetito quaerit : Tune es Esau? Illud norat sine patenti mendacio fingi non posse. « *Benedicens ergo illi* », v. 24 « *ait : Tu es filius meus Esau? Respondit : Ego sum* ». Modo sibi certus esse visus benedicebat : illico in dubium relapsus iterat interrogationem (*Chrys.*). Caeci sunt magis suspiciosi aliis. v. 25 « *At ille : Affer mihi, inquit,* [*cibos*] *de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum; quo hausto* » v. 26 « *dixit ad eum : Accede ad me et da mihi osculum, fili mi* ».

v. 27 « *Accessit et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri* [*pleni*], *cui benedixit Dominus* ». Odor omne dubium compescit, mentem reddit securam, « incitat ad benedicendum » (*Cai.*). Non agitur de illo odore arte quaesito, quo fragrant magnatum

vestes (*Per.*); neque de odore quorumdam florum aut fructuum, quae mulieres vestibus in arcis repositis interspargere soleant (*Menoch.*); sed de odore illo, qui ab ipso Esau in vestes derivatus arva referebat et venationem, eratque plane alius ab odore vestium, quibus cultior frater utebatur. Hunc comparat Isaac odori *agri cui benedixit Dominus*, « qui a Domino refertus est variis floribus » (*Sa*) et herbis, qualia sunt pascua Palaestinae tempore verno. « Rustica haec ac pastoralis similitudo belle congruebat cum instituto ac ratione vitae, quam agebat Isaac » (*Per.*). v. 28 « *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae* » *et* « *abundantiam frumenti et vini* », *Hebr. musti.* Participem te faciat roris et pinguedinis, ita ut abundantia fruaris. Vestimentorum fragrantia primum menti patriarchae suggerit florentia terrae promissae arva (*Del.*). v. 29 « *Et serviant tibi populi et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum et incurventur ante te filii matris tuae* ». Isaac naturalem affectum secutus eam ipsam benedictionem filio maiori attribuere conatur, quam Deus 25,22 minori praenuntiaverat : fraude filii minoris conatus parentis frustratur. Tamen ea fraude non erat opus, cum patris benedictio effectum nancisci haud potuerit, nisi Deo approbante. « *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* ». *Hebr. : maledicentes tibi, maledictus etc. :* sc. unusquisque (*Cai.*).

Sequens v. 30 reapse e duobus textibus videtur consutus : *Et factum, ut complevit Isaac benedicere Iacob; et factum est, modo egrediebatur Iacob a facie Isaac patris sui : Esau frater eius revertebatur a venatione.* Triplex se offert solutio. Prima est recentiorum, redactorem, ubi verba iahvistae *Et factum est, ut complevit Isaac benedicere Iacob* descripsisset, animadvertisse in altero elohistae scripto alia illa verba *et factum est, modo egrediebatur Iacob etc.*; quibus cum nollet lectorem privare, ea prioribus assuit, ne sutura quidem dissimulata. Altera solutio est, cum in aliquo codice antiquitus priora illa verba non satis discerni possent, adscripsisse scribam aliquem in margine *et factum est, modo etc.*, quae ipse secundum sensum vere effinxerat; e margine ea postmodum in textum irrepsere. Tertia et planissima solutio est, pro ויהי אך primitus lectum esse ואך. Quarum trium solutionum prima ceteris est violentior.

v. 30 « *Vix Isaac sermonem impleverat, et egresso Iacob foras venit Esau* », v. 31 « *coctosque de venatione cibos intulit patri dicens : Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui, et benedicat mihi anima tua* ». v. 32 « *Dixitque illi Isaac : Quis enim es tu? Qui respondit : Ego sum filius tuus primogenitus Esau* ». v. 33 « *Expavit Isaac stupore vehementi et ultra, quam credi potest,* [*admirans*] *ait : Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi et comedi ex omnibus, priusquam tu venires?* » Ad solam vocem Esau (cf. v. 23) reviviscunt

priora dubia omnia certusque fit Isaac de fraude patrata. « *Benedixique ei, et erit benedictus* ». Ultima verba *Aug.* censet Isaacum locutum esse ex revelatione divina. E contra *Bonfr.* : « Ratam habet suam benedictionem, quod intelligeret hanc esse Dei voluntatem satisque sciret verba sua prophetica fuisse, quae retractari non possent ». « Statim tamquam propheta advertit rem a Deo geri volente per hunc modum ostendere, ratum se habere responsum, quod olim Rebeccae uxori ipsius se consulenti reddiderat de praeeminentia filii minoris » (*Est.*). Cf. *Ephr.* Initio sequentis versus *Sam. LXX* legunt ויהי, quod facile excidere potuit ob praecedens והיה.

v. 34 « *Auditis Esau sermonibus patris irrugiit clamore magno* », « non suam tantum tristitiam, sed ferociam etiam valido clamore quasi rugitu ostendens » (*Menoch.*), « *et consternatus ait : Benedic etiam et mihi, pater mi* ». Iam pater ipse sibi solvit quaestionem, quam v. 33 posuerat quamque Esau desiderio benedictionis obtinendae ignoraverat : nulla profecto est ratio consutas supponendi narrationes. v. 35 « *Qui ait : Venit germanus tuus fraudulenter et accepit benedictionem tuam* ». v. 26 « *At ille subiunxit : Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantavit enim me en altera vice* ». Ostendit, alteram huic nomini quadrare explicationem praeter eam, quae ab imponentibus illud 25,25 proxime intendebatur. « *Primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reservasti* », — pro אצלת *Sam. LXX* הצלת, *salvasti*. Nota etiam assonantiam inter ברכתי et ברכתי — « *ait, et mihi benedictionem?* » v. 37 « *Respondit Isaac : Dominum tuum illum constitui* », sc. *fratres* v. 29 imprimis sunt Esau et Edomitae, « *et omnes fratres eius servituti illius subiugavi, frumento et vino stabilivi eum : et tibi post haec, fili mi,* [*ultra*] *quid faciam?* » v. 38 « *Cui Esau : Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque eiulatu magno fleret* », v. 39 « *motus* » — haec vox, uti *LXX* κατανυχθέντος τοῦ Ἰσαάκ, ortum duxit ex ויען יצחק — « *Isaac dixit ad eum : In pinguedine terrae et in rore cœli desuper* » v. 40 « *erit benedictio tua* ». In ultimis verbis latet mendum, reliqui enim evidenter habent *erit habitatio tua*. Isaac filii supplicationi cedens benedictionem largitur. Ipse utique benedictionem in mente habet, vult Esau participem reddere prioris partis benedictionis fratri concessae v. 28; iis autem providente Deo utitur verbis, quae nihil eius benedictionis conferant. Licet enim textus exponi queat de fertilitate sedium Edomitarum, quae reapse multo minus fertiles fuere terra promissa, at verius eundem ita vertes (*Castalio* apud Crit. S.; *Cler.*) : *Procul a pinguedine terrae erit habitatio tua, et procul a rore coeli desuper*. Cete-

rum sensere iam *Proc.*, *Cai.*, verba non veri nominis benedictionem sonare; et cf. *LXX* ἀπὸ. « *Vives in gladio* », gladio victum comparabis (cf. Deut. 8,3), neque enim aliter in sterili regione vitam agere poteris, « *et fratri tuo servies* ». Hanc partem benedictionis Iacob v. 29 collatae pater revocare non audet, sed conatur limitare : « *tempusque veniet, cum excutias et solvas iugum eius de cervicibus tuis* ». De significatione vocis תריד ambigebant versiones, imo *Sam.* habet תארד *gloriosus eris;* optima translatio videtur esse *agitari*, cf. Ps. 54 (55), 3. Obiter inspectus textus omnino in laudem cedit Esau : sed cum prior benedictionis pars fuerit ambigua, oritur suspicio, in hac extrema quoque latere ambiguitatem. Construas sententiam interrogative : *Et si* (seu : *quantumcunque*) *te agitaveris, num etiam confringes iugum eius de collo tuo?* Misellus Esau nullam omnino accipit benedictionem, cf. Hebr. 12,17. Ergo non agitur de Idumaeis contra Israelitas rebellantibus sub Ioram, Amasia aliisque regibus; minora haec patriarcha non attendit, neque est e genio prophetiae V. T., ut *post* Israelis principatum *extrema* victoria alienis attribuatur.

v. 41 « *Oderat ergo* [*semper*] *Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei et occidam Iacob fratrem meum* ». Mortem patris exspectat, eius maxime veritus maledictionem (*Per.*); de matre haud videtur fuisse sollicitus. Consilium etiam quibusdam aperuit (*Proc.*), unde v. 42 : « *Nuntiata sunt haec Rebeccae, quae mittens et vocans Iacob filium suum dixit ad eum : Ecce Esau frater tuus minatur, ut occidat te* ». Aliqua omittit *Vulg.* — מתנחם explicant *sibi satisfacit,* indulget cogitationibus vindictae, et appellant Is. 1,24; *Syr.* videtur legisse מתלחם, *pugnat secum ipso,* deliberat. v. 43 « *Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran* », v. 44 « *habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui* », — « breve pollicetur fore tempus absentiae, ut facilius persuadeat » (*Menoch.*) — v. 45 « *et cesset indignatio eius obliviscaturque eorum, quae fecisti in eum. Postea mittam et adducam te inde huc. Cur utroque orbabor filio in uno die?* » Sc. uno nece, altero in poenam inflictae necis exstincto aut certe fugae se dare coacto (*Calm.*).

עד שוב אף אחיך מיכך et עד אשר תשוב חמת אחיך : alterutrum utique abundat. Si priorem lectionem supponas fuisse obliteratam, facile aliquo tentante illam coniectura restituere nasci potuit altera lectio; postmodum utraeque in unum textum coaluere. Nimis stultus fuisset redactor, si e variis documentis lectiones tam similes, quaeque nihil prorsus haberent novi, comportasset.

Sequens versus cum respectum habet ad 26,35, tum sequentibus

praeludit. Rebecca honestum itineris Iacob praetextum quaerit (*Chrys.*) eumque, quo certius a marito itineris veniam extorqueat. v. 46 « *Dixitque Rebecca ad Isaac : Taedet me vitae meae propter filias Heth; si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae, nolo vivere* ». *Hebr.* מבנות חת כאלה מבנות הארץ, quae lectio videtur e duabus compacta. Genuinam lectionem crediderim fuisse מבנות הארצת האלה, qua deformata in מבנות חת כאלה, scriba vere secundum sensum in margine supplevit מבנות הארץ. Postea haec glossa e margine in textum irrepsit. Sed genuinae lectionis vestigium servavere *LXX Vulg.*, sc. pronomen *huius*, ταύτης in fine sententiae.

Cap. XXVIII v. 1 « *Vocavit itaque Isaac Iacob et benedixit eum praecepitque ei dicens : Noli accipere coniugem de genere Chanaan* » ; v. 2 « *sed vade, proficiscere in Mesopotamiam Syriae, ad domum Bathuel patris matris tuae, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui* ». v. 3 « *Deus autem omnipotens* » — pro אל שדי *LXX* אלהי — « *benedicat tibi, et crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum* » ; v. 4 « *et det tibi benedictiones Abrahae et semini tuo post te, ut possideas terram peregrinationis tuae, quam pollicitus est avo tuo* ». Elohistae propriam esse declarant expressionem בנות כנען 28,1. 6. 8 ; 36,2, dum iahvista scribat בנות הכנעני 24,3. 37. Mitto, *LXX* 28,1. 6 ; 36,2 videri legisse בנות הכנעני, atque hinc lectionem non esse plane certam. At 24,3. 37 scriptor non potuit aliud scribere quam הכנעני, quod sequeretur sententia relativa « inter quos habito ». Ergo non probantur diversi auctores. — v. 3 sq. Isaac benedicit Iacob ipsis divinarum promissionum Abrahae factarum verbis, quae ipse alta mente fixa tenebat. Nihil inde erui potest quoad diversos scriptores homines. v. 5 « *Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriae ad Laban, filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccae matris suae* », *Hebr. matris Iacob et Esau*. v. 6 « *Videns autem Esau, quod benedixisset pater suus Iacob* » 27,28 sq., quae benedictio cum revocari non posset, melius videbatur ut omnia placide componerentur, « *et misisset eum in Mesopotamiam Syriae, ut in de uxorem duceret, et quod post benedictionem* » 28,1 « *praecepisset ei dicens : Non accipies uxorem de filiabus Chanaan* » ; v. 7 « *quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam* » ; v. 8 « *probans quoque, quod non libenter adspiceret filias Chanaan pater suus* », v 9 « *ivit ad Ismaelem et duxit uxorem absque iis, quas prius habebat, Maheleth* » — *Syr.* בסמות : cf. dicenda ad 36,3 — « *filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabaioth* ».

v. 6 *Hebr.* בברכו sine copula, ergo : *addita benedictione et mandato : Non accipies*

etc. Ex duplici argumento perspiciebat Esau uxores Chananaeas invisas esse parenti : e prohibitione Iacobo imposita, et e propria experientia, *probans* seu *Hebr. et vidit.* — v. 7 ואל אביו coniicit *Dillm.* a redactore esse adiectum intuitu 27,43 sq. : si ea verba vel paululum a contextu viderentur dissonare, illico adiudicarentur adventitio cuidam scriptori; at, cum optime quadrent, pronuntiantur adiecta esse a redactore ad pleniorem nexum efficiendum. Quis textus tales artes evadet illaesus? Cum secundum computum p. 359. 463 a nobis propositum Iacob iter syriacum susceperit anno mundi circiter 2485, Esau nonnisi fratre profecto filiam Ismaelis duxerit, Ismael vero anno mundi 2470 e vivis cesserit, ergo *Ismael* v. 9 intelligenda est defuncti iam Ismaelis familia.

B. Iter Iacob in Syriam Gen. 28,10-33,17.

1. *Visio scalae* Gen. 28,10-22.

Arg. — Iter syriacum auspicatur visio scalae promissiones ante factas repetens atque confirmans et Iacobum divinae providentiae commonefaciens. Pericopen concedunt iahvistae, tamen in aliquibus elohistam secundum deprehendunt : difficultate omni te expedies, si adverteris eum, cuius verbis expressam accepimus traditionem recentiorem, optime calluisse traditionem antiquiorem eiusque facta commemorasse et expressiones repetiisse; quibus igitur per se utique demonstratur unitas traditionis, minime vero unitas aut diversitas narratorum.

v. 10 « *Igitur egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran* », sine comitibus et muneribus, apud Laban sc. aliquamdiu substiturus eique serviturus (*Bonfr.*). Versus nos revocat, non immediate ad 27,45 (*Dillm.*), sed ad 28,5; nam v. 6-9 instar parentheseos interiicitur. v. 11 « *Cumque venisset ad quemdam locum et vellet in eo requiescere* », i. e. *pernoctare*, « *post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco* ». פגע ב, *impingere in* utique denotat « occursum improvisum » (*Cai.*) et redditur a *Vulg.* inserta voce *quemdam*. Videtur Iacob ignorare aut non satis attendisse, se esse prope locum ab Abraham consecratum 12,8. Ceterum expressio cum in Pentateucho secus nonnisi 32,2 legatur, reapse elohistae secundi propria dici nequit. Aiunt eundem auctorem somniis delectari v. 12, uti et decimis v. 22 : sc. omnes, qui de eiusmodi agunt, textus excisos fictitio illi tribuunt auctori; forfice res agitur, non crisi. v. 12 « *Viditque in somnis scalam stantem super terram et* [*cacumen illius*] *tangens coelum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam* », v. 13 « *et Dominum innixum scalae dicentem sibi* » : — Intelligi potest *scala* vel ea, quam *échelle*, vel quam *escalier* vocant Galli. נצב עליו verti potest aut *stabat super eam*, aut (cf. 18,2; 45,1) *prope adstabat* : neutro modo cogimur Deum concipere stantem in cacumine scalae. Neque

tamen id excluditur aut colloquium cum Deo in coelo consistente difficultatem habet, cum agatur de re in somnio peracta (*Calm.*), et cf. colloquium Abrahae cum divite in inferno.

Ex interpretibus pluribus (cf. *Ephr. Theodoret.*) unum audi *Per.* : « Extra controversiam est, scalam illam fuisse symbolum et signum magnae cuiuspiam rei, cuius significandae gratia potissimum dormienti Iacob visum illius scalae oblatum est. — Scala illa pertingens a terra usque in coelum est *divina providentia.* — Administri huius divinae providentiae sunt beati spiritus angelici. — Quod autem Iacob vidit Deum in fastigio scalae innixum ei sive, ut hebraea sonant, stantem super eam, id significabat Deum esse primum principium atque ultimum finem totius providentiae, ab ipso mitti angelos cum mandatis peragendis in terra atque, his peractis, ad ipsum reverti ». Concedebatur autem haec visio Iacobo, qui solus, moestus atque sollicitus e terra promissa emigrabat vel potius aufugiebat, ad eius spem et fiduciam excitandam. Promittebat divinam protectionem et *ascendenti* in Mesopotamiam et *descensuro* rursum in Palaestinam (*Tir.*). In quantum vero ipse in Mesopotamia nacturus erat uxores, liberos et opes, et in quantum haec erant necessaria, quibus fieret messiae progenitor, in quo benedicendae toties fuerant praedictae omnes tribus terrae, haec visio simul priores messianicas promissiones omnes confirmat, et angelorum ascensus repraesentat V. T. redemptori obviam ascendens, descensus N. T. gratias in terram profusas, imprimis incarnationem ipsam.

« *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac* », quos per omnia vitae discrimina fidelis protexi. Protegam etiam te. « *Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo* », tibi in semine tuo, semini in seipso. v. 14 « *Eritque semen tuum quasi pulvis terrae : dilataberis ad occidentem et orientem et septentrionem et meridiem; et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae* ». Cf. 26,4; 12,3; 18,17; 22,18. Tandem specialem in itinere protectionem et reditum in terram sanctam pollicetur Deus v. 15 : « *Et ero* » *tecum et* « *custos tuus, quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc nec dimittam, nisi complevero universa, quae dixi* ».

v. 16 « *Cumque evigilasset Iacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto* », « peculiari sc. ratione, quia in eo se Deus ipsi manifestaverat et specialem favorem ostenderat » (*Bonfr.*); « *et ego nesciebam* » et hunc locum profano usui addixi (*Calm.*). v. 17 « *Pavensque : Quam terribilis est, inquit, locus iste!* » « quam venerandus, quam religiosus! nempe propter Dei et angelorum praesentiam » (*Tir.*). « *Non est hic aliud nisi domus Dei, et* » *haec est* « *porta coeli* ». Cf. Sap. 10,10 : « Haec profugum irae fratris iustum deduxit per vias rectas et ostendit illi regnum Dei ». Coelum locus est visionis Dei et angelo-

rum; hinc locus, ubi se Deus et angeli videndos praebuere, merito a Iacob vocatur *porta coeli*. Quae tandem expressio synonyma est cum *domus Dei*, quae est nomen exprimens, quod ante dicebatur *Vere Dominus est in loco isto*. His omnibus ratio redditur imponendi nominis Bethel. Si autem duo nomina Domus Dei et Porta Coeli attenderis, perspicies in illis contineri utrumque elementum nominis Babel seu Porta Dei. Babel posteris Noe quondam fuerat urbs sancta et revelationis divinae centrum, inde egressi exspectabant alium divinitus designatum iri locum sacrosanctum; hunc se locum invenisse reputabat Iacob, ubi visione fuerat dignatus; ei igitur nomen imposuit non quidem Babel, quod iam Deus abominabatur (11,9), sed forma simile, significatione idem, Bethel. v. 18 « *Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper* ». Sumpsit ipsum lapidem, quem ad profanum usum usurpaverat, eumque *summitati* infuso oleo consecravit Deo. מצבה, cum ex etymo tum secundum versiones, significat aliquid erectum, stans, *cippum*. Si diu post idolorum cippi in statuas transiere, non ideo fas est h. l. quidquam tale adstruere. v. 19 « *Appellavitque nomen urbis Bethel, quae prius Luza vocabatur* ». « Locum eo nomine apppellavit, quod deinde communicatum est urbi » (*Calm.*). Sane urbis incolae perrexerunt urbem vocare Luzam, Abrahamidae vocabant Bethel (cf. Ios. 18,13; Iud. 1,23); quando regio ab Hebraeis subacta est, tandem unum praevaluit nomen Bethel. v. 20 « *Vovit etiam votum dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum ad induendum* », — multo plura maiora largitus est Deus : uxores, liberos, opes — v. 21 « *reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum* ». Cum haec ultima expressio ex 17,7 sensum habeat *et Dominus protexerit me*, et constructione etiam v. 21 assimiletur, ideo ad prodosin trahatur opertet, dum apodosis habetur v. 22. Qui expressionem explicant « religioso cultu eum prosequar » (*Bonfr.* et alii), primum hunc sensum expressioni gratuito affingunt, dein gratuito supplere debent « in loco », ergo hunc locum Dei cultui consecrabo. Id certe textus non habet. v. 22 « *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei* » et erit, quam promissionem Iacob 35,7 implevit exstructo ib. altari (*Cai.*), « *cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi* », probabilius sacrificiis absumendas (*Cai.*).

Abraham altaria erexerat, Iacob erigit cippum : sed quaeri potest, utrum filio, qui adhuc esset sub tutela patris, ius fuerit altarium erigendorum. Postmodum reapse ib. altare erexit Iacob. Usus cipporum sacrorum eri-

gendorum apud populos antiquos frequens erat; neque est, cur negemus eundem usum iam penes patriarchas Abrahamo antiquiores observatum esse. Si suspicetur quis, hac in re Iacob secutum esse ritum Chananaeorum, attendat oportet, eum ritum de se esse plane innocentem. Postea, quod gentiles eos cippos superstitiose colerent, iidem Hebraeis severe sunt prohibiti Lev. 26, 1.

2. *Adventus in Syriam* Gen. 29,1-14.

29,1-30 *Wellh.* totum tribuit alteri elohistae; e contra *Dillm.* ad v. 15ª usque narrationem tribuit iahvistae. Ratio eius est, quod v. 15-17 deprehendat hiatum aliquem, ut duae videantur consutae narrationes. Cum enim ante non fuerit sermo de mercede, pro qua Iacob servierit Laban, v. 15 subito de mercede loquitur Laban; et v. 16 in recensendis filiabus Laban Rachel nominatur, quin indicetur de Rachel iam ante fuisse sermonem. Non lubet refutare argumentulum, cuius ne Wellh. quidem perspexit aciem; neque etiam rationes rimari, ob quas Wellh. v. 2-15 alteri elohistae vindicat, quippe quas Dillm. censuerit esse inefficaces. Cum ipso eam pericopen priorum narratori, quem iahvistam vocant, permittimus; cf. quae dicemus post v. 17.

Cap. XXIX v. 1 « *Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem* », *Hebr. : ad terram filiorum orientis.* Appellatio minus usitata : tamen Num. 23,7 Aram dicitur « terra orientis ». *LXX* addunt : *ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccae matris Iacob et Esau.* Simile additamentum habent 34,1 praeter *LXX Vulg.* omnes. Ergo eiusmodi quandoque s. textui addebantur, quandoque subtrahebantur : ergo audacius recentiores, ubi eiusmodi prolixior habetur oratio, illico versum tribuunt elohistae. v. 2 « *Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes iuxta eum : nam ex illo adaquabantur pecora; et os eius grandi lapide claudebatur* ». אבן apud *Sam.* articulo caret. Claudebatur os putei, non tam « ut possent greges salubrius, purius et copiosius potari » (*Menoch.*), sed quo alieni prohiberentur (*Kn.*). Hodie apud Arabes putei pertinent ad tribus vel familias, necnisi oblato munere alienus ex illis haurire permittitur. v. 3 « *Morisque erat, ut cunctis ovibus* » — sed pro העדרים *Sam.* legit הרעים, *pastores* — « *congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursum super os putei ponerent* ». v. 4 « *Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis? Qui responderunt : De Haran* ». v. 5 « *Quos interrogans : Numquid, ait, nostis Laban filium* » — i. e. nepotem (*Bonfr.*) — « *Nachor? Dixerunt : Novimus* ». v. 6 « *Sanusne est? inquit. Valet, inquiunt, et ecce Rachel filia eius venit cum grege suo* ». v. 7 « *Dixit-*

que Iacob : Adhuc multum diei superest, nec est tempus, ut reducantur [*ad caulas*] *greges : date ante potum ovibus et sic eas ad pastum reducite* ». v. 8 « *Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur* », — sed pro העדרים *Sam. LXX* הרעים (cf. v. 13), *pastores* — « *et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges* ».

Cur non Poterant? « Propter lapidis magnitudinem vires nostras superantem; vel ne videantur agere contra morem, non exspectatis aliis » (*Malv.*). Si illud, ergo sane gigas robore erat Iacob, si is supponatur lapidem removisse solus. Potuit autem etiam inter pastores illos convenisse, propter frequentes de puteo rixas et ne quis alium defraudaret, praesertim ubi aquae fortasse non ita magna erat copia, ut ne quis adaquandi faceret initium, donec omnes adessent, utque qui primi adessent, primi etiam ad aquas accederent. Unde factum est, ut reliqui pastores valde mature adesse consueverint, gregibus aequo maturius a pascuis abductis; quod stulte factum non latuit prudentem pastorem Iacob. Rachel vero, quod a rudibus hominibus semper nonnisi ultima ad puteum accedere permitteretur, diutius cum grege in pascuis perseverabat, ceteris serius ad puteum accedebat. Iacob virginem sanguine iunctam defendendam suscepit: vir robustissimus cum esset, se Rachelis cognatum palam professus, neglectis pastoribus ad puteum accessit, lapidem nemine rogato vel adiuvante sustulit, gregem Rachelis ante alios admisit. Mirati sunt pastores rudes et in mulierem audaces virum insignis roboris atque intrepidum, neque illum cohibere ausi sunt. — Ceterum ex his colligas duo : primum, Labani greges non aeque sapienter ante quam post Iacobi adventum esse administratos; secundum, omnia circa Labanum avaritiam sapere, nescio quam. Fortasse etiam ipse antea reliquos pastores defraudare attentaverat.

v. 9 « *Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat* ». Haec verba cum aliis, quae de pastoribus legimus, collata suggerunt pascere greges non fuisse generatim mulierum. v. 10 « *Quam cum vidisset Iacob et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur* », v. 11 « *et adaquato grege osculatus est eam* », nam « propinqui propinquas osculabantur » (*Menoch.*), « *et elevata voce flevit* » « ex animi teneritudine et vehementi laetitia » (*Menoch.*). *Hebr.* urget eum haec omnia fecisse, intuitu imprimis Laban cognati sui : *et sciret filiam Laban fratris matris suae, ovesque Laban fratris matris suae, accessit Iacob et amoto lapide ab ore putei adaquavit oves Laban fratris matris suae.* Videtur eo tempore Iacob pietate actus esse potius erga matrem, quam erga « futuram coniugem »

(*Menoch.*). Tamen « insperato officio animum Rachelis devinciebat sibi, antequam innotesceret » (*Malv.*). Movet *Cai.* quaestionem, fuerintne omnia haec acta praecise eo, quo narrantur, ordine. Quaestio est parvi momenti, cum in rebus exiguis narrandis auctori etiam inspirato aliqua concedenda sit libertas. Nulla est ratio mutati ordinis affirmandi, dummodo advertas eo Iacobum *adaquasse* Rachelis gregem, quod eam cum ovibus primam ad puteum admiserit, ceteris pastoribus cohibitis; hinc Rachelis oves conferto agmine ad aquas accessere, dum Iacob virginem osculo salutans se consanguineum esse professus est. v. 12 « *Et indicavit ei, quod frater esset patris sui et filius Rebeccae. At illa festinans nuntiavit patri suo* ». *LXX* hic uti v. 13 addit *omnia verba haec.* Item v. 13 pro את שמע false legebat את שם.

v. 13 « *Qui cum audisset venisse Iacob, filium sororis suae, cucurrit obviam ei complexusque eum et in oscula ruens duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris* », — *Hebr. omnibus verbis istis*, non iis solis (*Keil*) quae v. 2-12 habentur, sed imprimis *causis itineris*, i. e. iis « quae sibi circa primogeniti iura cum fratre accidissent » (*Rosenm.*) — v. 14 « *respondit : Os meum es et caro mea* ». Non ea tandem narratione (*Keil*) consanguineum agnoscit, amplexu quippe et osculis v. 13 iam testatus erat se agnovisse. Crediderat affirmanti se esse consanguineum. Bene *Cai.* : « ratio redditur *susceptionis* Iacob, sola consanguinitas »; bene item *Bonfr.* aliquid subintelligi censet, sc. conclusionem quae ex agnita consanguineitate sponte fluebat : « apud me mane » (*Lap.*).

3. *Labani fraus in nuptiis* Gen. 29,14-30.

« *Et postquam impleti sunt dies mensis unius* », v. 15 « *dixit ei : Num, quia frater meus es, gratis servies mihi?* » Laban cupit Iacobum, quem peritum expertus est pastorem, penes se retinere : at cognatum, cui etiam maior quam extraneo tribuenda esset merces, diutius gratis famulari permittere non poterat (*Kn.*). « *Dic, quid mercedis accipias* ». v. 16 « *Habebat vero duas filias : nomen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel* ». v. 17 « *Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie et venusto adspectu* ». Putat *Kn.*, eundem auctorem, qui v. 9-12 Rachelem descripserit, non potuisse h. l. de ea loqui, quasi nulla eius ante occurrerit mentio. At v. 9-12 Rachel non describebatur, Iacob non venustate sed consanguineitate ad lacrimas provocabatur; describitur primum, ubi etiam soror describitur et de alterutra ducenda agitur.

Vide, quae diximus initio capitis. v. 15. uti 31,7. 41 et secus solummodo Ruth 2, 12, *merces* scribitur משכרת, dum eadem 30,28. 32. 33; 31,8 dicitur שכר : an propter illos tres textus statuamus diversum aliquem auctorem, cuius deliciae fuerint forma משכרת prae שכר? Adverte cap. 31 duos ex ordine haberi versus 7 et 8 unius individuae orationis Iacob, quorum prior משכרת habet, alter שכר. — v. 16. 18 voces גדלה et קטנה distinguunt sorores maiorem et minorem : sed 27,15. 42 ille, quem dicunt iahvistam, iisdem vocibus filios distinguebat. — v. 17 Rachelis venustas describitur expressionibus יפת תאר (cf. 39,6; 41,18) et יפת מראה (cf. 12,11), dum 24, 16 et 26,7 Rebecca dicitur טובה מראה. Ad pulchritudinem exprimendam טוב est vox generalior, יפה particularior : an illam igitur ignorabat elohista secundus, hanc iahvista? — רך *tener* per se cum *Chald.* de *pulchritudine* exponi posset : at « denotari hic vitium aliquod oculorum suadet oppositio, quae fit cum venustate Rachelis » (*Lamy*). Ergo melius LXX ἀσθενεῖς. *Aq. Symm.* ἁπαλοί i. e. *delicati*. Significatio *lippus*, quam cum *Vulg.* exprimit *Ps. Ion.*, utique demonstrari nequit. Ipsos Hebraeos vocis sensum nonnisi obscurius perspexisse, colligas cum e *Iosephi* generali expressione καὶ τὴν ὄψιν οὐκ εὐπρεπῆ, tum ex iis quae *Levy* affert ad voces צירניא et רכיך.

v. 18 « *Quam diligens Iacob ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis* ». « Iacob hac servitute tam longa et dura more prisco *emit* sibi uxorem ; moris enim erat, ut viri dato pretio emerent sibi uxorem » (*Lap.*). Cf. 24,53. v. 19 « *Respondit Laban : Melius est, ut tibi eam dem quam alteri viro* », i. e. extraneo, « *mane apud me* ». v. 20 « *Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis et videbantur illi pauci* » (cf. 27,44) « *dies prae amoris magnitudine* ». v. 21 « *Dixitque ad Laban : Da mihi uxorem meam, quia iam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam* ». Audacius ex uxoris vocabulo infert *Per.*, uxorem esse factam initio septennii, sed usque ad septennii finem dilatum matrimonii usum : mulier, ubi primum uxor fiebat, sub viri potestate erat et cum ipso cohabitabat. v. 22 « *Qui vocatis multis amicorum turbis* » — *Hebr. omnibus viris loci* — « *ad convivium, [fecit nuptias]* », v. 23 « *et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum* », v. 24 « *dans ancillam filiae, Zelpham nomine* ». Praegnantius *Hebr. : et dedit Laban ei Zelpham ancillam, Liae filiae suae ancillam*, quo discat lector, utri filiarum attributa Zelpha : erat enim resscitu maxime necessaria. Cur fraudem vespere non senserit Iacob, causam assignat *Iac. Edess.* multam viri verecundiam, *Ios.* vinum et noctem. « *Ad quam cum [ex more] Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam* ». v. 25 « *Et dixit ad socerum suum : Quid est, quod facere [voluisti]? Nonne pro Rachel servivi tibi? Quare imposuisti mihi?* » v. 26 « *Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante* » *adultiores* « *tradamus ad nuptias* ». v. 27 « *Imple hebdomadam [dierum] huius [copulae], et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis* ». Suadet ut prioris coniugii hebdomada (cf. Iud. 14,12) expleta, post septem dies nup-

tias celebret cum Rachele, pro ea serviturus postea alios septem annos : cf. v. 30 « et servivit cum eo rursum alios septem annos ». Fraudulenter sane egerat Laban volens filiae minus venustae de nuptiis providere. Deceptus est in primogenita Iacob, qui primogenitum fratrem deceperat. Iam Liam compellitur ducere, quacum rem habuerat; quam si repudiasset, et stupri infamia notasset omnemque obtinendae Rachelis spem abdicasset. Ergo sane ob duplices nuptias non est vituperandus Iacob : culpa omnis Labani fuit. Cf. *Iac. Edess.*

מלא שבע זאת ונתנה לך גם את זאת, *imple hebdomadam huius et dabo tibi etiam hanc.* Vox זאת bis adhibita non tamen necessario ad eandem personam refertur, cum pronominum apud Hebraeos usus sit quadamtenus incertus. Ad unam Rachel retulit *Ios.* et, ut crediderim, etiam *Chrys.* : Imple iam alteram pro Rachel hebdomadam, qua absoluta Rachelem tibi tradam. Hoc sensu *hebdomas* utique intelligenda est *annorum.* Sed post *Hier.*, qui idem sentit atque *Syr.*, *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*, interpretes vix non omnes pronomen prius retulere ad Liam et *hebdomadam* intellexere *dierum* : Perfice, quod coepisti, nuptiarum cum Lia septiduum; stuprum verte in coniugium: ita Rachele potieris, pro qua septem alios annos servies (cf. *Calm.*). Nota. etiam v. 28. 30 discerni ab invicem hebdomadam septemque annorum servitium, ut haec neque v. 27 confundere fas sit. Ceterum quaestionem dirimit annorum ratio. 30,25 post natum Ioseph petit Iacob a patruo dimitti. Postea permanere aliquamdiu inducitur mercedem e gregibus comparaturus. Permanet annos aliquos 31,7 sq., sc. sex, tandemque completis annis viginti (31,38. 41), quorum quatuordecim pro uxoribus, sex pro gregibus servierat, secedit. Ergo quartodecimo commorationis Iacob apud Laban anno natus est Ioseph, ergo ante annum quartumdecimum iam pepererat Lia filios sex et filiam unam 30,19 sqq.; sed Lia non peperit 29,31 ante initas Iacobi cum Rachele nuptias. Ergo hae nuptiae *initio* secundi septennii factae sunt et שבע 29,27 sq. septiduum nuptiarum designat. Cf. *Lamy.* An Lia censenda erit sex annis filios sex et filiam saltem unam distinctis partubus edidisse?

v. 28 « *Acquievit placito et, hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem* ». v. 29 « *Cui pater servam Balam tradiderat* ». Cf. *Hebr.* et v. 24. v. 30 « *Tandemque potitus optatis nuptiis amorem sequentis priori praetulit, serviens apud eum septem annis aliis* ».

Hebr. planius : *et ingressus est etiam ad Rachel,* uti v. 24 ingressus fuerat ad Liam, *et amavit etiam Rachelem plus quam Liam, serviritque etc.* Alterum גם, quod quidem *LXX* ignorat, affirmat Iacobum amavisse *etiam* Liam, licet Rachelem plus amaverit. Ubi *Dillm.* deprehendit contradictionem cum v. 31, ubi Iacob dicitur *odisse* Liam. At hoc odium erat relativum neque amore carebat : annon amaverit Iacob mulierem, quacum nuptiarum hebdomadam absolvit atque identidem, licet rarius, rem habebat?

4. *Uxorum invidiae et partus* Gen. 29,31-30,24.

Pericopen *Dillm.* concedit iahvistae universim, ita tamen ut plura

elohistae alteri reservet. Discerpendi textus, praeter nomina divina, ratio petitur ab explicationibus filiorum nominibus adscriptis, quarum elohista ille supponitur fuisse apprime studiosus. Tamen quae 30, 20ᵇ. 24 nominum Zabulon et Ioseph adscribuntur explicationes alterae, eas iahvistae permittit. Post Penelopaeum tandem laborem fateri cogitur, « narrationis ordinem et materiam in utroque fonte fuisse simillima, nominum derivationes, ubi diversae non recensentur (30, 26ᵇ. 24), apud B et C fere fuisse easdem et ab R modo hinc modo illinc esse transsumptas ». Annon satius erat textum linquere intactum?

v. 31 « *Videns autem Dominus, quod despiceret Liam, aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente* ». v. 32 « *Quae conceptum genuit filium vocavitque nomen eius Ruben* » — ראובן, *videte filium* vel *ecce filius*, gaudii est exclamatio — « *dicens : Vidit* », consideravit, respexit (cf. 16,11; Luc. 1,48) « *Dominus humilitatem meam; nunc amabit me vir meus* ». v. 33 « *Rursumque concepit et peperit filium, et ait : Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi. Vocavitque nomen eius Simeon* », i. e. *exauditio*. v. 34 « *Concepitque tertio et genuit alium filium, dixitque : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus* », amore mihi adhaerebit, « *eo quod pepererim ei tres filios; et idcirco appellavit* » (*Sam.* קראה) « *nomen eius Levi* » i. e. *adhaesor*. v. 35 « *Quarto concepit et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino. Et ob hoc vocavit eum Iudam* », *Ios.* εὐχαριστίαν. « *Cessavitque parere* », ergo uno saltem anno non peperit (*Kn.*), secus nulla cessatio.

Cap. XXX v. 1 « *Cernens autem Rachel, quod infoecunda esset, invidit sorori suae et ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar* » « prae tristitia » (*Bonfr.*). Certe non illud agitur (*Ps. Ion., Targ. Hier.*), ut Iacob precibus a Deo liberos impetret, secus ira et responsum Iacob v. 2 essent plane praepostera (*Per.*). v. 2 « *Cui iratus respondit Iacob : Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* » Expressio תחת אלהים אנכי non potest verti uti 50,19 « Deo subsum », sed « loco Dei » seu « pro Deo sum » : Num Dei aequalis seu Deus ego sum, qui possim tibi illud concedere, quo Deus te privavit? v. 3 « *At illa : Habeo, inquit, famulam Balam : ingredere ad illam, ut pariat super genua mea et habeam ex illa filios* »; « ut pariat filium, quem habeam ut meum, quem super genua mea reponam, ut faciunt matres » (*Lamy*). Id quandoque non erat nisi signum specialis affectus, cf. 50,22 (23); quandoque vero erat signum adoptionis cuiusdam, maxime ubi de ancilla ageretur, quae cum prole ad dominam pertineret. v. 4 « *Deditque illi Balam in coniugium, quae* » v. 5 « *ingresso ad se viro concepit et peperit filium* ». v. 6 « *Dixitque Rachel :*

Iudicavit mihi Dominus et exaudivit vocem meam, dans mihi filium. Et idcirco appellavit nomen eius Dan ». v. 7 « *Rursumque Bala concipiens peperit alterum* ». v. 8 « *Pro quo ait Rachel : Comparavit me Deus cum sorore mea et invalui. Vocavitque eum Nephthali* ».

נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי גם יכלתי. Solus *Syr.* duas priores voces omittit. Primam vocem non plene scribebat *Sam.*; quare aliqui non nomen, sed verbum cum suffixo interpretati sunt. Ita *Vulg.* tertiam vocem ignorans, et *LXX* eidem copulam praefigens : συναντελάβετό μου ὁ θεὸς καὶ συνανεστραφήν κ. τ. λ. Presse Hebraeo videtur adhaesisse *Aq.* (sed cf. *Field*) συνανέστρεψέν με ὁ θεὸς συναναστροφήν. *Comparandi* significatio verbo nequaquam competit, uti neque *habitandi* (*Itala*), sed *contorquendi* atque hinc sensu translato *pervertendi*. Quam recentiores aliqui adstruunt *pugnandi* significationem, coniugationi niphal neque Prov. 8,8 vindicat, ubi vox parallele cum עקש adhibetur, neque Iob 5,13, ubi opponitur חכמים. Utrum eandem e nostro textu derivare fas sit, non liquet. Sat commode verti potest : *Contorsionibus Dei*, i. e. vehementissimis, *contorquebar cum sorore mea et invalui*. Vel ita : *Contorsiones Dei!* Et explicatur exclamatio : *Contorquebar cum sorore mea*, i. e. sicut soror mea, *et invalui*. Contorsiones illas aut intellige dolores partus, quos in Bala patiebatur Rachel; vel commodius cum *Ios.* machinationes, artes, quibus suffecta in suum locum Bala foecunditatem demum assecuta est Rachel : διὰ τὸ ἀντιτεχνάσασθαι πρὸς τὴν ἐντεκνίαν τῆς ἀδελφῆς.

Dum nomina a Rachele filiis Balae imposita litem spirant, nomina a Lia filiis Zelphae tributa tripudium habent. v. 9 « *Sentiens Lia, quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit* ». v. 10 « *Qua post conceptum edente filium* », v. 11 « *dixit* » *Lia* : « *Feliciter. Et idcirco vocavit nomen eius Gad* ». v. 12 « *Peperit quoque Zelpha alterum* », v. 13 « *dixitque Lia : Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres. Propterea appellavit eum Aser* ».

Keri בא גד *Targumim* vertere *venit felicitas*, *Syr. venit felicitas mea*; *Aq.* ἦλθεν εὐζωνία, *LXX Veneta* ἥκει στράτευμα, comparantes גד cum גדיד, cf. 49,19. Sed omnino praeferendum, vel ob sequens באשרי, *khetib* בגד, quod *LXX* vertit ἐν τύχῃ et alia lectione εὐτύχηκα. Sensus est : feliciter, pro felicitate mea, mihi hic eventus faustus est. — Item באשרי vertendum *pro beatitudine mea*, et hinc *Ios.* ipsum nomen interpretatur μακαριστής, beatificator. Beata autem dicetur Lia et Rachele beatior, quia post quatuor, quos ipsa procrearat, filios duos genuit mediante Zelpha.

Narratur iam aliorum duorum Liae filiorum partus, cui ipsa Rachel ansam dedit. v. 14 « *Egressus autem Ruben* », qui tum « admodum puer » (*Per.*) esset, « *tempore messis triticeae in agrum* », — *Targ.* mense *Siran*, i. e. ab Aprili ad Maium, quo tempore reapse habetur messis triticea (cf. ad Iud. 15,1) — « *reperit mandragoras, quas matri Liae detulit* ». Mandragoram reddidere versiones, atque inde a *Wetzstein* (in F. Delitzsch : Commentar zum Hohenliede

p. 439 sqq.) interpretantur mandragoram, quae autumnalis audit quaeque Maio et Iunio (Cant. 7,14) e floribus purpureis poma generat coloris viridis ad luteum vergentis atque acris odoris, quae certe habent vim soporiferam, et quibus tribuebatur atque tribuitur vis ad venerem excitandam et conceptum facilitandum. Eam ceteroquin vim scriptura h. l. non affirmat, licet eam populari errore supposuerit Rachel. Quare subdole, ut aliquae sibi mandragorae concedantur, rogat : sed Lia dolum animadvertens asperius respondit. « *Dixitque Rachel : Da mihi partem de mandragoris filii tui* ». v. 15 « *Illa respondit : Parumne tibi videtur, quod praeripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris?* » Notat *Cai.*, in Hebr. bis esse verbum *tuleris*, quod minus sapiat iniuriam, quam *praeripueris*. Lia prior nupserat Iacobo, licet iniquam adhibuisset artem : hinc et sequentes Rachelis nuptias (*Calm.*), et Iacobi in Rachelem ardentiorem affectum, et artem suffectae illius toro Balae (*Bonfr.*) suam veluti iniuriam existimabat. « *Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui* ». *Hebr.* effatum inchoat coniunctione לכן, quam perperam LXX reddit οὐχ οὕτως. v. 16 « *Redeuntique ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia et : Ad me, inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa* ». Suas singulae attributas habebant uxores noctes (*Aug.* c. Faust. XXII. 49; *M.* 42. 430), certe Lia et Rachel. v. 17 « *Et exaudivit Deus, [preces eius]* ». Precum ante nulla habebatur mentio : ergo, aiunt *Kn.*, *Dillm.*, alius haec auctor eloquitur, dum alter auctor (*Kn.*) effectum non precibus sed mandragoris adscribebat. Nugae hae sunt : precum ante non requirebatur mentio, cum eae perspici queant e secuta exauditione. Imo neque preces necessario sunt supponendae : audivit Deus verba v. 16, quibus desiderium prolis sat clare exprimebatur, et exaudivit hoc desiderium. « *Concepitque et peperit filium quintum* », v. 18 « *et ait : Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo* ». En, rursum ait *Dillm.*, hic merces data affirmatur pro concessa ancilla, v. 16 pro concessis mandragoris : ergo diversi auctores. Uterque versus ludit in voce שכר, at non agit de re eadem : v. 16 tractat de mercede a Lia, v. 18 de mercede Liae data. « *Appellavitque nomen eius Issachar* », ὅ ἐστι μισθός (*LXX*).

יְשַׂשְׂכָר scribunt *Masor.*, adhibentes puncta alicuius keri perpetui יִשָּׂכָר, i. e. mercede acquiritur, τόν ἐκ μισθοῦ γενόμενον (*Ios.*). Sed kethib etiam punctari potest יְשַׂשְׂכָר = יֶשׁ שָׂכָר, mercedem fert; seu יֵשׁ שָׂכָר, adest merces, ecce merces (cf. Ier. 31, 16; 2 Par. 15,7).

v. 19 « *Rursum Lia concipiens peperit sextum filium* » v. 20 « *et ait : Dotavit me Deus dote bona : [etiam] hac vice* » tandem « *mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios. Et idcirco appellavit nomen eius Zabulon* ».

Verbum זבל hoc solo loco occurrit, sed nomen זבול *habitatio* 3 Reg. 8,13 ; 2 Par. 6,2 ; Ps. 48 (49), 15 ; Is. 63,15 ; Hab. 3,11. Porro verba habitandi etiam secus accusativo construuntur, uti גור Ps. 5,6 (5), ישב Gen. 4,20 (Ges.). Ergo solido fundamento nititur versio *habitabit mecum* (*Aq. Vulg. Targ.*). E contra LXX αἱρετιεῖ με, quod *Hesych.* explicat προτιμοτέραν με ἡγήσεται et *Hier.* « diliget me » ; idemque exprimit *Ios.* ἠνεχυρασμένον εὐνοίᾳ τῇ πρὸς αὐτήν. At, quomodo hae duae significationes eidem verbo conveniant, non satis apparet. *Del.* monet verbo apud Assyros significationem competere *attollere*, e qua derivari possint et *domus*, sc. aliquid in altum sublatum, erectum, et *honorare*. Ceterum, quomodocumque vocem explices, sensus versus indubius est et affinis 29,34 : Lia exspectat se post tot filios genitos a marito magis quam antea, imo fortasse magis quam Rachelem, cultum atque dilectum iri. — Verba *dono donavit me Deus* idem exprimunt, atque v. 18 : « Dedit Deus mercedem mihi ». Etiam nomen *Zabulon* non solum a radice זבל derivatur, sed simul alludit ad זבדני זבד : est autem ea allusio tantum seu assonantia, non nominis explicatio. Quare errat *Dillm.* duas nominis explicationes subodoratus, unam a B et alteram a C petitam.

v. 21 « *Post quem peperit filiam nomine Dinam* ». Ea recensetur propter cap. 34 : alias filias habuisse Iacobum collige ex 46,7 et ex 37,35 (secundum Hebr.).

v. 22 « *Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam et aperuit vulvam eius* ». Verba *Recordatus etc.*, quod apud *exaudivit* videantur abundare (!), *Dillm.* adscribit A ; *exaudivit eam* tribuit B ; *et aperuit etc.* assignat C : et haec vocatur critica textus expositio. v. 23 « *Quae concepit et peperit filium dicens : Abstulit Deus opprobrium meum* », sc. sterilitatem (*Chrys.*) ; cf. 16,4. v. 24 « *Et vocavit nomen eius Ioseph dicens : Addat mihi Dominus filium alterum* ». Videbat iam *Calm.* nomen *Ioseph* respicere utrumque verbum אסף (*abstulit*) et יסף (*addat*), quamvis etymologice nonnisi ad hoc alterum revocari queat. Hinc recentiores statuere, duas h. l. tradi nominis derivationes a diversis auctoribus petitas. Id gratuito statuitur. Quinam sensus magis obvii fingi possunt in mente matris dudum sterilis, quam gaudium de opprobrio *ablato* et desiderium filii *alterius?* Utrumque convenienter exprimi potuit nomine Ioseph, utrumque una mater eodem expressit. Si nomine Zabulon et matris speratus *honor* derivatione et *donum* divinitus acceptum allusione exprimi potuit, non est cur negemus Ioseph primitus esse selectum ut monumentum et opprobrii ablati et speratae alterius prolis.

5. *Labani quoad mercedem delusa fraus* Gen. 30,25-43.

Arg. — Exiguam paciscenti mercedem Iacobo annuit Laban, simul generum vel eius parte fraudare nisus. Varia enim pecora omnia et agnos nigros, quae in gregum divisione Iacob obventura essent, longissimo itinere removet, qua et praesenti mercede Iacob careat et futurae detrimentum patiatur. Fraudi Iacob alia fraude obviatur, qua e pecoribus etiam non variis plurima gignantur sibique obtingant varia. — Pericopen facile concedunt iahvistae, ei sc. auctori cuius erant, quae ante narrabantur.

v. 25 « *Nato autem Ioseph dixit Iacob socero suo : Dimitte me, ut revertar in patriam* » — *Hebr. in locum meum*, cf. 29,22.26 — « *et ad terram meam* ». v. 26 « *Da mihi uxores et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam. Tu nosti servitutem, qua servivi tibi* ». Haec acta sunt 31,41 extremo altero servitii septennio, quo vertente Lia et Rachel e Labani potestate dilabebantur et iam plene ad Iacobum pertinebant, ut iam huic fas esset cum illis et liberis, quocunque luberet, secedere. v. 27 « *Ait illi Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo* ». *Hebr. Si inveni gratiam etc.*, et supple : « fac, quod dicam » (*Cai.*), seu : « mane apud me » (*Sa*). « *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te* ».

« נחש superstitiosam et reprobatam *augurandi* artem fere semper in scriptura denotat. Novies in sacris libris occurrit, et semper noster *augurandi* verbo et nomine *augurii* exponit, nisi 1 Reg. 20, 33, ubi *accipere omen* seu *ominari*, et h. l., ubi *experimento discere* reddidit » (*Malv.*). Cum ergo prior ille sit nativus vocis sensus et Laban etiam alias superstitioni indulsisse deprehendatur, nulla est ratio, cur non cum *LXX*, *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ille idem sensus retineatur (*Theodoret.*, *Proc.*). Neque permittunt lexica, ut cum *Vulg. Chald. Syr.* is sensus detorqueatur ad significationem *experiendi* : « tamquam felix augurium agnovi » (*Cai.*); « tam certo id experimento compertum habeo, acsi illud vaticinio et augurio aut divinatione didicissem » (*Malv.*). Neque dicas, non augurio sed experimento didicisse Laban, Deum sibi propter Iacob benedixisse. Benedictionem utique oculis conspiciebat : at eam *propter* Iacob esse concessam, id augurio vir superstitiosus comperisse sibi videbatur.

v. 28 « *Constitue mercedem tuam, quam dem tibi* » pro servitio in posterum continuando. *Vulg. LXX* omittunt initio versus ויאמר, quod reapse abundat et facile irrepere potuit. Versus intime praecedenti connectitur : servierat pro uxoribus Iacob, servitium producturo ulterior merces constituatur oportet. Prior v. 29 pars utique repetitio est extremi v. 26, et v. 31 repetit v. 28. Si tamen advertas, et aliquid prolixioris dictionis a s. textu nequaquam excludi et textum quandoque ab ama-

nuensibus confundi, perspicies haud constare duorum h. l. auctorum consutas legi narrationes. v. 29 « *At ille respondit : Tu nosti, quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua* » seu *pecora tua* (*LXX*), nam possessionem pecorum vox hebraea sonat. v. 30 « *Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es* ». *Hebr. : Quia modicum, habuisti etc., crevit in multitudinem.* « *Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* [*Iustum est igitur*], *ut aliquando provideam etiam domui meae* ». v. 31 « *Dixitque Laban : Quid tibi dabo? At ille ait : Nihil volo; sed si feceris quod postulo, iterum pascam et custodiam pecora tua* ». *Hebr. : Nihil mihi dabis, si feceris mihi verbum hoc,* quod modo explicabo : *iterum etc.*

De sequenti narratione ait *Hier.* : « Multum apud Septuaginta interpretes confusus est sensus, et usque in praesentem diem nullum potui invenire nostrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret ». De ipsa vero Hieronymi translatione monet *Cai.* : « Scito, prudens lector, quod universa haec pars textus usque ad finem capituli paraphrasis est potius, quam textus ». Et *Bonfr.* : « Nota vero, ab hoc versu usque ad finem cap. nostram versionem in multis non respondere Hebraeo vel versioni Septuaginta, ut nonnullis suspicio sit, Hieronymum non tam simplicis interpretis quam paraphrastae officio functum esse; nisi dicamus, textum Hebraeum, quo usus Hieronymus, diversum fuisse ab eo, quem modo habemus; quamquam et hoc asserere difficile sit, cum in Quaest. Hebr. totum contextum iuxta textum hebr., quem habemus modo, prosequatur ». Exeunte tandem saeculo proxime elapso fatetur *Calm.* : « Textus huius et subsequentium sensus implexus est adeo, ut interpretum hucusque sedulitatem vicerit ». Neque tamen ideo assentiri possumus *Del.*, duas hic narrationes consutas deprehendi. Non omnes tandem s. textus obscuritates suturis illustrari possunt : satius erit cum *Dillm.* affirmare, in quibusdam textum hebr. esse corruptum.

Ceterum narrati eventus indoles, non obstantibus textuum discrepantiis et obscuritatibus, facile et indubie colligitur et lucem praefert ipsi textui per singula elucidando. Igitur Iacob eam mercedis rationem suggerit, quae ni natura coerceretur, longe maius Labano lucrum, et minus Iacobo concederet, quare Laban v. 34 libenter assentitur. Ea tamen ratio Iacobi arte in summum ipsius lucrum et Labani detrimentum cedit.

v. 32 « *Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias et sparso vellere; et quodcunque furvum et maculosum variumque fuerit, tam in ovibus quam in capris, erit merces mea* ». Pro *LXX Vulg.* עבר, quod versionem suppetit aut *circui separans* aut *circuiens separa;* reliqui legunt אעבר, *circuibo separans.* Priori lectioni id favere videtur,

v. 35 reapse Laban circumire, non Iacob. Altera lectio fere supponit Labani fraudem, qui, antequam Iacob uti convenerat circumiret, circumiverit ipse et omnia, quae Iacobi futura essent, trium dierum itinere abduxerit et in deserto veluti celaverit. Hanc alteram lectionem esse praeferendam, docet v. 33. *Hebr.* ita habet : *Circuibo omnes greges tuos hodie, separans inde omne pecus varium et maculatum, et omne pecus nigrum inter agnos, et maculatum et varium inter capras. Haec erit merces mea.* Adverte, in Syria oves esse plerasque albas, pauciores esse aut varias aut nigras; capras vero vix non omnes esse fulvas, paucas tantum varias; nulla nos adigi ratione, ut supponamus, capram albam Angorensem in Syriam tum iam fuisse introductam. Cf. *Kn.* Ergo Iacob sibi pro mercede vindicat pecora coloris *non communis* ideoque numero, ni natura coerceatur, pauciora; idque enuntiat expressione *omne pecus varium et maculatum.* Tamen ea expressio, si presse sumatur, non complectitur ea omnia, quae Iacob sibi vindicat, certe non agnos nigros. Quare Iacob prius universale dictum per suas partes explicat : *inter agnos,* omne pecus varium et maculatum, ut modo dicebatur, *et omne pecus nigrum; inter capras, omne pecus maculatum et varium,* et secus nihil.

v. 33 « *Respondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te : [et] omnia, quae non fuerint varia et maculosa et furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent* ». Licet ענה ב Ex. 20,16; Num. 35,30; Deut. 19,18; 1 Reg. 12,3; 2 Reg. 1,16; Is. 59,12; Os. 5,5 propter contextum significationem induat *testimonium ferre contra,* tamen sensus hic contrarius non videtur voci necessario competere neque h. l. quadrat. Quodsi enim Iacob supponatur furti esse convictus, quomodo tum eius iustitia, quae reapse non exsistit, testimonium ferre potest contra illum? aut supponamus in voce *iustitia* ironiam aliquam violentam et plane intolerabilem! Ergo cum *Vat.* dicamus, *mihi* h. l. idem esse atque « pro me ». — Pro כי תבוא על שכרי לפניך *Vulg.* legebat כי תבוא עת כשר לפניך : כשר erat mendum, sed עת certe melius est quam על. Sensus est : *Testificabitur cras pro me iustitia mea, quando venerit tempus mercedis meae coram te.* Eandem porro ideam alio modo eoque negativo exprimit altera versus pars : quando venerit tempus mercedis meae coram te, *omne quod non est varium et maculatum,* sed fulvum *in capris, et* (varium et maculatum et) *nigrum in agnis, furtum hoc mecum* seu, uti recte interpretantur *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.,* « furtum istud, si fuerit mecum » ; furti arguar (*Vulg.*) seu convincar, si apud me post gregum separationem in die mercedis effectam reperiatur aut agnus albus aut capra fulva. Cf. *Lap.* Iam ex his colligas, v. 32 genuinam esse lectionem אעבר : solum enim, si ipse Iacob

v. 32 supponatur greges dividere, potest divisionem recte factam suae *iustitiae* adscribere et, si quid minus recte factum deprehendatur, *furti* accusari.

Superest tamen non levis difficultas : v. 32 sq. obvio sensu intellecti exprimunt pactum pro ea ipsa die (v. 32 *hodie*) et pro sequenti (v. 33 *cras*) initum, dum sequenti narratione docemur pactum fuisse perpetuum et post singula pariendi tempora, quoad Iacob apud Laban permaneret, eandem pecorum divisionem iterandam fuisse. Quare interpretes post *Sa, Per.* מחר sensu latiore accepere « futuro tempore ». At licet היום et מחר seorsim scripta latiori sensu de tempore praesenti et futuro quandoque usurpentur, dure ita exponuntur, ubi se immediate uti v. 32 sq. excipiunt et invicem opponuntur; cf. etiam v. 35 *eo ipso die*. Neque pactum Iacob inter et Laban evadit sufficienter clarum et distinctum, si v. 32 de prima et v. 33 de sequentibus pecorum divisionibus interpretere. Quare praeplacet opinio *Wellh.* (*XXI.* 429 sq.) et *Dillm.*, textum esse mancum et ante vel post v. 33 totam aliquam sententiam excidisse.

v. 34 « *Dixitque Laban : Gratum habeo, quod petis* ». Pactum, uti proponebatur, Labano favebat; aequo minorem Iacobo mercedem dare sollicitabatur. Annuit homo avarus, at simul arte vel potius fraude pactum magis etiam in suum lucrum detorquere, generum parte mercedis privare nititur. Verba pacti illud habebant, ut ea ipsa die (*hodie*) ac sane vesperam versus, quo tempore greges omnes ad puteos cogebantur, divisio pecorum fieret ab ipso Iacob. Laban eadem die (*eo ipso die*) neque vespera exspectata cito circuit greges nondum in unum coactos, et varia pecora omnia et agnos nigros a gregibus eliminat, et longissimo itinere removendos curat, quo et Iacobum effugiant neque cum reliquo grege unicolore misceantur. Ubi reliqui greges ad Iacobum convenere, nihil quod separaret reperit, sola iustitiae testificatione ditatus est. Ita duplex viro damnum infligitur. Privatur mercede die *crastina* accipienda universa. Sequentium temporum mercedes extenuantur : etenim, cum ex unicolorium cum maculatis commistione pecora nasci consueverint ut plurimum unicoloria, oves sc. albae et caprae nigrae, ubi unicoloria essent omnia, necesse erat ut maculata nascerentur nonnisi paucissima. v. 35 « *Et separavit in die illa* » — subiectum esse Laban, colligas e v. 36 — « *capras et oves et hircos et arietes varios atque maculosos; cunctum autem gregem unicolorem, i. e. albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum* ». Versio haec a textu plurimum discordat. *Hebr. : Et separavit in die illa hircos varios et maculatos, et omnes capras varias et maculatas, omne in quo erat album* — i. e. « macula alba » (*Targumim*) — *et omne nigrum in*

agnis, et tradidit in manu filiorum suorum. Viri pingitur avaritia, qui tam hircos quam capras, utrumque sexum perattente lustraverit, et agnos non illos solos separaverit, qui omnino essent nigri, sed in quibus macula deprehenderetur vel maior vel minima.

Quaeres, cur maculae describantur tamquam album quid in nigro, cum aeque describi potuerint tamquam nigrum in albo. Dici fortasse potest, id quod oculis omnino exquisierit Laban, fuisse colorem nigrum, cum quae alba essent omnino ipse non separaverit; eum illi colorem fuisse omnino praecipuum, alterum potius accessorium; ideo maculata efferri ut nigra habentia aliquid albi.

v. 36 « *Et posuit spatium itineris trium dierum inter se et generum, qui pascebat reliquos greges eius* ». Quid faceret pauperculus contra hominem praepotentem, astutum? Haud iuvandus querelis siluit et artem arte elusit contra iniustum minime iniqua.

v. 37 « *Tollens ergo Iacob virgas populeas* » — seu potius *styraceas* (*LXX*, cf. *Del.*) — « *virides et amygdalinas et ex platanis, ex parte decorticavit eas; detractisque corticibus, in his, quae spoliata fuerant, candor apparuit; illa vero, quae integra fuerant, viridia permanserunt; atque in hunc modum color effectus est varius* ». Longe simplicius *Hebr. : et decorticavit in eis decorticationes albas, denudans album quod erat in virgis.* v. 38 « *Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua* ». — Recte advertit *Cai.* בשקתות המים dici « appositive » ad ברהטים (cf. Ex. 2,16), patet quippe e 24,20 utriusque vocabuli unam esse significationem. Fortasse alterutrum serius h. l. in textum irrepsit, quando alterum iam abierat in desuetudinem — « *ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas et in adspectu earum conciperent* ». *Hebr.* priorem sententiae partem ita continuat : *quo veniebant greges ad bibendum, ex opposito gregum et calefiebant, dum veniebant ad potandum.* Illud *ex opposito gregum* pendet a verbo *posuit : LXX* volens, uti crediderim, explicare connexuit cum immediate praecedentibus *quo veniebant greges ad bibendum ex opposito virgarum.* ויחמנה, scriptum pro ותחמנה, intelligi potest coordinatum verbo תבאן; ubi tamen difficultatem facit interiectum לנכח הצאן, quod pendere diximus a ויצג. Ergo commodius construes absolute : *calefiebant autem, dum irent ad bibendum,* i. e. « coibant » (*Cai. :* cf. *LXX* ἐγκισσήσωσι); hoc maxime tempore coibant. v. 39 « *Factumque est, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia et diverso colore respersa* ». Concinnius *Hebr. : et calefiebant,* i. e. coibant, *greges versus virgas, et pepererunt maculosa et varia.* Rem sibi ita explicat *Hier. :* « Observabat ergo Iacob et tempore, quo ascendebantur pecora et post calorem diei ad potandum avida pergebant, discolores virgas

ponebat in canalibus et, admissis arietibus et hircis, in potandi aviditate oves et capras faciebat ascendi, ut ex duplici desiderio, dum avide bibunt et ascenduntur a maribus, tales foetus conciperent, quales umbras arietum et hircorum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color ». Sane hoc fere modo res concipi potest.

v. 40 « *Divisitque gregem Iacob, et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum; erant autem alba et nigra quaeque Laban, cetera vero Iacob, separatis inter se gregibus* ». Longe aliter *Hebr.* : *Et oves separavit Iacob, et posuit facies pecudum versus maculata, et omne nigrum in pecudibus Laban; et posuit sibi greges seorsum, et non posuit eas super pecudes Laban.* Verte : Et oves separavit Iacob, et constituit primum agmen pecudum omnes maculatas et nigras de ovibus Laban (alterum vero agmen albas), et coegit illas in greges seorsim, separatos ab ovibus Laban (i. e. albis). De solis *ovibus* explicite agitur, vel quod lector facile censeatur dicta esse applicaturus ad capras, vel quod e textu ceteroquin haud intacto aliqua sententia exciderit. Agitur autem evidenter de *divisione* aliqua gregis (cf. v. 35) a Iacob facta secundum *colorem* : seorsim ponuntur oves variae et nigrae, e pacto v. 32 Iacobi futurae, seorsim albae ad Labanum pertenturae, neque misceri permittuntur. Idem fecerat Laban, ut et albae a variis segregatae nonnisi albas parerent, dum variae etiam cum variis aliquas albas pariturae sperarentur. Idem specie tenus facit Iacob, simulat se rei ad Labanum spectantis sollicitum administratorem, omnem querelarum aditum praecludit : simul tamen arte dolosum decipit, cum appositis virgis pro lubitu efficere queat, ut tam ex albis quam ex variis variae nascantur numero plurimae.

והכשבים הפריד ויתן פני הצאן אל עקד וכל חום בצאן לבן. *LXX Vulg. Chald. Syr.* בני הצאן vertere *coram pecudibus* : sed deberet scribi לפני. Expressio tantum verti potest *facies pecudum* vel *primum agmen pecudum*, cf. Ioel 2, 20. Vox אל commode verti nequit, sed est etiam lectionis perquam incertae. *Sam. LXX Vulg.* legebant אול, *aries;* sed nullus est sensus. *Targumim* legebant כל, quo aptissimus exsurgit sensus : posuit primum agmen omnes pecudes varias omnesque nigras. Cur has pecudes suas in *primo* agmine collocavit Iacob? Fortasse, quia ipse tamquam pastor primarius agmen ducebat et viam monstrabat : illas secum habens securior erat a fraudibus Laban. Utrum post עקד (vel נקד?) cum *LXX Syr.* primitus in textu fuerit ומטלוא, parum refert.

v. 41 « *Igitur, quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent* » ; v. 42 « *quando vero serotina admissura erat et conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt*

ea, quae erant serotina, Laban; et quae primi temporis, Iacob ». Aliter *Hebr. : Et factum est, in omni coitu pecudum robustarum posuit Iacob virgas ante oculos pecudum in canalibus, ut coirent in adspectu virgarum; quando vero debiles pecudes, non ponebat. Et fuere debilia Laban, robusta autem Iacob.* Altero igitur artificio usus est Iacob; cum sc. non auderet efficere, ut omnes partus in suae mercedis partem cederent, ne fraudem causatus Laban pactum revocaret, illud effecit, ut non solum numero longe plures, sed iidem etiam robustiores ideoque praestantiores sibi obvenirent. Robusta quippe animalia robustam edere consuevere prolem; secus debilia. v. 43 « *Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos* ».

קשר utique significationem habet *firmare*, עטף a *legendi* ad *deficiendi* (cf. Thren. 2, 19) significationem descendit : ergo sat bene *LXX* v. 42 ἄσημα — ἐπίσημα, *vilia — insignia.* Sed perperam v. 41 ἐν γαστρὶ λαμβάνοντα et ἔτεκε. Porro *Targ. Syr. Symm. Aq. Vulg.* narrata contulere cum opinione, animalia robustiora iam aestate, debiliora autumno coire, atque hinc prolem hieme editam robustiorem esse verna· Putabant igitur. Iacobum aestivo, non autumnali *tempore* virgas adhibuisse. Verum, licet haec explanatio fortasse admitti potest, non tamen debet. Potuit etiam Iacob *loco* segregare robusta a debilibus, illis forte primum et adhibitis virgis ad aquas productis, his postea aut alio loco et sine virgis.

6. *Fuga e Syria* Gen. 31,1-18.

Arg. — Iacob Labani invidia et fraudibus, ac magis etiam explicito Dei mandato permotus, discessum e Syria meditatur; cui laetae assentiuntur uxores. — Alium totius capitis auctorem subodorantur, quod 30,27 sqq. narratae sint Iacobi artes, quibus se ditaret, Labanum spoliaret, earum autem 31,7-12 nulla fiat mentio. Fortasse noluit filiabus enarrare, quomodo earum patrem deceperit; neque id fecisset ad finem, quem eas alloquens intendebat. Praeterea, quando aliquid narratione retractatur, sermo persaepe est concisior neque singula quaeque repetit.

Cap. XXXI v. 1 » *Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium : Tulit Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus factus est inclitus* » ; v. 2 « *animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius* » propter invidiam (*Chrys.*); v. 3 « [*maxime*] *dicente sibi Domino : Revertere in terram patrum tuorum et ad generationem tuam* » (cf. 12,1), « *eroque tecum* » : v. 4 « *misit et vocavit Rachel* », quae ideo primo loco recensetur, quia fuerat « voluntaria sine fraude in uxorem accepta » (*Menoch.*), « *et Liam in agrum, ubi pascebat greges* ». « Indicantur

hic tres causae, quae Iacob permoverunt ad reditum : una murmuratio filiorum Laban, altera Labani offensio, tertia divina monitio » (*Bonfr.*). v. 2 nequaquam idem edicit atque v. 1; et plane arbitrarie *Dillm.* v. 1 et 3 assignat C, v. 2 et 4 B. v. 5 « *Dixitque eis : Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius. Deus autem patris mei fuit mecum* ». Ultimum incisum intimius iunge sequentibus : Immerito mihi irascitur pater vester, nam et ego fideliter ei servivi et Deus, foecunditate tributa gregibus, ostendit se me probatum habere et mecum esse. v. 6 « *Et ipsae nostis, quod totis viribus meis servierim patri vestro* ». Porro suggerit, sibi potius rationem fuisse, cur de Laban conquereretur : v. 7 « *Sed et pater vester circumvenit me et mutavit mercedem meam decem* », « i. e. multis » (*Sa :* et cf. Num. 14,22; Iob 19,3), « *vicibus; et tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi* ». Quam protectionem explicat v. 8 : « *Si quando dixit : Variae* » oves « *erunt mercedes tuae, pariebant omnes oves varios foetus; quando vero e contrario ait : Alba quaeque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt* ».

Planus sensus *Vulg. LXX.* Tamen עקד (cf. 30, 35. 39) nequaquam significat *alba*, sed genus aliquod maculatorum, probabilius *virgata*. Quare *Calm.* suggerit mendum in textu. *Cai.*, *Bonfr.* censent, Labanum postmodum pactum restrinxisse et modo hoc, modo illud maculatorum genus Iacobo permisisse : at tum sane nihil efficiebat Iacob appositis vel remotis virgis decorticatis. Adverte assonantiam vocum עקד et נקד : ob quam solam earum alteram crediderim esse selectam, non vero quod factum 30, 32 sqq. narratum adamussim exprimat. Sensus est : Quidquid Laban Iacobo pro mercede assignavisset, idipsum greges paricbant.

v. 9 « *Tulitque Deus substantiam patris vestri et dedit mihi* », secundum 30,37 sqq. narrata. Certe non iudicabat Iacob iniuste adhibitas esse virgas. Imo iam affert divinam eius artis approbationem v. 10 : « *Postquam* |*enim*| *conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos et diversorum colorum* ». ברדים adiectivum antehac non adhibitum, quod fere sonat *grandinatum*. Visionem hanc conqueritur *Bonfr.* a nemine fuisse satis explicatam. Et *Cai.* quidem putat narrari « olim visa », *Bonfr.* « hanc visionem contigisse, priusquam Iacob cum Labano prima vice conveniret ». Nihil in textu est, cur visionem tam diu ante reliqua eodem capite narrata obtigisse pronuntiemus, neque quidquam ea hypothesis ad textum elucidandum confert. *Menoch.*, *Calm.* non tanto, sed tamen aliquo intervallo visionem a reliquis narratis separant : censent sc. eam obtigisse, quo fere tempore 30,31 Iacob cum Laban de mercede agebat, et per eam Deum *docuisse*

Iacobum artem adhibendarum virgarum. Quaeres merito, quomodo ea visione illud doctrinae inculcari potuerit. Respondet *Bonfr.* : « Satis noverat Iacob naturaliter ex albis albos, e maculosis maculosos foetus progigni; hic itaque docetur, quomodo ex albis maculosos foetus possit exprimere, parentes sc. quodammodo efficiendo maculosos et reddendo similes foetibus, quos producere volebat; non quidem re ipsa tales efficiendo, sed medio phantasmate et forti imaginatione atque adeo ratione sympathiae animae cum corpore, virtute ac energia quasi maculosos reddendo (!), cum idem praestet assimilatio illa interior seu vehemens imaginatio, quod praestat similitudo quae est a parte rei ». Haec sane sunt perquam ingeniosa : fatendum tamen, nihil horum Iacobum visione doceri, omnia commentatoris christiani esse inventa. Sensus maxime obvius expressionis בעת יחם הצאן is est, visionem obtigisse, quo supremo ante Iacobi ad uxores alloquium tempore pecora coivissent; idque confirmant ultima v. 12 verba, quibus docemur praecessisse iniurias a Laban Iacobo illatas. — Iam ipsam visionem aggrediamur. Adiectiva *varios etc.* refert *Malv.* ad « foetus nascentes », ut conspexerit Iacob e maribus et feminis albis nascentes foetus varios : sed reapse de foetibus nihil habet textus. Ergo melius adiectivum masc. referes ad *mares*, melius etiam ad *mares et feminas :* Iacob vidit animalia coeuntia, quae omnia erant maculata. Sensum visionis sequentia produnt verba. v. 11 « *Dixitque angelus Dei ad me in somnis : Iacob. Et ego respondi : Adsum* ». v. 12 « *Qui ait : Leva oculos tuos et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia, quae fecit tibi Laban* ». Deus, volens Iacob suae protectionis certum facere, primum in visione exhibet eius gregem varium et maculatum universum, quo eius adhibitam artem, qua a soceri se avaritia defenderat approbat et culpa vacare significat; iubet bono animo esse nec ullo angi metu.

v. 13 « *Ego sum Deus Bethel* » seu, ut vere *Chald.* explicat, *qui tibi apparuit in Bethel* (28,18 sqq.), « *ubi unxisti lapidem et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuae* ». v. 14 « *Responderuntque Rachel et Lia : Numquid habemus residui quidquam in facultatibus et haereditate domus patris nostri?* » « Nos quasi exhaeredes fecit » (*Menoch.*). « Filiis suis dedit omnia sua ». (*Ephr.*). v. 15 « *Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit* » *nos*, « *comeditque pretium nostrum?* » Pretium nactus est laborem Iacob, dotem attribuit nullam, quasi ancillas vendidit. v. 16 « *Sed Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis ac filiis nostris* ». *Hebr. : Profecto opes tulit Deus de patre nostro,*

ad nos pertinent et ad filios nostros. Non obligamur hic perseverare ob opes nostras, in quas ei aliquod ius competat. Hae filiae avaritiam patris imitatae praeter opes vix quidquam attendunt. « *Unde omnia, quae praecepit tibi Deus, fac* ». v. 17 « *Surrexit itaque Iacob et impositis liberis ac coniugibus suis super camelos* [*abiit*] ». v. 18 « *Tulitque omnem substantiam suam et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat,* [*pergens*] *ad Isaac patrem suum in terram Chanaan* ». *Hebr. : Et minatus est omnes greges suos et omnem substantiam suam, quam acquisierat, greges acquisitionis suae, quos acquisierat in Padan Aram etc.* Nihil Labani abstulit (*Bonfr.*), omnia sua. Monet *Menoch.* sat lente processisse, in Sichem et Bethel resedisse atque ita decennium itineri impendisse.

7. *Cum Laban post furorem restituta pax* Gen. 31,19-55.

Arg. — Laban fugientem Iacob in monte Galaad consecutus, sed a Deo ut benigne cum illo ageret monitus, teraphim quaesitis nec inventis, quae furto abstulerat Rachel, pacem et amicitiam cum genero solemni iuramento confirmat. — Quae neoterici proferunt, ut textum variis auctoribus adscribant, et nullius sunt momenti et alibi iam discussa. Sane, quod 31,13 respiciat 28,20 sqq., neque diversum neque eundem arguit auctorem, cum unus auctor ab altero narrata nosse potuerit. Quoad somnium v. 10. 24 cf. 28,12; quoad Aramaei v. 20. 24 (hebr.) nomen cf. 25,20; quoad כה v. 37 significatione « hic » adhibitum cf. 22,5. לבב v. 26 (cf. 20,5) facile potuit corruptione oriri ex לב et, si genuinum sit, nihil probat. Tandem archaismus פחד יצחק v. 42. 53 tribuitur elohistae secundo, qui eiusmodi delectari supponitur. Sed, cur sit פחד archaismus, quod habetur in Ex. et apud Iob, Is., Esth., Par.? מוֹנֶה, cum praeter v. 7. 41 nullibi legatur, nullius sane scriptoris prae alio proprium dici potest. Alia aliqua suis locis attingemus.

v. 19 « *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui* », non tam ut ea ipsa consuleret (*Ios.*), sed ne pater iis consultis de Iacobi fuga et itinere edoceretur (*Aben Esra*). Teraphim, genus quoddam penatum, μορφώματα (*Aq.*) « i. e. figurae vel imagines » (*Hier.*), τύποι (*Ios.*), imagines צלם (*Syr. Targ.*), utique humanam formam prae se ferentia (1 Reg. 19,13; et cf. *Knabenbauer* ad Os. 3,4), superstitionis potius quam idololatriae instrumenta. Cf. etiam Iud. 17,5; Ez. 21,21; Zach. 10,2 et recole, quae diximus ad 30,27. v. 20 « *Noluitque Iacob confiteri socero suo, quod fugerat* ». v. 21 « *Cumque abiisset tam ipse quam omnia, quae iuris*

sui erant, et amne » *Euphrate* (*Chald.*) « *transmisso pergeret contra montem Galaad* », per prolepsin ita appellatum (*Hier.*) : v. 22 « *nuntiatum est Laban die tertio, quod fugeret Iacob* ». v. 23 « *Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem, et comprehendit* » seu *assecutus est* « *eum in monte Galaad* ».

Ios. dicens « post diem unum » nuntium fugae accepisse Laban, non necessario contradicit textui statuenti « diem tertium », sed eum probabilius non completum. *Hebr. : Persecutus est eum, iter septem dierum*, i. e. persequentium iter septiduum insumpsit, non Iacobi, qui saltem die aut triduo ante fuerat profectus. Hinc infert *Calm.*, Iacobum decem diebus cum gregibus et parvulis (cf. 33, 13 sq.) iter confecisse 640 circiter kilom. ab Haran ad Galaad : at id est omnino impossibile neque in textu asseritur. Nota, auctorem s. non agere chronologum, sed simplici stilo acta e traditione accepta referre. Die tertio, sive pleno sive non pleno, nuntius ad Laban affertur. Colligit is *fratres* suos, i. e. praeter servos et filios, qui soli *filii* dicerentur aut *pueri*, certe aliquos veri nominis fratres (24, 53) vel etiam cognatos (22, 20 sqq.). Iam si ipsi Labani servi et greges tanta spatia occuparent, ut tridui itinere (30, 36) aliqui separarentur inter se, supponere fas erit fratres etiam longius ab illo incoluisse. Ad hos missi nuntii et remissi, statutus dies et locus, quo convenirent, locus inquam non Haran, sed propius versus flumen. Quot dies his rebus sint insumpti, et consequenter quot dies Iacob fuerit in itinere, penitus ignoramus. At, inquies, Laban rem egit quam citissime poterat. Respondeo, nullam ei festinationis fuisse rationem. Norat, quos Iacob secum haberet servos, neque ullos procul nacturum esse socios. Norat, tanto fore viribus exhaustiorem, quanto longius itinere esset progressus; tantoque item securiorem. At cur tandem tantopere festinavit Laban, ut septiduo longissimum iter conficeret? Videtur Laban fuisse vir astutus quidem, at in consiliis incertus, lentus, vacillans : primum ad fratres misit, cum eis consilia iniit; postea veritus, ne praeda ob itinerum distantias e manibus dilaberetur, summa festinatione insecutus est, incautos oppressurus, ni Deus v. 24 prohibuisset.

At, num Laban tandem iter ab Haran ad Galaad septiduo confecit? Negant, id vel a citissimis camelis effici potuisse. Unde *Lamy* nihil aliud textu affirmari iudicat, quam Laban, ubi tandem generum insequi coepit, septidui itinere ab illo distitisse; non edici, quot dies aut Laban aut Iacob itineri insumpserint. Equidem non video, camelos istud praestare non potuisse. Teste *Diodoro* XIX. 37 citissimi cameli 1500 stadia seu 274 kilom. unico die percurrebant. Teste *Strabone* XV. 724 iidem undecim diebus iter confecere, quod secus viginti vel triginta dies insumpsisset. Cf. *C. Ritter :* Die Erdkunde. Arabien II. 639 sqq., Berlin 1847. Lectissimi proregis Aegyptii dromedarii horis septuaginta duabus iter a Port Said Hierosolymam, circiter 320 kilom., confecere. Cf. *G. Ebers* : Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 108. Commode ergo potuere lecti cameli septiduo conficere iter fere 640 kilom. ab Haran ad Galaad.

Quae si tibi responsio non arrideat, aut antiquissimum in voce שבעת suppone mendum, aut eum numerum, uti ternarium v. 22, indeterminate adhiberi affirmes.

v. 24 « *Viditque in somnis* » *noctu* (cf. 20,3) » *dicentem sibi Deum : Cave, ne quidquam aspere loquaris contra Iacob* ». *Hebr. : ne loquaris ad Iacob a bono usque ad malum ;* « neque bonum, neque malum, i. e. nihil omnino » (*Mar.*), et cf. 24,50; 14,23. Sed utique sensus

est, ut *nihil* loquatur *inimico* animo : ergo recte *Vulg. aspere, LXX* πονηρά. *Loqui* non est hic idem (*Cai.*) atque *facere*, licet abstenturus a verbo multo magis abstenturus exspectetur ab actu. v. 25 « *Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum; cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium* ».

Hebr. : Et Laban assecutus est Iacob; et Iacob fixerat tabernaculum suum in monte, Laban autem fixit fratres suos in monte Galaad. Textus nonnihil claudicat. Expressio *fixit fratres suos* est dura. Desideratur nomen montis priore loco. Potuit nomen excidere, quin cum *Dillm.* cogamur pronuntiare illud a redactore esse suppressum. Non omnia in scriptis tribuenda sunt redactoribus : sunt menda, lacunae.

v. 26 « *Et dixit ad Iacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio* », « quasi bello captas » (*Bonfr.*), quibus nulla valedicendi suis conceditur venia? v. 27 « *Cur ignorante me fugere voluisti nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio et canticis et tympanis et cytharis?* » Cf. quae diximus ad 1 Reg. 18,6. Paulum differt *Hebr.*, et prior v. 27 pars fere repetit v. 26 et accipi potest uti alia eiusdem textus v. 26 lectio : cur ea assignanda sit C (*Dillm.*), reapse nulla cernitur neque ulla profertur ratio. Eiusmodi mutationes in textus irrepere consuevere etiam post primam eorum « compositionem ». Ceterum *LXX* primum v. 27 membrum praecedenti versui inserit; melius reliquis ולא vertit *et si : et si indicasses mihi, prosecutus essem te etc.* v. 28 « *Non es passus ut osculare filios meos* », « nepotes ex filiabus » (*Menoch.*), « *et filias. Stulte operatus es : et nunc quidem* » v. 29 « *valet manus mea reddere tibi malum* ». Pro עתה aliqui codices hebraei ועתה, quod *Vulg.* transponit, *LXX* iterat. Expressio יש לאל ידי habetur Mich. 2,1; Prov. 3,27 et cf. Deut. 28,32; 2 Esdr. 5,5. Quam recte interpretantur *Vulg. LXX : habet fortitudinem manus mea,* seu verbotenus *est secundum robur manus meae.* Textus laudati evincunt, perperam a *Calm.* suggeri חיל pro לאל. « *Sed Deus patris vestri* » — i. e. tui et tuorum; sed *Sam. LXX patris tui* — « *heri* » seu verius « proxima nocte » (*Cai.*) « *dixit mihi : Cave, ne loquaris contra Iacob quidquam durius* ».

v. 30 « *Esto, ad tuos ire cupiebas et desiderio erat tibi domus patris tui : cur furatus es deos meos?* » Nunc tandem ad illud devenit Laban, quod post auditam Dei comminationem unum urgere intendebat. *Hebr. : Et nunc profectus es;* de facto conqueri nihil iuvat potestque illud fortasse patriae desiderio excusari (*Kn.*), *quia desiderio tenebaris domus patris tui : at cur etc.?* v. 31 « *Respondit Iacob : [Quod inscio te profectus sum], timui ne violenter auferres filias tuas* ». Primum excusat factum, quod Laban se neglecturum praetenderat,

quo se nulla indigere indulgentia declaret. Dein furti crimen indignanter repudiat v. 32 : «[*Quod autem furti me arguis*], *apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris* », sane fratribus iis (*Tost.*), quos v. 25 secum adduxerat Laban, quosque etiam Iacob latiori sensu suos vocare potuit fratres. Potes vero etiam iungere cum *Targ. : Coram fratribus scrutare.* « Domesticum illud furtum rei tanti momenti mortem promerebatur », inquit *Calm.* Ceterum tanto maiorem suggessit poenam Iacob, quanto firmius persuasam habebat suam suorumque innocentiam. « *Scrutare, quidquid* [*tuorum*] *apud me inveneris, et aufer. Haec dicens ignorabat, quod Rachel furata esset idola* ». v. 33 « *Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob et Liae et utriusque famulae non invenit. Cumque* » *exisset de tentorio Liae et* « *intrasset tentorium Rachelis* », v. 34 « *illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli et sedit desuper* ».

Aliqua in eo contradictio apparet, quod Laban e tentorio Liae dicatur immediate transgressus esse primum in tentoria famularum, illico in tentorium Rachel; quam contradictionem *LXX* eliminare studuit mutato textu. Adnotat *Cai.*, primum ordine non ingressus, sed dignitatis recenseri ea tabernacula, quae Laban frustra perquisierit; dein ordine historico referri Laban e tentorio Liae in illud Rachelis esse transgressus, quod sane Iacobi et Liae tabernaculis proprius accedebat quam tabernacula famularum. Poteris etiam concedere, post editam Genesin scribam aliquem tentorii famularum in textu mentionem desiderasse et supplevisse. Ita simul explicabis, quod excusationem quidem vix requirit (cf. 20, 17), אמה adhibitum pro שפחה (cf. 29, 29 sqq.). — כר secus *ovem* designat, sed cum הגמל *sellam* (*Chald. Syr.* עביטא est cameli sella parvum habens tentorium, cui insident mulieres). Hae sellae erant et sunt valde molles, et sane conficiebantur velleribus *ovium*; unde petitum nomen.

« *Scrutantique omne tentorium et nihil invenienti* » v. 35 « *ait : Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo : quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo quaerentis est* ». Deluditur Laban a filia, quam ipse 29,23 deluserat (*Dillm.*). Mulier fluxum sanguinis menstruum passa sane iam tum (cf. Lev. 15,19) impura habebatur, cuius attactu Laban fuisset foedandus. v. 36 « *Tumensque Iacob cum iurgio ait : Quam ob culpam meam et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me* », i. e. ita ardenter me insecutus es (cf. 1 Reg. 17,53), v. 37 « *et scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuae* », a me tibi subtractum? « *Pone hic coram fratribus meis* », « quos tecum adduxisti » (*Menoch.*), iisdemque igitur « *et fratribus tuis, et iudicent inter me et te* ». Crescit Iacobi animus, ubi omnia prospere cedere animadvertit (*Kn.*) : exaggerat institutae inquisitionis iniustitiam. Ad aliud inde argumentum progreditur : cum tam inani

suspicione comparat servitium a se praestitum diuturnum, durum nullaque digna mercede remuneratum. v. 38 « *Idcirco viginti annis fui tecum? Oves tuae et caprae steriles non fuerunt* ». Aliqui vertunt « non abortitae sunt. Ex culpa siquidem pastoris abortus saepe accidit » (*Cai.*). « *Arietes gregis tui non comedi* », animalia lectissima, « ut solent mercenarii, qui se, non gregem pascunt » (*Menoch.*). v. 39 « *Nec captum a bestia ostendi tibi* », pecudem a fera laniatam *non intuli ad te* (*Hebr.*, et cf. Ex. 22,12. 30; Lev. 7,24) : « *ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas* ». *Hebr. : de manu mea requirebas eam, furta diurna et furta nocturna.* Quod certe erat iniustum (*Menoch.*), cf. Ex. 22,12 sq. (11 sq.). v. 40 « *Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* » « prae sollicitudine » (*Menoch.*), cum ferae nocturnae gregibus insidiarentur. v. 41 « *Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi* » (cf. ad 29,27), « *quatuordecim pro filiabus et sex pro gregibus tuis; immutasti quoque mercedem meam decem vicibus* » (cf. v. 7), quo me spoliares pretio laboris. Quin imo post tale servitium *vacuum* Iacobum dimisisset, nisi, quod ex eius iam verbis v. 29 didicit Iacob (*Chrys.*). Deus speciali providentia praecavisset. v. 42 « *Nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses. Afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus et arguit te heri* » *nocte.*

Timor Isaac v. 42 idem significet oportet, atque v. 53 (et cf. Is. 8, 13 et *Bonfr.*). Ergo non intelligitur « reverentia, quam vel Laban gerebat erga Isaac adhuc viventem, nolens eum gravius offendere in Iacob; vel quam Isaac ipse gerebat erga patrem suum Abraham; vel denique reverentia Isaac, qua quisque eum merito reveretur ut virum sanctum et Dei amicum » (*Est.*); sed cum *Targ.*, *Theodoret*, *etc.* intelligendus est *is, quem timebat Isaac*. Est appellatio aliqua perantiqua Dei.

Laban « Deum, a quo fuerat increpatus, timebat; fingit tamen se caritate suorum parcere, quasi dicat : Non patitur natura me meis nocumentum inferre » (*Menoch.*). v. 43 « *Respondit ei Laban : Filiae meae et filii, et greges tui et omnia, quae cernis, mea sunt* ». Falso ad hanc sententiae partem *LXX* trahit sequens ולבנתי. « *Quid possum facere filiis et nepotibus meis* »? Te puniens illos puniam : ergo non tam tibi quam illis favorem praestabo. *Hebr. : filiabus autem meis istis vel filiis earum, quos genuerunt, quid faciam hodie?* v. 44 « *Veni ergo et ineamus foedus, ut sit in testimonium inter me et te* ». Foedus initur ad componendas priores lites et instaurandam amicitiam : Iacob v. 50 amanter tractabit Labani filias neque in illis patris ulciscetur iniurias; neuter v. 52 alteri malum machinabitur. Cf. 21,23 sqq.; 26,28 sqq.

Quid erit in testimonium? Non ברית, inquit *Dillm.*, nomen fem. (sed haec ratio reapse est infirma), non ipsa ineundi foederis actio, quae cum brevi tempore absolvatur, non potest ullius rei permanens esse testimonium. Respondeo, in testimonium fore ipsum *foedus* ברית concrete spectatum, qua includit etiam monumentum externum et permanens, « tumulum » illum v. 48. 52. Nulla textus emendatione opus est.

v. 45 « *Tulit itaque Iacob lapidem et erexit illum in titulum* », cf. 28,18; v. 46 « *dixitque fratribus suis : Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum comederuntque super eum* ». v. 51 dicitur Laban erexisse titulum et tumulum : sc. tam Laban quam Iacob id praestitere : non est necessarium, cum *Cai.* supponere tumulum medium inter duos titulos. Similiter *fratres* h. l. imprimis intelligendi sunt ii, quos *suos* fratres v. 23 adduxerat Laban. Ceterum neque *Astruc* displicet opinio, subiectum primitus ex v. 44 intelligendum fuisse Laban, vocemque *Iacob* postmodum in v. 45 irrepsisse, putante aliquo posteriore Iudaeo primas eius foederis iciendi partes omnino patriarchae Iacob concedi oportere. Ita reapse plane fluit narratio : Laban v. 44 foedus suggerit, Laban v. 45 titulum erigit, v. 46 fratres appellat, v. 47 primus monumento nomen imponit, v. 48 eius significationem explicat, v. 50 foederis conditionem proponit, v. 51 rursus monumentum a se erectum esse proclamat. — Erexit autem titulum sane in loco alto lateque patenti, quare apta est vox ויריכה neque alium, quod volebat *Kn.*, prodit auctorem eo, qui 28,18. 22 scribebat שים (*Dillm.*). v. 47 « *Quem vocavit Laban Tumulum Testis* », יגר שהדותא, non יגר שחדותה (*Sam.*), « *et Iacob Acervum Testimonii* », גל עד, « [*uterque iuxta proprietatem linguae suae*] ». Laban « antiquam linguam parentum provinciae, in qua habitabat, sermone mutaverat » (*Hier.*), sc. sermone aramaeo. Versum condemnat *Wellh.* tamquam « glossam et superfluae eruditionis specimen » : exiguam eruditionis laudem habet is, qui duas voces aramaicas ex usitatissimis callet. v. 48 « *Dixitque Laban : Tumulus iste erit testis inter me et te hodie, et idcirco appellatum est* » — קרא h. l. verte impersonale propter v. 47, non enim Laban nomen Galaad imposuit — « *nomen eius Galaad* [*i. e. Tumulus Testis*] ». v. 49 « *Intucatur et iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus a nobis* ».

Prioris v. 48 partis textum hunc videntur legisse *LXX* : ויאמר לבן ליעקב הנה הגל הזה ומצבה אשר יריתי ביני ובינך עד הגל הזה ועד המצבה הזאת. Vox ליעקב sitne genuina necne, parum refert. הנה facile aut effingi aut excidere potuit, sequentibus vocibus הגל הזה. Totum vero illud de מצבה in reliquis textibus deest, dum reliquorum vox היום a *LXX* ignoretur. Reapse crediderim, *LXX* textum sat mancum, quem prae oculis habebant, e v. 51 complevisse; illud de מצבה introduxisse, cum quod v. 45 sq. et titulum et tumulum habeat, tum quod ea vox aliquam licet appa-

rentem tantum affinitatem prae se ferat cum nomine המיצפה v. 49 explicando, ubi etiam *Sam.* legit המיצבה contra reliquos omnes, dum rectius *Targumim* et nomen et verbum ex una radice סכא, uti *Hebr.* ex una radice צפה repetunt. Ceterum v. 48 lectio *LXX* eundem substantialiter atque reliqui textus sensum exprimit. — At sensum v. 49 *Vulg.* penitus pervertit, qui hic est : *et Maspha, quia dixit : consideret Deus inter me et inter te, quando recesserimus ab invicem.* Perspexit iam *Cai.* tertium hic nomen eiusdem loci adscribi, cuius v. 47 nomen hebr. et aram. tradebatur. Et nota, hic haberi יצף יהוה (*LXX* אלהים), dum v. 50 ad idem exprimendum scribatur ראה אלהים. Unde merito censet *Houb.*, v. 49 esse glossam e margine in textum translatam. Sc. idem locus, qui a Iacob Galaad est appellatus, postmodum Maspha audiit estque fortasse idem, qui recensetur 1 Mach. 5, 35. Igitur nomen recentius et notius aliquis margini adscripsit, eius quoque originem e verbis Iacob v. 50 repetens et, quo eam evidentiorem redderet, pro ראה substituens יצף. Quam si admittas explicationem valde probabilem, perspicies auctorem *recentiorem* scripsisse יהוה, *antiquiorem* אלהים.

Nunc tandem conditionem proponit Laban, cuius obtinendae causa foedus suggesserat, sc. filiabus providere cupit. Qua conditione v. 52 pacem paciscitur. *Dillm.* putat Labanum praeiisse Iacobo in pronuntiandis singulis iuramenti verbis. v. 50 « *Si afflixeris filias meas et si introduxeris alias uxores super eas, nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit* ». *Masor. : Non est homo nobiscum, sed videt Deus, testis inter me et te. LXX : non est quisquam nobiscum videns, sed Deus testis inter me et te.* At, quomodo nullus homo testis adesse dicitur, tot adstantibus « fratribus »? Intellige de futuro tempore (*Cai.*), et intimius copula sequentibus : etsi nullus adfuturus sit testis, quem ego in iudicium aliquod humanum producere valeam, at certe videbit Deus — et laesi iuramenti ultionem reposcet (cf. *Mar.*). Queritur *Dillm.* modo Deum modo tumulum testem invocari : Iacob non erat prope tumulum istum perpetuo habitaturus, non ibidem filias Laban amice aut dure tractaturus, cuius facti alius quam tumulus requirebatur testis. Tumulus unice testis est foederis prope tumulum sanciti. v. 51 « *Dixitque rursus ad Iacob : En tumulus hic et lapis, quem erexi, inter me et te* », v. 52 « *testis erit; tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu praeterieris malum mihi cogitans* ».

Sensus v. 52 planus est, sed constructio obscurior. אם אתה לא — אם אני לא. Iamvero אם לא in iuramentis sensum induit promissionis positivae, אם negativae : *Si* hoc *non* fecero, puniar; ergo *faciam* — *Si* hoc fecero, puniar; ergo *non faciam*. Cf. 1 Reg. 14, 45; 2 Reg. 11, 11; 20, 20. Uti patet hic sensus h. l. non quadrat. Neque iuvat cum *Dillm.* adstruere anacoluthum : *Si ego* (transiero, puniar); *non* ego transibo. Quippe hoc duplex anacoluthum est nimis durum. Ergo cum *Keil* אם — אם uti Ex. 19, 13 interpretare *sive-sive :* Sive ego, non transibo etc.; sive tu, non transibis etc.

v. 53 « *Deus Abraham et Deus Nachor* », patris Laban 11,27, « *iudicet inter nos, Deus patris eorum* », sc. Thare (*Cai.*), qui pater exstitit tam Abrahae quam Nachor. « *Iuravit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac* », cf. v. 42.

Hebr. Chald. Syr. וישבע, ubi poteris cum *Cai.* dicere, Laban a suspicione idololatriae non esse plane immunem. Adverte etiam, alia formula iurare Iacob, non ea quam Laban suggesserat. *Sam. LXX Vulg.* וישבע. — Pro אביהם aliqui codices, mendose utique, אביכם; alii cum *Sam.* אברהם; *Syr.* אבותנו; alii codices cum *LXX* vocem ignorant. Cum *Houb.* אלהי אביהם interpolatum censemus. Prius אלהי אברהם in aliquo codice defiguratum erat in אלהי אביהם, hoc alterius codicis margini adscriptum tandem in textum irrepsit.

v. 54 « *Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem* ». Epulo pactum confirmatur, cf. 26,30. Laban, citissimo itinere Iacobum insecutus, pecora secum non adduxerat : solus Iacob immolat et socerum cum sociis invitat. « *Qui cum comedissent, manserunt ibi* ». v. 55 « *Laban vero de nocte consurgens osculatus est filios et filias suas, et benedixit illis, reversusque est in locum suum* ».

8. *Cum Esau compositae inimicitiae* Gen. 32,1-33,17.

Arg. — Iacob Chanaanitiden ingressus, certior factus in Manahaim de divina protectione, nuntios praemittit salutatum Esau eique dona parat lecta et numerosa. Ubi illum audit appropinquantem, rursum in Phanuel angelica visione recreatus, fratrem convenit et res cum illo pacifice componit. De pericopae compositione non est, quod disputemus, cum fateatur *Dillm.* : « Tam B quam C, praeter Iacobi cum Esau inimicitias et fugam, etiam reditum et redintegratam amicitiam videntur universim *simillime* narrasse, e quibus ambobus R nostram pericopen composuit ». Planius fateamur haberi unius narratoris unam narrationem.

Cap. XXXII. Hebr. nonnisi a v. 3 novam pericopen orditur, sed ordienda est reapse cum *Vulg.* a v. 1, qui nequaquam praecedentem narrationem continuat, sed una cum v. 2 priorem partem itineris post pacatum et dimissum Laban suscepti describit. v. 1 « *Iacob quoque abiit itinere, [quo coeperat], fueruntque ei obviam angeli Dei* ». v. 2 » *Quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt haec. Et appellavit nomen loci illius Mahanaim, [i. e. Castra]* ». Dualem nominis formam ad duas angelorum turmas refert *Ps. Ion.* : « Et dixit Iacob, quando vidit eos : Non sunt turmae Esau, quae veniunt mihi obviam, neque turmae Laban sunt, quae reversae sunt ad me persequendum ; sed turmae angelorum sanctorum sunt, qui missi sunt a facie Domini ». Et *Rabbini* quidam

(ap. Calm.) interpretantur agmen angelorum tutelarium Chanaanitidis, qui venerint ad excipiendum Iacob eumque deducendum, dum agmen angelorum tutelarium Chaldaeae, qui eum ab Haran ad locum deduxissent, recederet. « Pulchre ad fratrem iturus inimicum angelorum se comitantium excipitur choris » (*Hier.*). Fortasse angelorum distinctae turmae Iacobo consilium suggessere gregum v. 7 in duas *turmas* dividendorum; cuius etiam divisionis memoriale aliquod fuerit nomen מחנים. Non tamen altera v. 7 nominis derivatio proponitur.

Mahanaim, urbs postea tribus Gad, sed in finibus Manasse (Ios. 13, 26. 30) neque longe a flumine Iaboc (infra v. 22) sita, sedes regni Isboseth (2 Reg. 2, 8. 12. 29) et David a facie Absalom fugientis (17, 24. 27), ubi constituit Salomon 3 Reg. 4, 14 unum e duodecim praefectis annonae. Situm accuratius definire haud valemus.

v. 3 « *Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom* », v. 4 « *praecepitque eis dicens : Sic loquimini domino meo Esau : Haec dicit frater* » — reliqui *servus* — « *tuus Iacob : Apud Laban peregrinatus sum et fui usque in praesentem diem* ». v. 5 « *Habeo boves et asinos et oves et servos et ancillas. Mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo* ». « Insinuat callide Iacob Esau fratri suo, non necessitate aliqua pressum et veluti quidquam postulaturum se venisse » (*Calm.*). v. 6 « *Reversique sunt nuntii ad Iacob dicentes : Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris* ». Speraverat Iacob (*Proc.*), se fratrem reperturum esse tanto interiecto tempore placatum : obvium habet fratrem tot armatis stipatum, vel quod uti Laban animo esset infenso, vel saltem incerto. Quid faceret Iacob? « Nec regredi nec divertere licebat tunc, ut evaderet » (*Cai.*). v. 7 « *Timuit Iacob valde et perterritus divisit populum, qui secum erat, greges quoque et oves et boves et camelos, in duas turmas* », v. 8 « *dicens : Si venerit Esau ad unam turmam et percusserit eam, alia turma, quae reliqua est, salvabitur* ». Haec utique facta sunt in Mahanaim, uti colliges e voce « ibi » v. 14, quae ad alium locum referri nequit; neque « ante se » v. 3 efficit, Iacobum eo loco iam excessisse. v. 9 « *Dixitque Iacob : Deus patris mei Abraham et Deus patris mei Isaac, Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam et in locum nativitatis tuae, et benefaciam tibi* » (31,3), quique his verbis tuum mihi auxilium pollicitus es, v. 10 « *minor sum cunctis miserationibus tuis et veritate tua, quam explevisti servo tuo* ». *Veritas* speciatim sunt miserationes ex promissione concessae (*Mar.*). Tantillus sum, ut ne promissorum quidem praestationem meo iure et ob mea merita poscere queam. Cf. 4,13. Exponuntur porro hae ipsae miserationes

Iacobo indigno iam tributae, quarum recordatione mirum in modum inflammatur in Deum fiducia : « *In baculo meo* », nihil praeter scipionem possidens (*Cai.*), « *transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior* ». v. 11 « *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo : ne forte veniens percutiat* » *me*, « *matrem cum filiis* », me penitus interimat (*Cai.*). « Occidere filios coram matre », vel potius matrem super filiis, quos suo corpore tegit, « efferatae est crudelitatis (cf. Os. 10,14). Exprimit id etiam excidium absolutissimum, in quo nulla aetatis vel sexus habita ratione omnes trucidantur » (*Calm.*). Iam eam appellat Iacob divinam promissionem, quae eiusmodi excidium permitti prohibet, v. 12 : « *Tu locutus es, quod benefaceres mihi et dilatares semen meum sicut arenam maris, quae prae multitudine numerari non potest* ».

Deo fidens, neque tamen humana negligit media (*Chrys.*). v. 13 « *Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his, quae habebat, munera Esau fratri suo* » : v. 14 « *capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas et arietes viginti* », v. 15 « *camelos foetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta et tauros viginti, asinas viginti et pullos earum decem* ». v. 16 « *Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis : Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem* », ut plures apparerent et pulchriores irent (*Tost.*), quo Esau indignatio successive accedentibus tanti muneris partibus paulatim compesceretur (*Kn.*). v. 17 « *Et praecepit priori dicens : Si obvium habueris fratrem meum Esau et interrogaverit te : Cuius es? aut : Quo vadis? aut : Cuius sunt ista, quae sequeris?* » v. 18 « *respondebis : Servi tui Iacob, munera misit domino meo Esau, ipse quoque post nos venit* ». v. 19 « *Similiter dedit mandata secundo et tertio et cunctis, qui sequebantur greges, dicens : Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum* ». v. 20 « *Et addetis : Ipse quoque servus tuus Iacob iter nostrum insequitur, dixit enim : Placabo* » (cf. Prov. 16,14) « *illum muneribus, quae praecedunt, et postea videbo illum; forsitan propitiabitur mihi* ». Priorem effati partem ait *Kn.* post v. 18 redundare : at istud maxime opportebat intelligere, brevi adfuturum donatorem amice excipiendum. Reliqua (*dixit enim etc.*) a s. scriptore adiecta sunt (*Sa*), Iacobi consilium lectori explicante.

v. 21 « *Praecesserunt* » — *Hebr. traiecerunt,* sc. flumen — « *itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa* », consequente gregum separationem et noctem v. 13 commemoratam, « *in castris* », quae utique (cf. v. 7) erant in Mahanaim (*Cai.*), quin tamen cum *Wellh. XXI.* 433) dicere fas sit, מחנה esse ipsum nomen proprium מחנים.

v. 22 « *Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas et totidem famulas cum undecim filiis, et transivit vadum Iaboc* ».

Locus Phanuel, de quo modo sermo erit, fuit utique ad orientem Succoth et trans Iordanem, at fuisse uti Mahanaim ab aquilone fluminis Iaboc nulla ratione demonstratur. Cf. Iud. 8, 8. 17; 3 Reg. 12, 25. *Ios.* certe locum assignat plagae ad meridiem Iaboci. Ergo Iacob revera Iabocum una cum familia et gregibus traiecit, flumine traiecto et reliquis progredi permissis « remansit solus » (v. 24), similiter atque Isaac 24, 62 sq. solus meditatus erat in agro (cf. *Cai.*). Perperam *Dillm.* duorum documentorum suturam se deprehendisse gloriatur.

v. 23 « *Traductisque omnibus, quae ad se pertinebant* », v. 24 « *mansit solus, et ecce vir luctabatur cum eo usque mane* ». Cum Iacob surrexerit « nocte » seu, ut recte *Vulg.* v. 22 vertit, « mature » et in traducendis gregibus et familia sane plures horas insumpserit, postea luctatus sit « usque ad auroram », sane rem exaggerat *Hier.* (ad Eph. 6,12; *M.* 26.545) luctatum esse affirmans « tota nocte ». Lucta haec non plus temporis occupasse censenda est, quam eiusmodi luctis alias impendi consuevit. De hac lucta nota sequentia.

1) Verbum אבק, a nomine quod *pulverem* significat mutuatum, hoc solo textu occurrit, sane etiam ob affinitatem cum nomine fluminis יבק. *LXX* ἐπάλαιεν, luctabatur. *Symm.* ἐκυλίετο, volvebatur. Item *Aq.*, ni praeferenda lectio ἐκονίετο, a pulvere petita. *Chald.* אשתדל, operose egit. *Lyr.* אתכתש, cum aliquo percutiendo decertare. Ergo non agitur de *amica* aliqua contentione, qualem fingebat *Syr.*, ut angelum Iacob a se in poenam diffidentiae recedere volentem precibus, ut permaneret, permoverit.

2) Luctatus est Iacob *contra* eum virum, non *cum* eo contra alium nescio quem (*Or.* De principiis III; *M.* 11. 311 sq. — *Hier.* l. c., sed aliter in Quaest. Hebr.). Cur adversarii nomen taceatur? Quid sibi volunt verba v. 25 : « et vidit, quod eum superare non posset »? Cf. etiam Os. 12, 3 sq. (4 sq.) : « In utero supplantavit fratrem suum, et in robore suo luctatus est cum Deo. Luctatus est cum angelo et praevaluit, flevit et exoravit ».

3) Lucta illa non fuit *imaginaria* neque in somno locum habuit (*Theodoret.*) : praecesserat somnus v. 22, secutus erat aliquarum horarum labor in traducendo grege et familia, iter ipse carpserat. Certe non fuit imaginarius effectus iu femore secutus. Cf. *Per.*

4) Luctatus est Iacob cum *angelo*, qui speciem (*Ios.* φαντάσμα) viri induerat. Id clare demonstrat narratio, clarius etiam Os. 12, 3 sq.

5) Hic angelus non fuit angelus *malus*, cuius sententiae *Proc.* meminit : sane non ab angelo malo benedictionem postulasset Iacob, non ab eo acceptasset nomen Israel.

6) Aut Deus passus est eum angelum in forma humana limitatum tantum robur exerere (*Est.*), aut probabilius Iacobi robur simul auxit, quo angelum superaret (*Tost.*). Angelum adstruere victum esse *volentem* (*Est.*) non

placet, cum ita nominis Israel impositio fere evadat nugatoria, neque prudenter Iacob aucturus fuisset animos ob victoriam in lucta simulata reportatam.

7) Angelus ille bonus non fuit, quem adstruunt *Ps. Ion* et *Targ. Hier.*, *S. Michael* Iacobo decimas Deo solvendas in memoriam revocaturus; neque, quae plurium est sententia, *Iacobi angelus custos*. Dic, quaeso, quo fine eum angelum supponas luctam subiisse. Forte subiisse dices cum *Menoch.*, *Tir.*, quo Iacob devicto angelo spem conciperet superandi etiam Esau. At, num eam spem angelus *amicus* non longe aptius excitasset verbis, qualia leguntur 31, 12 sq.? An non fateri cogeris, angelum superatum esse volentem? An victoria de amico volente reportata certam generat spem alterius victoriae de inimico nolente reportandae?

8) Praeplacet sententia *Iarchi* (ap. Calm.), fuisse illum *angelum custodem Esau* seu regionis ad meridiem Iaboc. Neque dicas cum *Bonfr.* non potuisse eum angelum bonum se opponere Iacobi reditui in eam regionem, quae esset Dei voluntas. Potuit ea ratione, qua Dan. 10, 13, 20 angelus Persarum restitit Gabrieli et Michaeli et proeliatus est contra eos. Ille angelus aegre ferebat primogeniti iura Esau adempta, igitur Iacobo obstitit, quam primum is in regionem illi commendatam pedem intulit. Obstitit, volente Deo et viribus a Deo in humana forma concessis, cuius etiam animus Esau omnino suberat voluntati. Ita victoria luctantis Iacob pignus fuit exaudiendarum precum v. 9-12 (*Calm.*) atque irae Esau in amicitiam mutandae. Quod autem ille angelus et ipse esset angelus bonus Dei, per quem Deus se ut alias per angelum tutelarem populi electi manifestabat, ideo convenienter Os. 12, 3 (4) dicitur « Deus » (Hebr.) moxque oratio ab hoc angelo transit ad ipsum Deum, non per hunc sed per alterum angelum se manifestaturum in Bethel. Erat praeter prophetae contextum, ut is lectorem doceret, per alium angelum in Phanuel, per alium in Bethel Deum se manifestasse.

v. 25 « *Qui cum videret, quod eum superare non posset* », quod vires a Deo in forma humana ad tempus concessae id non permitterent, « ne superbiret Iacob, quod sibi Deum superasse videretur » (*Theodoret.*), « *tetigit nervum femoris eius, et* [*statim*] *emarcuit* ». *Hebr. : percussit... et luxatus est, luctante eo cum illo.* כף ירך, latitudo femoris, est acetabulum femoris. In eo est v. 32 (33) גיד הנשה, nervus ischiadicus. Quem cum apud Arabes sola vox נשה designet, hanc censet *Del.* h. l. adscribi appositionis instar. v. 26 « *Dixitque ad eum : Dimitte me* », quem lucta complexus detines (*Bonfr.*), « *iam enim ascendit aurora* ».

Quorsum haec? *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* poetice magis quam vere : quia hac hora angelos divinis laudibus occupari oportet. *Oleaster* (ap. Per.) : quia in forma humana assumpta conspici nolebat. At eum reapse conspectum esse, pronuntiant verba v. 30.

Dein ea sane profertur ratio, quam auditam Iacob intellexisset : hanc autem non intellexisset, quia nondum compererat esse angelum. *Thom. Anglicus* (ib.) : fingebat angelus se rubore opprimi, ne ab aliquo adveniente in lucta deprehenderetur; vel simulabatur se alio festinare. Qui ita festinus est, non debet luctas in itinere suscipere. — Hae omnes explicationes aliquid gratuito supponunt. Sume sensum maxime naturalem : Sat diu iam sumus luctati, ut ascendens testatur aurora; producentes luctam nihil proficiemus, viribus quippe sumus pares. Quae verba ab eius ore profecta, qui luctae auctor fuerat, idem sonant, acsi victum se fateatur.

« *Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* ». Censet *Per.*, Iacobum iam aliquid supernaturale in adversario deprehendisse ideoque rogare benedictionem. Imo *Menoch.* comparatis verbis Os. 12,4 pronuntiat cum lacrymis Iacob hanc benedictionem expetiisse. At verba « flevit et rogavit eum » commode exponuntur de Iacobi ad Deum precibus, quarum effectus fausta illa lucta adumbratur. Planius secundum *Lyr.*, *Calm.* Iacob renuit luctam abrumpere tantum, alio et fortasse iniquiore tempore resumendam : nonnisi pace et amicitia permanenter concessa dimittere annuit, quem tenet. Reapse ברך *salutandi* significationem induit : 47,7. 10; Prov. 27,14 ; 4 Reg. 4,29. Petita praestare luctator aggreditur interrogans v. 27 de nomine : inimicorum quippe nomina ignorantur, exterminantur; amicorum requiruntur et memoriae mandantur. v. 27 « *Ait ergo : Quod nomen est tibi? Respondit : Iacob* ». v. 28 « *At ille : nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel* ». Nomen impositum 35,10 confirmatur (*Bonfr.* c. *Cai.*). Prius nomen non penitus aboletur, cum in sequenti narratione frequentius etiam quam nomen Israel usurpetur. Explica, si placet, cum *Est.* : « Posthac non solum vocaberis Iacob, sed etiam altero nomine augeberis, ut dicaris Israel, quia non solum supplantasti fratrem hominem, sed etiam in lucta superasti Deum ». « *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* »

Nomen *LXX Vulg. Chald. Syr. Aq. Symm.* (cf. *Hier.*) derivabant a שרר *dominari*, sed שרית evidenter est forma verbi לה, ergo a שרה *decertare*. *Hebr.* : *quia decertasti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti.* Cum hominibus decertasti, sc. cum Esau puero et cum Laban, et cum Esau mox decertabis : praevaluisti et praevalebis. Ita benedictio transit in vaticinium (*Dillm.*). — Ceterum de hoc nomine cf. dicenda post 35, 13.

Haec vaticinii species nominis impositionem consequens, qui actus auctoritatem aliquam prodit, Iacobo suspicionem movet, non merum hominem sibi coram adstare. Nomen inquirit, quod etiam mutua amicitia exigebat. v. 29 « *Interrogavit eum Iacob : Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit : Cur quaeris nomen meum?* » Cf. Iud. 13,18.

« Inter tuos limites mane et ne transgrediaris mensuram tuam. Vis meam benedictionem obtinere? Ecce eam tibi do » (*Chrys.*). « *Et benedixit ei in eodem loco* ». Responsum prodebat auctoritatem et mysterium; quo dato crediderim angelum subito disparuisse. Unde intellexit Iacob, se non cum homine luctatum esse. v. 30 « *Vocavitque Iacob nomen loci illius Phanuel* », — פניאל : ita etiam *Sam. Syr. Symm.* et v. 31 *Hebr. Chald.*, contra h. l. *Hebr. Chald.* פניאל — « *dicens : Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* », « et tamen non sum mortuus » (*Bonfr.*). Cf. 16,13 sq.; Ex. 33,20; Deut. 5,25 sqq.; Iud. 6,22 sqq.; 13,22 sq. v. 31 « *Ortusque est ei statim sol, postquam* » — vel fortasse verius *dum* — « *transgressus est Phanuel; ipse vero claudicabat pede* ». Verba definiunt tempus luctae et perdurantem effectum. Quo fine? ut veritas luctae statuatur. Sc. ea locum habuit immediate ante auroram, quo tempore nequaquam somno et somniis indulgent pastores, certe non ii qui cum gregibus peregrinantur; dein lucta effectum post se reliquit minime imaginarium; ergo fuit vera lucta. v. 32 « *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Iacob, usque in praesentem diem; eo quod tetigerit nervum femoris eius* [*et obstupuerit*] ». Cf. quae diximus ad v. 25. Mos fuit, non lex. Verba sunt auctoris Geneseos, certe non Esdrae, ut vult *Lamy*, cum etiam in *Sam.* legantur. — Locus Phanuel commemoratur Iud. 8,8 sqq.; 3 Reg. 12,25, sed situs est plane incertus. Nomen se putant reperisse in inscriptione regis Aegyptiaci Sesac : *Penuaru*, Aegyptii quippe literae *l*, qua carebant, sufficiebant literam *r* (*M. Mueller :* Asien u. Europa p. 168).

Cap. XXXIII v. 1 « *Elevans autem Iacob oculos suos* », non necessario immediate post ante narrata, « *vidit venientem Esau et cum eo quadringentos viros. Divisitque filios Liae et Rachel ambarumque famularum* », v. 2 « *et posuit utramque ancillam et liberos earum in principio, Liam vero et filios eius in secundo loco, Rachel autem et Ioseph novissimos* », eodem quo 32,8 ordine, ut quos magis diligeret remotiori obiiceret periculo (*Menoch.*). Putat *Cai.*, haec prius disposita nunc narrata suppleri : non tamen id necessario supponitur. Potuit Esau primum castra ponere, quo tempore potuit frater agmen disponere. v. 3 « *Et ipse progrediens* », « pro suis se, ut decebat, periculo obiiciens » (*Bonfr.*), « *adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius* ». In inscriptionibus Tell-el-Amarna constans est formula, qua servi protestantur, se « septies provolvi ad pedes » Pharaonis (*E. Nestle :* Marginalien). v. 4 « *Currens itaque Esau obviam fratri suo* », eo non exspectato (*Cai.*) et eius prostrationes interrumpens, « *amplexatus est cum stringensque collum eius et osculans flevit* »

— reliqui : *fleverunt*. v. 5 « *Levatisque oculis vidit mulieres et parvulos earum et ait : Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent?* » Bene explicat *Vulg.* brachylogiam : *Quid isti tibi?* « *Respondit : Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo* ». v. 6 « *Et appropinquantes ancillae et filii earum incurvati sunt* ». v. 7 « *Accessit quoque Lia cum pueris suis et, cum similiter adorassent, extremi Ioseph et Rachel adoraverunt* ».

v. 8 « *Dixitque Esau : Quaenam sunt istae turmae, quas obviam habui?* » *Hebr. : Quid tibi etc?* Quid istis efficere studes? Et *Hebr.* habet sing. המחנה; loquitur de omnibus per modum unius, cum a singulis idem accepisset responsum, cf. 32,17 sqq. « Audierat a pastoribus, sed iterum rogat, ut occasionem habeat ex fratris responso non acceptandi munus » (*Menoch.*), aut eius certe primum declinandi, quae orientalium est urbanitas. « *Respondit : Ut invenirem gratiam coram domino meo* ». v. 9 « *At ille ait : Habeo plurima, frater mi : sint tua tibi* ». v. 10 « *Dixitque Iacob : Noli ita, obsecro; sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis* ». Esto, non sit opus donis ad gratiam in corde fratris comparandam : at in huius gratiae externam significationem accipe dona. « *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei* ». Quae verba aeque excusantur a « vili adulatione » (*Kn.*), atque illa alia Ex. 7,1; 1 Reg. 29,9; 2 Reg. 14,17. 20, monentque *Cai. Bonfr. Sa* אלהים posse etiam accipi de *angelo*, et *Del.* nos quandoque loqui de hominis alicuius « coelesti » comitate, quae tamen decentem veri superlationem non excedant. *Hebr.: propterea enim vidi etc.* (cf. 18,5). Faciem alicuius videre idem est atque in eius praesentiam admitti : me admittendo, ait, implicite annuisti velle te munus a me accipere; is quippe admittendorum est mos, ut munus proferant. Tantoque magis cogit ratio, quod videre vultum tuum sit instar videndi vultus angeli. Unde maior est etiam dono locus, « non ad subveniendum indigentiae », cum plurima habeas, « sed in signum venerationis » (*Cai.*). Porro in eo, quod dicitur de *vultu Dei*, deprehendunt *Wellh., Dillm.* alteram nominis Phanuel derivationem, alteri scriptori tribuendam : est allusio, non derivatio. « *Esto mihi propitius* ».

Vulg. LXX legebant יִתְרְצֵנִי, *Masor.* וַתִּרְצֵנִי, iungentes prioribus : *propterea enim vidi etc., et propitius fuisti mihi.* Propitius fuisti mihi amice mihi occurrens : gratiam comple acceptans donum. Ita reapse idem fere absolute enuntiatur, quod initio versus (*si inveni gratiam etc.*) conditionate pronuntiabatur (*Cai.*). Aliqua tamen tautologia in formula urbanae supplicationis admitti potest.

v. 11 « *Et suscipe benedictionem, quam attuli tibi et quam donavit*

mihi Deus tribuens omnia ». *Hebr. : quia gratiam praestitit mihi Deus, et quia habeo omnia.* A Deo proveniunt, cuius liberalitas haud facile exhauritur; ex ea proferuntur abundantia, quae ob quantavis dona non deficiat. Ei, qui dixerat se *plurima* habere, pulchre reponit Iacob, se habere *omnia* (*Del.*). « *Vix fratre compellente suscipiens* » v. 12 « *ait : Gradiamur simul eroque socius itineris tui* ». Id utique intendebat Esau « in signum magni honoris et officii » (*Chrys.*); at simul sibi lucro futurum intelligebat, si frater praedives prope se habitaret in Seir. Iacob non in Seir, sed ad patrem Isaac proficiscebatur (*Proc.*); nolebat unum cum fratre pagum incolere (*Tost.*) eiusque fieri subditus. Prudenter tamen solam itineris societatem declinat. v. 13 « *Dixitque Iacob : Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves foetas mecum. Quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges* ». *Hebr. : Quae si urgeantur uno die, morientur omnes pecudes minores,* quas modo *oves* scribebat *Vulg.* — v. 14 « *Praecedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir* ». *Hebr. : et ego procedam secundum commodum meum,* claudicabat enim (*Cai.*), *secundum gressum pecorum antecedentium me et secundum gressum parvulorum.*

Veteres torquebat quaestio, an mentitus sit Iacob promittens iter in Seir. *Aug.* (Quaest. 106 in Hept.; *M.* 34. 575) censebat sincere promisisse, sed postea mentem mutasse. *Tost.* adstruit mendacium officiosum; *Bonfr.* promissionem conditionatam, nisi aliud iter mihi commodius iudicavero. Idem monet nos ignorare, perrexeritne serius aliquando Iacob in Seir : verum adverte, verba fere agere de itinere immediate, licet lente suscipiendo.

v. 15 « *Respondit Esau : Oro te, ut de populo, qui mecum est, saltem socii remaneant viae tuae. Non est, inquit, necesse : [hoc uno tantum indigeo, ut] inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi* ». v. 16 « *Reversus est itaque illo die Esau itinere, quo venerat, in Seir* »; v. 17 « *et Iacob venit in Socoth, ubi aedificata domo et fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, [i. e. Tabernacula]* ». Socoth, urbs tribus Gad, in australi plaga fluminis Iaboc sita Ios. 13, 27. Ps. 59 (60), 8 enumerat Socoth et Sichem ad designandum agrum et trans et cis iordanicum, ergo videntur civitates e regione fuisse neque ita multum distantes inter se.

C. Acta post reditum e Syria Gen. 33,18-35,29.

Arg. — Iam ad finem suum properat narratio. Stationibus itinerum ea rursus insistit, occasione sumpta a quibusdam stationibus supplendi

quaedam, quae in patriarcharum actis nequaquam erant silentio praetereunda : emptionem agri, quem postea Iacob Iosepho prae fratribus dono dedit; scelera Ruben, Simeon et Levi, ob quae illi iure primogeniturae exciderunt in Iosephum transferendo; voti in Bethel ante facti persolutionem; ortum Beniamini et Rachelis mortem; obitum ipsius Isaac. Sane, quae supplentur, plura sequentes Generationes Iacob omnino respiciunt et unum produnt narratorem. De pericopae compositione non est, quod dicamus, nisi neotericos suis iam ipsorum principiis ad absurdum deduci, cum cogantur singulos fere versus imo semiversus alii tribuere scriptori.

1. *Acta in finibus Sichem* Gen. 33,18-34,31.

Masor. 33,18-20 a precedentibus distinguunt; reapse verba v. 18 ostendunt novum ordiri narrationis caput, quod acta referat « in terra Chanaan », et « postquam reversus est de Mesopotamia Syriae », quae expressiones etiam inseri potuere a redactore seu Geneseos auctore. Versus incipiunt narrationem eorum, quae prope Sichem acta sunt.

v. 18 « *Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quae est in terra Chanaan* », quam nunc patriarcha redux primum intrabat (*Cai.*) ideoque merito efferendam, « *postquam reversus est de Mesopotamia Syriae, et habitavit iuxta oppidum* ». שלם nomen proprium interpretati sunt *LXX Vulg. Syr.*, et *Hier.* (Ep. 126 ad Evangelum; *M.* 22.680) commemorat urbem Salem prope Scythopolim, ubi ostendebatur palatium Melchisedech (!). Sed adiectivum *integer* (cf. Nah. 1,12) intellexere *Sam.* (שלום), *Targumim* (שלים), *Ios.* et post eos *Cai.* aliique. Neque tamen cum Hebraeorum traditione (*Hier.*) vox de ipso potissimum Iacob intelligenda est, cuius tum femur convaluerit, sed de parvulis et gregibus, de quorum ipse v. 13 ita erat sollicitus. Etiam 12,6 Sichem, uti h. l. עיר, ita praefixum habet בקום : videtur fuisse iustae molis urbs, non mera tabernaculorum congeries. v. 19 « *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem centum agnis* ». Sichem hic intelligitur vir filius Hemor, de quo cap. 34. Num ergo ab hoc nomen nacta erat urbs? Id non sequitur, potuit nomen Sichem etiam alicui vel aliquibus antecessorum Hemor obtingere. Id colligas ex Act. 7,16 (« in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem », ubi etiam admirationem facit vox « Abraham »), ni mavis ibi mendum adstruere. קשיטה versiones reddidere *agnis* (etiam Ios. 24,32; Iob 42,11, ad quem locum cf. *Knabenbauer*), ratione ducti nescio qua; *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* « margaritas » (?) scripsere. Post *Cai.* plurimi censuere esse genus quoddam nummi

seu verius ponderis argenti, quam sententiam monet *Calm.* melius consentire cum Act. 7,16. Praecipua sane agri emendi ratio fuit altare ib. erigendum (*Chrys.*); altare et emptio suggerunt (*Cai.*), patriarcham ib. diutius esse moratum. v. 20 « *Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel* ». *Hebr. : vocavit illud* אל אלהי ישראל; mediam vocem ignorant *LXX*. In singulis altaribus videtur Deus certo nomine seu titulo invocari consuevisse. Hoc nomen sane electum in memoriam novi nominis ab angelo Iacobo tributi.

Cap. XXXIV. Cum sequenti narratione Dina nubilis, Simeon et Levi viri robusti describantur, Iacob autem nonnisi tredecim post initas nuptias annis (cf. 31,38 et 29,20) in Haran perseveraverit, hinc oportet a reditu ex Haran usque ad Dinae stuprum aliquos effluxisse annos. Cf. *Cai., Bonfr.* Acta tamen haec sunt aliquamdiu ante sextum decimum Ioseph annum (37,2), quo is venditus est, postquam pater Sichimis Hebronem (ib. v. 14) secesserat. Morum hoc capite descriptio affinis est eius, quae cap. 23 legebatur : sc. mores Chananaeorum Sichem et Hebron incolentium erant iidem. Idemne sit utriusque capitis narrator, ex ea sola affinitate dirimi nequit. v. 1 « *Egressa est autem Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius* », occasione cuiusdam solemnitatis, inquit *Ios.* In cuius curiositatem facunde invehitur *Bern.* (Tract. de gradibus humilitatis et superbiae cap. 10; *M.* 182. 958). v. 2 « *Quam cum vidisset Sichem, filius Hemor Hevaei, princeps* » — vel rectius *principis* (*Calm.*) —« *terrae illius, [adamavit eam et] rapuit et dormivit cum illa, vi opprimens virginem* ». Egit, quod alii 12,15; 20,2; 26,10 agere attentaverant (*Kn.*). נשיא principem significabat Hebraeis 17,20, Hethaeis 23,6, Ismaelitis 25,16, Hevaeis h. l. — v. 3 « *Et conglutinata est anima eius cum ea, tristemque delinivit blanditiis* ». Cf. *Hebr.* — v. 4 « *Et pergens ad Hemor patrem suum : Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem* ». Parentum est (cf. 21,21) providere filiis de uxore.

v. 5 « *Quod cum audisset Iacob, absentibus filiis et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent* ». Haec ratio, cur non primum ipse querelas Sichimam detulerit. v. 6 « *Egresso autem Hemor patre Sichem, ut loqueretur ad Iacob* », v. 7 « *ecce filii eius veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod foedam rem operatus esset in Israel et, violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset* ».

Hebr. : filii Iacob venerunt de agro, ut primum audierunt, contristati sunt viri et irati sunt valde etc. — נבלה i. e. *stultitia* in scriptura vocari consuevere peccata carnis, quia homo naturae, honoris et decentiae immemor carnisque pruritui obsequens reapse stultissimus est (*Del.*). — Immerito s. scriptoris *Kn.* explodit simplicitatem,

qui nomine *Israel* utatur pro aevo, quo populus Israel nondum exstaret (cf. 47, 27) : potuit enim patriarchae familia Israel appellari, licet populus nondum esset (*Del.*). וכן לא יעשה, *et ita non debuit fieri*, hoc non erat secundum morem et decentiam.

v. 8 « *Locutus est itaque Hemor ad eos : Sichem filii mei adhaesit anima filiae vestrae : date eam illi uxorem* », v. 9 « *et iungamus vicissim connubia : filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite* ». v. 10 « *Et habitate nobiscum* », cf. 20,15 : sedes intra fines, quod principis est, offert (*Dillm.*). « *Terra in potestate vestra est : exercete, negotiamini et possidete eam* ». *Hebr. : incolite et peragrate eam et sedes figite in ea.* Omnia civium iura et usus concedit. v. 11 « *Sed et Sichem ad patrem et ad fratres eius ait : Inveniam gratiam coram vobis et, quaecunque statueritis, dabo* ». v. 12 « *Augete dotem et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis : tantum date mihi puellam hanc uxorem* ». Putabat *Mar.*, dotem מהר tribuendam fuisse puellae, munera מתן cognatis. At מהר dabatur patri : cf. Ex. 22,16 sq. (15 sq.). מתן intelligit *Kn.* danda puellae, uti 24,53 : at ib. recensentur munera et puellae et cognatis data, et haec altera h. l. intelligere praeplacet, cum reparationem cognatis offerat Sichem, dona autem ab uxore in domum mariti auferenda vix ut reparatio a cognatis accepta considerari queant.

v. 13 « *Responderunt filii Iacob Sichem et patri eius in dolo, saevientes ob stuprum sororis* ». Sententia ab אשר incipiens post וידברו claudicat, reddit vero rationem vocis במרמה : ergo cum *Syr.* legenda verba hoc ordine וידברו במרמה. Cf. *Dillm.* — Dolus non solum in eo erat, ut simulata amicitia necem pararent, sed ut legem aliquam circumcisionis ementirentur. Etenim non prohibebantur tum posteri Abrahae ducere filias incircumcisorum : duxerat ipse Iacob, ducturus erat Iuda. Possumus cum *Bonfr.* dicere, id paulatim coepisse illicitum haberi, quoad a Moyse lege sit interdictum. v. 14 « *Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod* [*illicitum et*] *nefarium est apud nos* ». v. 15 « *Sed in hoc valebimus foederari* » seu *assentiri*, « *si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omne masculini sexus* ». v. 16 « *Tunc dabimus et accipiemus mutuo filias vestras ac nostras, et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus* ». v. 17 « *Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram et recedemus* ». Videntur porro Hevaei id in votis habuisse, ut familia Iacob nonrecederet, quo ipsi numeris et opibus augerentur.

v. 18 « *Placuit oblatio eorum Hemor et Sichem filio eius* », v. 19 « *nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur expleret; amabat enim puellam valde, et ipse erat inclitus in omni domo patris sui* ». Ipse illico

circumcisus est : cuius exemplum maxime valuit ad reliquos, ut idem praestarent, permovendos. v. 20 « *Ingressique portam urbis* », ubi de re publica deliberare consueverant, « *locuti sunt ad populum* » : v. 21 « *Viri isti pacifici sunt et volunt habitare nobiscum* ». *Vulg.* uti *Sam.* pro וישבו legebat ישבו : lectio praeferenda attento contextu et v. 10. Etiam quoad sequentia cf. v. 10. « *Negotientur in terra et exerceant eam, quae spatiosa* [*et lata*] *cultoribus indiget* ». רחבת ידים : eadem expressio habetur Ps. 103 (104), 25 et Is. 33,21; sensus est *spatiosa quoad utrumque latus* (cf. Ex. 2,5), late patens. « *Filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus* ». v. 22 « *Unum est, quo differtur tantum bonum, si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes* ». Sat libere versum, uti etiam sequentia, sensu manente substantialiter eodem. v. 23 « *Et substantia eorum et pecora et cuncta, quae possident, nostra erunt* », quia erimus unus cum ipsis populus. « *Tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul unum efficiemus populum* ». v. 24 « *Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus* ».

v. 25 « *Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est* », — teste experientia tam in reliquis quam in circumcisionis vulneribus; *Hebr. : dum essent in doloribus* — « *arreptis duo filii Iacob, Simeon et Levi, fratres Dinae* » ideoque eius prae ceteris ultores, « *gladiis ingressi sunt urbem confidenter* », sane non sine sociis aliquibus (*Cai.*), « *interfectisque omnibus masculis* », v. 26 » *Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem, sororem suam* ». Adverbium בטח (*confidenter*) non ad fratres refert *Chald.*, sed ad urbem : *quae habitabat secure; Vat.* « incautam » cf. Ez. 30,9. Miratur *Dillm.*, Ruben se non iunxisse fratribus, virum ait nullibi prostare pro suae gentis honore : tamen non est vituperandus, quod ab eo scelere abstinuerit; fortasse etiam ipse primogenitus non sibi putabat in re tam gravi inconsulto et, si consuleretur, invito parente esse procedendum. v. 27 « *Quibus egressis, irruerunt super occisos* [*ceteri*] *filii Iacob* », non necessario omnes (*Cai.*), » *et depopulati sunt urbem in ultionem stupri* », hanc proferebant ipsi excusationem. Movebantur desiderio vindictae, spe lucri et etiam ea ratione, ubi ad arma et necem ventum esset, tutius eam civitatem penitus opprimi, ne ullus opis a vicinis ferendae relinqueretur locus. v. 28 « *Oves eorum et armenta et asinos cunctaque vastantes, quae in domibus et in agris erant* », v. 29 « *parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas* ». Sequentia verba Iacob utique demonstrant, rem eo inscio a filiis actam esse (*Cai.*); tamen reprehensio est sat lenis, non tam facti atrocitatem quam invidiam carpens. Longe severior est reprehensio 49,5 sqq. v. 30 « [*Quibus patratis audacter*],

Iacob dixit ad Simeon et Levi : Turbastis me et odiosum fecistis me Chananaeis et Pherezaeis habitatoribus terrae huius ». *Hebr.* : *Perturbastis me*, seu *contristastis me* (cf. Iud. 11,35), *ut me faceretis foetere etc.*; cf. 2 Reg. 10,6; 16,21. « *Nos pauci sumus, illi congregati percutient me et delebor ego et domus mea* ». v. 31 « *Responderunt : Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?* »

Unanimes iam sunt interpretes in condemnandis Simeon et Levi. Merito utique stuprum sororis indigne tulerunt illudque potuere vel totius urbis excidio ulcisci. At amplam reparationem a Sichem oblatam acceptaverant ipsi, pactum ferierant omnino observandum. Gravi dolo circumvenerunt eos, qui sinceris ad eos animis accesserant; circumcisione sacrilege abusi sunt; doloribus oppressos aggressi, eos qui nulla ratione defendere se possent, ferali crudelitate trucidarunt; hac in re patris auctoritatem, cuius imprimis erat filiae honori prospicere, anticipantes. Cf. *Per.*, *Bonfr.* etc. Severe factum reprobavit Iacob 49, 5 sqq., Deo inspirante locutus. Cuius verbis non licet opponere encomium Iudith 9, 2, quae non potest demonstrari Deo inspirante esse locuta.

2. *Acta in Bethel* Gen. 35,1-15.

Duo eventus commemorantur : altare in Bethel ex voto consecratum v. 1-7, titulus ib. in novae divinae revelationis memoriam erectus v. 9-15; quibus interponitur illud de morte Deborae.

Cap. XXXV. Recedendi Bethelam ratio affertur Dei v. 1 mandatum, votum 28,22 ib. exsolvendum; ita etiam subducebantur indignationi accolarum ob vastatam Sichem (*Per.*). v. 1 « [*Interea*] *locutus est Deus ad Iacob : Surge et ascende Bethel et habita ibi, facque* » *ibi* « *altare Deo* », — hic et v. 37 scribitur nomen אל — « *qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum* ». At non imparati ad locum sanctum accedunt : « intus et foris mundati ite » (*Chrys.*). v. 2 « *Iacob vero, convocata omni domo sua* » *et omnibus, qui cum ipso erant,* « *ait : Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt* », idola Rachel (31,19; *Chrys.*), idola Sichemitarum (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*), alia, « *et mundamini ac mutate vestimenta vestra* ».

אלהי הנכר i. e. *dii* (*terrae*) *alienae*, uti בן הנכר Gen. 17, 12. 27 *alienigena*, designare potest per se vel veri nominis idola, vel verum Deum eiusque angelos secundum aliarum gentium ritus et superstitiones cultos et repraesentatos. ***Mundamini*** (cf. Ex. 19, 14) certe non internam munditiem (*Bonfr.*), sed corporis ablutionem (*Per.*) significat. Assumuntur vestes aliae, mundae, lectiores : « Vestium nitore puritatem declarate » (*Chrys.*).

v. 3 « *Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo,*

qui exaudivit me in die tribulationis meae, et socius fuit itineris mei ». Cf. 28,15 sqq. v. 4 « *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant* » *in manibus suis*, « *et inaures, quae erant in auribus eorum* », quas *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* supponunt deorum speciem esse imitatas; contextus docet pertinuisse ad superstitionem. « *At ille infodit ea subter terebinthum, quae est post urbem Sichem* »; de qua diximus ad Iud. 9,6. Sub eadem arbore Iosue 24,26, postquam populum ad abiiciendos deos alienos cohortatus est, erexit lapidem in testimonium.

Iacob, licet gentium circum incolentium 34,30 indignationem vereretur, tamen ubi Dei accepit mandatum, omnia agit sine trepidatione. Simul eius familia v. 6 creverat in *populum*, non tam ob adiunctas sibi Sichemitarum uxores et parvulos (*Del.*), nam horum magna sine dubio pars divendita est, sed ob gregum atque hinc servorum emptitiorum seu conductorum numerum. Fidenter agentem Deus protegit (*Chrys.*). v. 5 « *Cumque profecti essent* » seu verius *proficiscerentur*, « *terror Dei* », « ingens et a Deo missus » (*Menoch.*), « *invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes* ». « Hac ratione securum praestitit servum suum Deus, cum maxime sibi suisque timeret » (*Bonfr.*). v. 6 « *Venit igitur Iacob Luzam, quae est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse et omnis populus cum eo* ». Uti 33,18 effertur, patriarcham non iam trans Iordanem, sed in ipsa terra promissa versatum esse. Urbs uti 28,19 nomine et veteri et recenti designatur. Sane verba non fuere scripta, quo tempore Israelitae dudum Chanaanitiden obtinebant et nomen Luza penitus obsoleverat; revocant nos ad tempus, quo Hebraeis diu in Aegypto versatis nomina a patriarchis imposita in Chanaanitide in desuetudinem abierant, in sola Hebraeorum traditione supervixerant, et quo narrator sacer in votis habebat, quae Chanaanitidis loca locis a patriarchis consecratis responderent, accurate aequales edocere. v. 7 « *Aedificavitque ibi altare et appellavit nomen loci illius Domus Dei* », seu verius *El Bethel*. 18,19 appellavit locum universim Bethel, nunc locum altaris vocat El Bethel : altare nomine aliquo divino appellatur, quo sc. nomine Deus ad illud altare esset invocandus. « *Ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum* ». Verba referuntur ad apparitionem 28,12 sq. Si cum *Hebr. Chald.* legas נגלו, voce אלהים intelligendus erit non solus Deus, sed Deus et angeli (*Cai.*). Tamen *Sam.* legit נגלה, et consentiunt *LXX Vulg. Syr.* — v. 8 « [*Eodem tempore*] *mortua est Debora nutrix Rebeccae* » (24,59), « *et sepulta est ad radices Bethel subter quercum; vocatumque est nomen loci illius Quercus Fletus* », אלון בכת, ubi *Sam.* בכית; *Syr.* videtur legisse אלה, uti v. 4. « Vides,

quomodo semper ab eventibus nominet loca, ut perpetua servetur memoria » (*Chrys.*).

Cum Debora cum ipsa Rebecca Mesopotamia excesserit, errat *Chrys.* eam supponens nunc tandem cum Iacob indidem excessisse, ut post tot annos dilectam sibi Rebeccam in Chanaanitide inviseret. E contra *Cai.* censet, mortua hoc fere tempore Rebecca, Deboram Iacobo obviam venisse, quod mallet cum eius uxoribus Aramaeis potius, quam cum Chananaeis uxoribus Esau degere. Rebeccam, quo tempore Iacob nondum Hebronem redierat, supremum diem obiisse, utique colligo e tacita in s. narratione eius morte. *Rabbini* aliqui censent, Deboram secundum condicta 27, 45 « et adducam te inde huc » a Rebecca missam esse ad revocandum ex Haran Iacob. Sed erat ea fere aetate provectior, quam ut ad tale officium circummitteretur (cf. *Per.*). Potius cum *Bonfr.* fateamur, nos rei rationem ignorare. Ceterum adverte, nihil esse in textu, quo affirmetur Debora mortua esse brevi post Iacobi in Bethel adventum.

v. 9 « *Apparuit autem iterum Deus Iacob, postquam reversus est de Mesopotamia Syriae, benedixitque ei* ». Iam *LXX* putarunt haec facta esse *Luzae*, et hinc *Chrys.* : « Sicut tunc », ait, « visus est abeunti, ita nunc redeunti apparet in eodem loco et confirmat priores promissiones ». At licet inter alias etiam promissiones 28,11 sqq. confirmentur, tamen lectio LXX sufficienti auctoritate destituitur, et vox עוד nonnisi mediate ad 28,11, immediate vero ad 35,1 refertur (*Kn.*); idque etiam si supponas (*Dillm.*) vocem insertam esse a redactore. Redactor enim omnia haec documenta, quaecunque ea tandem fuisse supponantur, prae oculis habebat vocemque sane retulit proxime ad eum eventum, qui proximus in contextu reperiebatur. v. 10 « *Dicens : Non vocaberis ultra Iacob* », — *Hebr.* anacolutho sententiam orditur : *Nomen tuum Iacob, non vocabitur ultra nomen tuum Iacob* — « *sed Israel erit nomen tuum* ». Censebat *Hier.* cap. 32 nomen imponendum praedici, hic tandem imponi. At cum verba utrobique sint plane eadem, interpretes post *Rup.* censent, nomen prius impositum h. l. « repetitione confirmari »; et rationem affert *Bonfr.*, animum fuisse addendum Iacobo, uti prius propter timorem Esau, ita nunc propter timorem Chananaeorum. « *Et appellavit eum Israel* », v. 11 « *dixitque ei : Ego Deus omnipotens* », אל שדי; verbis iisdem 17,1 Deus alloquebatur Abraham. « *Cresce et multiplicare : gentes* » — ita *Vulg. LXX;* sed reliqui singularem habent ut commode vertas : *gens, imo congregatio populorum.* Vel tribus concipe ut totidem populos, vel populum Israel propter innumerabilem multitudinem (13,16) congregationem populorum appella — « *et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis*

tuis egredientur ». Cf. 17,6. 16. — v. 12 « *Terramque, quam dedi Abraham* » (12,7; 17,8) « *et Isaac* » (17,19. 21), « *dabo tibi et semini tuo post te* ». v. 13 « *Et recessit ab eo* »; omnino uti 17,22 (*et ascendit ab eo Deus*), habentque reliqui verba, quae etiam sunt in v. 14 : *in loco, ubi locutus erat cum ipso.*

In sequente narratione semper nomen *Iacob* scribitur, exceptis textibus his, qui nomen *Israel* habent : 35, 21. 22 (bis); 37, 3, 13; 43, 6. 8. 11; 45, 28; 46, 1. 2. 30; 47, 29. 31; 48, 2. 8. 10 (bis). 13. 21; 49, 24; 50, 2. Lectiones sunt certae, licet *Vulg.* pluries, uti etiam alias, nomen proprium supprimat. Recentiores facti sufficientem rationem demonstrare non valent. Si textus ipsos perpendas, reperies nomen *Israel* usurpari : 35, 21 sq., ubi Ruben primogeniturae honorem incesto foedat; 37, 3, ubi Israel in Ioseph praedilectio commemoratur; 43, 6. 8. 11, ubi de altero Rachelis filio Beniamin in Aegyptum dimittendo agitur; 45, 28 et 46, 1 sq., ubi nuntium de Iosephi vita accipit Iacob; 46, 30, ubi Ioseph patri occurrit; 47, 29-31, ubi Iacob moriturus Ioseph accersit; 48, 2. 8. 10. 13. 21, ubi Iacob filiis Ioseph benedicit; 49, 24, ubi Iacob de ipso Ioseph gloriosa vaticinatur; 50, 2, ubi Ioseph patrem honorifice sepeliendum curat. Ut breviter dicam : *Iacob filiis Liae et concubinarum est dumtaxat Iacob, filiis Rachel et imprimis Iosepho est Israel.* Haec distinctio vix aevo mosaico in textum introduci potuit, quo tempore de principatu tribus Iuda minime ambigebatur. Crediderim eius originem repetendam esse ex illo tempore, quo Hebraei tam superstite quam demortuo Iacob in Aegypto prospere agebant, quoque domus Ioseph omnino principem dignitatis inter illos locum obtinebat. Ipse Iacob filios Rachel, et imprimis Iosephum, multo plus quam reliquos filios adamaverat et, post Rubeni incestum, fortasse sperabat se primogeniturae iura Iosepho posse tribuere. Hinc fratrum in Iosephum invidia. Adverte porro, *Generationes Iacob* cap. 37-50 nihil aliud enarrare, nisi *Iosephi* gloriosa fata et *Iudae* ignominiam. Et tamen Iacob, ubi divino spiritu afflatus est, facere non potuit, quin 49, 10 Iudae sceptrum et nasciturum messiam attribueret. Diu post, quando decem tribus duce tribu Ioseph sceptro Iuda se subduxere, vocaverunt regnum suum *regnum Israel.*

v. 14 « *Ille vero erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina et effundens oleum* », v. 15 « *vocansque nomen loci illius Bethel* ». Illa *libamina* interpretatur *Ps. Ion.* fuisse vini et aquae; alii censent unum idemque esse cum sequente olei infusione. Comparatione cum 28,18 sq. facta quaeritur, utrum Iacob bis titulum adhibita libatione erexerit, bis locum nomine Bethel appellaverit. *Aben Ezra, Vat.* verba construunt plusquamperfecto. *Lamy* suggerit fieri potuisse, « ut vel temporum iniuria vel incolarum depraedatione prius altare dirutum fuerit aut saltem ita disiectum, ut

renovari debuerit ». Reapse, Iacob bis vocatus est Israel (*Sa*), potuit et loco illi bis imponi nomen Bethel; et, si in una ecclesia plura reperiuntur altaria, non est cur Iacob non erexerit duos in uno loco titulos. Sunt loca, non in Palaestina quidem, ubi integri circuli lapidum erectorum conspiciuntur. Certe loci appellatio v. 15 non est eadem atque v. 7 : v. 15 totus locus vocatur Bethel, v. 7 solum altare vocatur El Bethel (*Cai.*), quod nomen supponit nomen loci Bethel iam antea exstitisse (*Del.*).

3. *Acta prope Bethlehem* Gen. 35,16-26.

Arg. — Mors Rachel silentio praeteriri non poterat, cum quod fuerit uxor Iacobo prae aliis carior, tum quod moriens in lucem ediderit filium duodecimum Beniamin. Unde nato Beniamin subiicitur v. 23-26 completus filiorum elenchus. Prius tamen v. 21 sq. incestus Ruben, qui ipse etiam prope Bethlehem obtigerat, narratur.

v. 16 « *Egressus autem inde* » — « non continuo, nam Deus praeceperat, ut moraretur in Bethel » (*Proc.*) — « *venit verno tempore ad terram, quae ducit Ephratham* ». כברת videtur *Hier.* derivasse a ברר vertitque « electo terrae tempore » (4 Reg. 5,19), quod h. l. et 48,7 interpretatus est de « verno tempore ». At כברה significat *longitudo*, *Chald.* כריבא *iugerum*, *Syr.* vertit *parasangam*, *LXX* 35,19 et 48,7 ἱππόδρομος, *Aq.* ὄδος : vox aliquam distantiae mensuram significat, quam accuratius definire haud valemus. Verte : *Cum abessent adhuc Kibrathae distantia ab Ephratha, peperit Rachel.* « *In qua cum parturiret Rachel* », v. 17 « *ob difficultatem partus periclitari coepit. Dixitque ei obstetrix : Noli timere* », bono animo esto, « *quia et hunc habebis filium* », non filiam. v. 18 « *Egrediente autem anima* [*prae dolore et*] *imminente iam morte, vocavit nomen filii sui Benoni,* [*i. e. Filius doloris mei*]; *pater vero appellavit eum Beniamin,* [*i. e. Filius dexterae*] », aut eo ipso tempore, aut post mortuam coniugem. Nomina vere explicat *Vulg.* : mater doloribus oppressa vocavit filium doloris exitialis causam et fructum; pater in summo dolore nativitate filii ad spem erectus, vocavit filium dexterae seu, quod dexterum apud orientales idem sonaret quod faustum, filium felicitatis efficiendae causam. Quem sensum ipsa nominum oppositio inculcat : stulte, neglecto dilectae uxoris exitiali dolore, vocasset natum Iacob « filium meridiei » (*Del.*). v. 19 « *Mortua est ergo Rachel et sepulta est in via, quae ducit Ephratham, haec est Bethlehem* ». De situ sepulcri diximus ad 1 Reg. 10,2 sqq. v. 20 « *Erexitque Iacob titulum super sepulcrum eius : hic est titulus monumenti Rachel usque in praesentem diem* ».

v. 21 « *Egressus inde* » *Israel*, « *fixit tabernaculum trans Turrem gregis* », Turrem Eder secus ignotam, ad quam alludi Mich. 4,8 gratuito affirmant aliqui. Videtur ea turris fuisse inter Bethlehem et Hebron (v. 27). Fortasse ibi Iacob greges reliquit, dum patrem salutatum properaret; quo absente Ruben nactus est occasionem incestus committendi. LXX versum transferunt in locum v. 16 ita : *Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem Eder. Et factum est, quando appropinquabat... Ephratham etc.* Obest primum ratio critica, dein contextus. Nam singulas, quas recenset, itineris stationes narrator connectit cum aliquo eventu maioris momenti, et singulos eventus cum aliqua statione. Atqui secundum *LXX* nullus eventus cum illa turri connectitur, cum sepulcrum Rachel hic et alibi semper sola vicinitate Bethlehem definiatur. v. 22 « *Cumque habitaret* » *Israel* « *in illa regione, abiit Ruben et dormivit cum Bala concubina patris sui, quod illum* » *Israel* « *minime latuit* ».

Antequam Iacobi ad patrem reditus narretur, brevis subnectitur filiorum elenchus, ubi vox Rubeno affixa *primogenitus* quodammodo supplet ei, quam aliqui notavere, v. 22 abruptae brevitati (*Hebr. : et audivit Israel*) : divinat lector, eum filium iure primogeniturae fore privandum, qui patris torum maculaverit. « *Erant autem filii Iacob duodecim* ». Producuntur iam cum suis quaeque filiis uxores, eo ordine quo Iacobo nupserunt. v. 23 « *Filii Liae : primogenitus Ruben, et Simeon et Levi et Iudas et Issachar et Zabulon* ». v. 24 « *Filii Rachel : Ioseph et Beniamin* ». v. 25 « *Filii Balae ancillae Rachelis : Dan et Nephtali* ». v. 26 « *Filii Zelphae ancillae Liae : Gad et Aser. Hi sunt filii Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae* ». Beniamin in Mesopotamia neque natus neque conceptus erat, sed nominantur omnes a maiori parte » (*Tost.*). « Quia omnes excepto Beniamin nati fuerant in Padan Aram et exceptionem manifestaverat, ideo sciens Moyses sermonem suum intelligi subintellecta hac exceptione dixit, enumeratis omnibus filiis : qui nati sunt in Padan Aram » (*Cai.*). Vel dicas cum *Del.*, Beniamin natum esse in reditu e Padan Aram, atque ita cum reliquis ei regioni adscribi. Cf. *Aug.* Quaest. in Hept.

4. *Acta in Mambre : mors Isaac* Gen. 35,27-29.

v. 27 « *Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, haec est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac* ». Cf. 23,19. Sequentes duo versus omnino imitantur, quae 25,7 sq. de morte et sepultura Abrahae dicebantur. v. 28 « *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum* », quo tempore ipse Iacob erat cen-

tum viginti annorum (cf. 25,26). v. 29 « *Consumptusque* [*aetate*] *mortuus est et appositus est populo suo senex et plenus dierum, et sepelierunt eum Esau et Iacob, filii sui* ».

IV. GENERATIONES ESAU GEN. 36.

Nullius gentis alienae Generationes tanta, quanta Edomitarum, cura Genesis explicat. Ubi conferas 1 Par. 1,35-54. Adscribuntur autem documenta varia, suis singula inscriptionibus ornata, nulla invicem sutura confusa. Plura diximus in Introd. p. 37 sqq. quae h. l. non lubet repetere.

1. *Generationes Esau proprie dictae* Gen. 36,1-19.

a. Generationes Esau in terra Chanaan Gen. 36,1-7.

Cap. XXXVI v. 1 « *Hae sunt autem generationes Esau, ipse est Edom* ». Item v. 8. 19. Verba denotant, eundem virum Esau alio nomine vocatum esse Edom, cf. 25,24 sqq. E contra titulus « pater Edom » v. 9. 43 virum celebrat ut progenitorem gentis Edomiticae. v. 2 « *Esau accepit uxores de filiabus Chanaan : Ada, filiam Elon Hethaei, et Oolibama, filiam Anae filiae Sebeon Hevaei* »; v. 3 « *Basemath quoque, filiam Ismael, sororem Nabaioth* ». Textus evidenter repetit 26,34 et 28,9 dicta : sed nomina misere discordant.

v. 2 pro *filiae Sebeon* cum *Keri Sam. LXX Syr.* legendum est *filii Sebeon :* origines quippe non per matres sed per patres describi consuevere. Unde illico perspicitur Oolibama v. 2 eadem esse atque Oolibama, filia Ana filii Sebeon v. 25, cuius ibi, uti Thamnae v. 22, nomen non ob aliam causam inseratur, quam ob nuptias cum principe Edomita initas.

Verum si hoc, quomodo iam *Hevaeus* scribitur v. 2, qui v. 20 indubie *Horraeus* dicitur? Sat facile quidem corrigat quis החוי in החרי : sed manet difficultas, ambas uxores v. 2 dici Chananaeas et 27, 46 Hethaeas (potuit החתי v. 2 corrumpi in החוי). « Sedium mutatione contigisse potuit », ait *Calm.*, « ut vir Hethaeus origine Hevaei cognomen obtineret ». At opus erit duplici sedium mutatione, cum idem etiam Horraeus scribatur. De Horraeorum origine nihil scimus, nomina utique sunt semitica : quid, si ii fuerint ramus aliquis magnae Hethaeorum familiae? quid, si Seir Hethaeus primum Chanaanitiden incoluerit ibique filiam nuptui dederit Esau, atque inde in montem ab ipso Seir appellandum emigraverit?

Habes igitur restitutum v. 2 : manet autem cum 26, 34 et 28, 9 contradictio :

36, 2 Ada, filiam Elon Hethaei.
26, 34 Basemath, filiam Elon Hethaei.

36, 2 Oolibama, filiam Anae filii Sebeon Hethaei.
26, 34 Iudith, filiam Beeri Hethaei..

36, 3 Basemath, filiam Ismael, sororem Nabaioth.
28, 9 Maheleth, filiam Ismael, sororem Nabaioth.

Cum Ada (cf. Gen. 4, 19) *decoram* sonet et Basemath (cf. 3 Reg. 4, 15) *venustam*, reapse utrumque nomen unius mulieris proprium fuerit : inde habebis, nomen filiae Ismael fuisse non Basemath, sed Maheleth (*Sam.* et cf. 2 Par. 11, 18). Utrum vero Oolibama « binomia » (*Cai.*) fuerit, an nomen Iudith e corruptione ortum duxerit, et quomodo Beeri in locum Anae successerit difficile definitur. Suggeres, fuisse filiam Anae mediate, immediate filiam Beeri, qui fuerit filius Anae. Erunt ergo inter Oolibamam, uxorem Esau, et inter Seir generationes tres (Sebeon, Ana, Beeri), dum Thamna, soror Lotan et hinc filia aut privigna Seir, nupsit Eliphaz, primogenito Esau. Tamen adverte, uti 29, 15 Laban et Iacob dicantur fratres, qui fratres erant mediate tantum, ita potuisse Thamnam esse sororem Lotan mediate, i. e. sororis filiam aut neptem. Ceterum haec omnia tentantes suggerimus : textum misere corruptum plene ac certe quis restituat? Cf. *Cornely* Introd. II. 1. p. 123 sq.

Nomen *Elon* habuit etiam filius Zabulon 46, 14; Num. 26, 26. Nomen *Ana* idem est quod v. 20, fratris alicuius Sebeon. *Beeri* Os. 1, 1 vocabatur prophetae Osee pater.

Quae sequuntur nomina certe sunt *filiorum*, cum matres recenseantur; qui tamen filii v. 15-19 totidem tribubus sua nomina transmiserunt. v. 4 « *Peperit autem Ada Eliphaz* ». Quo iure hunc composuerint aliqui cum Eliphaz, amico Iob, et Iobab v. 33 cum ipso Iob, vide Comment. *Knabenbauer* p. 34. 56. « *Basemath genuit Rahuel* », quo eodem nomine appellatur Iethro Ex. 2,18; Num. 10,29, et Beniaminita quidam 1 Par. 9,8. v. 5 « *Oolibama genuit Iehus et Ihelon et Core* ». Iehus vocatur Beniaminita 1 Par. 7,10, alter Beniaminita 1 Par. 8,39, levita 1 Par. 23,10, filius Roboam 2 Par. 11,19. Core nomen levitae (Ex. 6,21; Num. 16,1), a quo cantorum familia nomen habuit, et alterius levitae 1 Par. 2,43. « *Hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan* ». Cum Esau iam 32,3 exhibeatur incolens in Seir, patet ante patris obitum eo secessisse (*Aug.*); ad patris tamen funus e Seir Hebronem venit. v. 6 « *Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suae, et substantiam et pecora et cuncta, quae habere* [*poterat*] *in terra Chanaan, et abiit in alteram regionem,* [*recessitque*] *a fratre suo Iacob* ». Sane e « bonorum divisione » (*Per.*) post funus in Chanaanitide facta plura cessere Esau, quae ipse nunc abstulit; alia ante abstulerat. *Alteram* supplent *Chald. Vulg.;* legebant בארץ *Sam. LXX*, et *Sam.* supplevit בכנען; genuinam lectionem videtur servasse *Syr.* אל ארץ שעיר; vox שעיר

mature textu exciderat. v. 7 « *Divites enim erant valde et simul habitare non poterant; nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum prae multitudine gregum* ». Cf. 13,6. v. 8 « *Habitavitque Esau in monte Seir: ipse est Edom* ».

b. Generationes Esau in monte Seir Gen. 36,8-14.

Iam nepotes in Seiritide nati recensentur. v. 9 « *Hae autem sunt generationes Esau, patris Edom, in monte Seir* », cf. dicta ad v. 1 — v. 10 « *et haec nomina filiorum eius : Eliphaz, filius Ada uxoris Esau; Rahuel quoque, filius Basemath uxoris eius* ». Redit genealogia ad initium v. 4 statutum.

v. 11 « *Fueruntque Eliphaz filii : Theman* », a quo « terra Themanorum » v. 34 nomen duxit, gentis ob sapientiam celebratae (Ier. 49,7. 20; Ez. 25,13; Baruch 3,22). Nomen *meridiem* sonat; textus eam terram copulant cum monte Pharan Hab. 3,3 et opponunt Dedan (Ez. 25,13) — « *Omar, Sepho* », — 1 Par. 1,36 צפי, sed *Syr.* ib. ציף (cf. 1 Reg. 1,1; 1 Par. 6,11. 20); *LXX* utrobique Σωφάρ — « *et Gatham et Cenez* », quod erat etiam nomen patris Othoniel (Ios. 15,17; Iud. 1,13) et nepotis Caleb (1 Par. 4,15). v. 12 « *Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau, quae peperit ei Amalech. Hi sunt filii Ada uxoris Esau* ». Gens Amalecitarum iam aevo Abrahae exstitisse videtur (14,7), licet fabulosa eidem antiquitas e Num. 24,20 et 1 Reg. 27,8 (cf. quae ib. diximus) audacius attribuatur. Censent *Kn.* aliique hanc tribum Amalec ex aliqua Amalecitarum parte quibusdam Edomitis commixta originem duxisse. Cum noster hic Amalech fuerit concubinae filius, forte ei assignatae sunt sedes a fratribus remotiores, ubi facilius eius posteri cum alienis sunt confusi.

v. 13 « *Filii autem Rahuel : Nahath* », quod nomen duo etiam habent levitae 1 Par. 6,26 (11) et 2 Par. 31,13, « *et Zara* », nomen filii Iuda 38,30 aliorumque, « *Samma* » — ita frater David 1 Reg. 16,9 (cf. 2 Reg. 13,3. 32) duoque heroes 2 Reg. 23,11. 33 — « *et Meza. Hi filii Basemath uxoris Esau* ».

v. 14 « *Isti quoque erant filii Oolibama, filiae Anae filiae* » — cum *Sam. LXX* corrige *filii* et cf. v. 2 — « *Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei : Iehus et Ihelon et Core* ».

c. Duces filiorum Esau Gen. 36,15-19.

Sequens ducum elenchus omnino correspondet ei, quem modo descripsimus, filiorum elencho : nomina sunt eadem et eodem ordine se excipiunt. *Dux Core* v. 16 cum *Sam.* est omittendum: irrepsit quippe

ex v. 18 (*Houb.*). Advertit *Dillm.*, e primariis Esau uxoribus derivari tribus duodecim. Id verum est; sed, cum tribuum numerus, addito e concubina Amalech, tamen sit omnino tredecim, nihil ex illo duodenario numero concludi potest. Soli Edomitarum duces ornantur titulo אלופים, i. e. chiliarchi, qui quidem Zach. 9,7; 12,5 sq. poetice ad Iudaeorum res transfertur; cf. etiam Mich. 5,2 (1). Vocem per se non pagos aut tribus designare, sed individuos homines, demonstrat parallelismus Ex. 15,15 (*Del.*). De singularum tribuum finibus vix alia habent auctores praeter coniecturas et assonantias. v. 15 « *Hi duces filiorum Esau : filii Eliphaz primogeniti Esau : dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez* », v. 16 « *dux Core* » h. l. omittendus, « *dux Gatham, dux Amelach. Hi filii Eliphaz in terra Edom, et hi filii Ada* ». v. 17 « *Hi quoque filii Rahuel filii Esau : dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom; isti filii Basemath uxoris Esau* ». v. 18 « *Hi autem filii Oolibama uxoris Esau : dux Iehus, dux Ihelon, dux Core. Hi duces Oolibama filiae Anae, uxoris Esau* ». v. 19 « *Isti sunt filii Esau et hi duces eorum; ipse est Edom* ».

2. *Generationes Seir Horraei* Gen. 36,20-30.

a. Seir filii et nepotes Gen. 36,20-28.

v. 20 « *Isti sunt filii Seir Horraei, habitatores terrae* », i. e. qui filiis Edom priores regionem obtinuere (*Calm.*) : « *Lotan et Sobal* », quod est etiam nomen Iudaei cuiusdam 1 Par. 2,50. 52; 4,1 sq., « *et Sebeon et Ana* » (cf. v. 2), v. 21 « *et Dison et Eser et Disan. Hi duces Horraei filii Seir in terra Edom* », i. e. Horracorum seu Troglodytarum, quibus a חור « specu » videtur fuisse nomen; regio specubus abundat. Nomen hoc non ab origine, sed a vivendi ratione petitum tribubus origine diversis applicari potuit. Norunt illud praeter Assyros (*Saarri : Del.* Par. p. 280) Aegyptii, qui tempore Ramsis III *Saaira* recensent. Cf. *M. Mueller :* Asien u. Europa, p. 135 sqq.

דשון, pro quo 1 Par. 1, 38 et *Sam.* דישון, a sequenti דישן vix distinguitur. Rursum v. 25 habetur alius דשן, ubi 1 Par. 1, 41 et *Sam.* דישון. Reperiri duos fratres duasque tribus homonymas admirationem facit, et fortasse subest v. 21 antiquissimus aliquis error. At idem nomen Dison v. 25, uti etiam Ana v. 24 (cf. v. 20), post aliquas generationes repeti, admirationem non habet : recensetur Dison v. 25, quia eius soror recensenda erat, Ana v. 24 propter factum ib. de eo narrandum.

Iam filiorum filii recensentur. v. 22 « *Facti sunt autem filii Lotan :*

Hori » — an hoc nomen idem atque Horraeus, quae appellatio primum ad aliquos tantum pertinuerit ac postmodum ad plures fuerit translata? Num. 13,6 (5) habetur eius nominis Simeonita — « *et Heman* » (היומם; *Syr.* h. l. et *Hebr. Vulg.* 1 Par. 1,39 הומם), « *erat autem soror Lotan Thamna* » (v. 12). — v. 23 « *Et isti filii Sobal : Alvan* », עלון (*Hebr. Vulg.* 1 Par. 1,40 עלין), « *et Manahat et Ebal* », nomen Iectanidae 10,28, « *et Sepho* », שפו (*Hebr. Vulg.* 1 Par. 1,41 שפי, *LXX* h. l. et *Syr.* utrobique שפר), « *et Onam* », quod nomen est etiam alicuius Iudaei 1 Par. 2,26. 28 — v. 24 « *Et hi filii Sebeon : Aia* », quod etiam est nomen patris concubinae Saul 2 Reg. 3,7 ; 21,8, « *et Ana* » (cf. v. 2). « *Iste est Ana* » ab altero v. 20 distinguendus, « *qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui* ».

Nominum horum aliqua auctores (cf. *Dillm.*) ab animalibus esse petita coniiciunt, ut Sobal sit leunculus, Sebeon hyaena, Dison (Deut. 14, 5) antilope quaedam, Aran capra sylvestris, Ana onager. Quodsi ita habeat, reapse Anae nomen pulchre alludit ad factum, quod de ipso memoriae traditum est. — Difficultatem facit היומם. Quam vocem explicabant Hebraei plures (cf. *Ps. Ion.*, *Targ. Hier.*, *Hier.* et *Rahmer*) per הכיוגום = ἡμιόνος vel הכיוסו = ἡμισυ, ut Ana fecerit coire aut onagros cum asinis et ita excellentius quodam genus asinorum produxerit, aut asinos cum equis, quo nascerentur muli. Sed haec nimis sunt ludicra. — *Hier.* meminit היום interpretantium *maria* ; hucque referendus *Syr.*, qui aut legebat aut interpretabatur הכיים, *aquas*. Ipse *Hier.* vocem « iuxta Punicae linguae viciniam » interpretatus est *aquas calidas*. Quae significatio quomodo voci היומם competat, non perspicitur ; et aliqui putavere, deceptum esse Hier. similitudine vocis alicuius a חם *calidus* derivatae. Tamen cf. *Ges.* Thesaur. p. 586. An inventi aliqui fontes calidi visi sunt eventus tanti in historia Horraeorum momenti, ut soli cum clade Madianitarum v. 35 memoriae censerentur committendi? — *Sam.* habet האיומים, quo recidit *Chald.* גבריא et transscriptio *Aq. Symm.* ἡμίν et *Lagarde* ἐαμίν (contra *LXX Theod.* ἰαμείν). Gigantes *Emim* reapse Horraeorum erant finitimi Deut. 2, 10 sqq. Hos primos invenit Ana, in asinis pascendis et fortasse etiam uti Saul requirendis longius progressus. *Calm.* monet verbum מצא etiam induere *irruendi* in aliquem significationem : Iud. 1, 5 ; 1 Reg. 31, 3 ; 3 Reg. 13, 24. Fatendum tamen, eam locis laudatis verbo competere e contextu potius, quam vi vocis.

v. 25 « *Habuitque filium Dison et filiam Oolibama* », de qua v. 2. *Hebr. : Et isti sunt filii Ana*, eius sc. v. 20, non eius qui v. 24 recensebatur : *Dison ; et Oolibama filia Ana*. Formula *isti sunt filii* etiam ibi retinetur, ubi unicus filius recensendus est (*Kn.*). v. 26 « *Et isti filii Dison* », qui v. 21 primum locum obtinet : » *Hamdan et Eseban et Iethram et Charan* ». Pro חמדן 1 Par. 1,41 חבירן. v. 27 « *Hi quoque filii Eser* » (v. 21) : « *Balaan et Zavan et Acan* ». Pro עקן 1 Par. 1,42 יעקן. v. 28 « *Habuit autem filios Disan* », qui tertius v. 21 nominabatur : « *Hus et Aram* », ארן.

b. Duces Horraeorum' Gen. 36,29 sq.

Recensentur iam, uti v. 15 sq. duces et tribus Horraeorum; soli autem filii Seir in tribus separatas excrevere, non filii filiorum. v. 29 « *Hi duces Horraeorum : dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana* », v. 30 « *dux Dison, dux Eser, dux Disan. Isti duces Horraeorum, qui imperaverunt in terra Seir* ».

3. *Edomitarum post subactos Horraeos reges et duces* Gen. 36,31-43.

Vide, quae Introd. p. 37 sqq. diximus. Hi duo elenchi conditionem rerum exhibent ipsis Esau et Seir longe recentiorem. Reges, qui regnaverunt « in terra Edom » utique e posteris fuere ipsius Esau et Horraeos subegerunt, expulerunt, exstirparunt, ut sub illis regibus gens tandem constaret undecim tribubus, quae omnes ab Esau essent derivatae. Porro reges illi an toti regioni praefuerint ignoramus (*Calm.*). Singuli ex sua quique tribu ortum sane duxerant, adscribitur tamen nomen non tribus (excipe v. 34) sed *urbis :* Edomitae iam erant non mera pastorum gens. Tribus nihilominus sub regibus etiam perseverasse, et rerum natura suadet et v. 40 (cf. 1 Par. 1,51) pronuntiat. Reges certe non iure haereditario sibi succedebant, cum e diversis omnes essent urbibus, sed, quod crediderim electione quadam, partim fortasse violentia. Quod adscribitur « cum mortuus esset » non cogit adstruere illico unum alteri successisse, longiora tamen interregna ea formula fere excludi videntur. Consuevere fundari regna iis maxime temporibus, quibus bella in hostes gerenda desiderium faciunt fortis alicuius et communis imperatoris : liceat igitur suggerere, iis regibus ducibus Edomitas Horraeos exstirpasse (Deut. 2,12). Qui v. 40 sqq. recensentur posteriores duces, non Horraeorum sed Edomitarum dicuntur duces, et quidem v. 43 « duces Edomitarum in terra possessionis suae », ut totam regionem iam suam fecisse Edomitae videantur; nulli ducum Horraeorum v. 20-30 enumeratorum inter illos reperiuntur. Quare crediderim Horraeos tum temporis iam fuisse exstirpatos.

v. 31 « *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi* » : v. 32 « *Bela filius Beor, nomenque urbis eius Denaba* ». Erat Danaba in Palmyrene (*Ptol.* 5.15. 24), altera in Babylonia (*Zosim.* Hist. 3.27), tertia in Moabitide (*Hier.* Onom.) inter Areopolin flumenque Arnon; erant fortasse et aliae eius nominis urbes. Est etiam Beniaminita Bela 46,21; paterque Balaam vocabatur Beor Num. 22,5. v. 33 « *Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Iobab* » — nomen lectanidae 10,29, regis Madon Ios. 11,1,

Beniaminitarum duorum 1 Par. 8,9. 18 — « *filius Zarae* » (cf. v. 13) « *de Bosra* », urbe notissima ad meridiem Maris Mortui (Am. 1,12; Is. 34,6; 63,1; Ier. 49,13. 22). v. 34 « *Cumque mortuus esset Iobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum* ». v. 35 « *Hoc quoque mortuo regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab, et nomen urbis eius Avith* ». *LXX* Γεθαίμ, quod lectionem suggerit עתי. *Adad* nomen inter Edomitas frequens (cf. v. 39; 3 Reg. 11,14), itemque inter Syros, quorum numen princeps hoc nomine vocabatur. Edomitae a Madianitis postmodum frequenter oppressi celebrabant memoriam antiqui regis, qui illos extra suos fines adortus vel persecutus clade affecisset. v. 36 « *Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca* ». v. 37 « *Hoc quoque mortuo regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth* ». Certe non intelligitur urbs 10,11 (*Ps. Ion.*). Nomen est frequens (cf. 26,22). Vox *flumen* h. l. adscribitur, quo urbs ab aliis homonymis secernatur. Aliquam eius nominis edomiticam urbem novit *Hier.* in Onom. v. 38 « *Cumque et hic obiisset, successit in regnum Balanan* » (cf. 1 Par. 27,28) « *filius Achobor* », cuius urbs tacetur et fortasse excidit. Eo nomine vocabatur etiam aulicus Iosiae 4 Reg. 22,12. v. 39 « *Isto quoque mortuo regnavit pro eo Adar* », seu verius *Adad*, cf. *Sam. Syr. LXX* (Ἀραδί) et 1 Par. 1,50, « *nomenque urbis eius Phau; et appellabatur uxor eius Meetabel* », — 2 Esd. 6,10 viri nomen — « *filia Matred, filiae* » — *LXX Syr.* itemque *Syr.* 1 Par. 1,50 *filii* — « *Mezaab* ». Viri prosapia reticetur, fortasse e textu excidit. Sed uxor accurate recensetur, ut conieceris narrata scriptoris sacri fere tempora attigisse. Clarius nexus cum sequentibus exprimitur 1 Par. 1,51 : « Adad autem mortuo duces pro regibus in Edom esse coeperunt », (—) quorum nomina iam adscribuntur v. 40-43.

v. 40 « *Haec ergo nomina ducum Esau in cognationibus et locis et vocabulis suis* » : — בשמותם, suffecto ב pro ל : est aliqua tautologia cum praecedente שמות — « *dux Thamna* » seu Amalech (v. 12. 16), « *dux Alva, dux Ietheth* », v. 41 « *dux Oolibama* » (v. 18), « *dux Ela, dux Phinon* », v. 42 « *dux Cenez, dux Theman* » (v. 15), « *dux Mabsar* », v. 43 « *dux Magdiel, dux Hiram. Hi duces Edom habitantes in terra imperii sui* », *Hebr. : secundum habitacula sua in terra possessionis suae,* nomina erant tam tribuum quam pagorum. « *Ipse est Esau pater Idumaeorum* ». Verba redeunt ad v. 9, vel etiam ad v. 1. 8. 19 : sensus est, in hunc tribuum numerum excrevisse Esau.

עלוה, pro quo *Hebr.* 1 Par. 1, 51 עליה, suggerit *Dillm.* idem esse atque v. 23 עלין, pro quo ib. v. 40 *Hebr. Vulg.* עלין; itaque familia, quae ante reges tribus nondum

fuisset, post reges tribum effecisset. Sed res est perquam dubia. — אלה eadem, quae secus אירת (14, 6), a qua sinui Aelanitico nomen. — פינן eadem, quae Num. 33, 42 פונן, ubi serpens aeneus est erectus, apud Patres Φαινώ, inter Zoaram et Petram, quo ad aeris metalla damnabantur Christiani, postea episcopi sedes. — מיבצר : Onom. novit Gebalenes oppidum nomine Μαῦσαρά, Petrae subiectum. — Pro עירם legunt *LXX* h. l. et 1 Par. Ζαφώ(ν i. e. צפים : hinc *Ew.* suggessit, excidisse e textu nomen צבו v. 15, quo duodenarius (?) tribuum Idumaearum numerus compleatur.

V. GENERATIONES IACOB GEN. 37-50.

Narrationis unitatem Introd. p. 33 sqq. exposuimus. Est eadem una cum praecedente narratione. Etenim pericopen cap. 38 de Iuda insertam tum solum plene intelliges, si eam contuleris hinc cum sceleribus Ruben, Simeon et Levi ante narratis, illinc cum universa historia Ioseph.

1. *Ioseph a fratribus venditus* Gen. 37.

Duorum fontium vestigia deprehendunt neoterici in hoc, quod invisus fratribus tradatur fuisse modo ob patris favorem, modo ob somnia enarrata; quod morti dicatur esse ereptus intercessione modo Rubeni, modo Iudae; quod divenditus narretur modo Ismaelitis, modo Madianitis. De hoc ultimo p. 33 diximus.

Cap. XXXVII v. 1 « *Habitavit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est* ». Haec nexus cum cap. 35 efficiendi causa inseruntur : Generationum titulus non habetur nisi v. 2. *Hebr.* : *Habitavit autem Iacob in terra peregrinationis patris sui, in terra Chanaan*, clarius etiam quam Vulg. exprimit, sequentia non esse necessario morte Isaac posteriora habenda, quin imo tredecim ante eam mortem annis agi coepere. v. 1 cum *Hebr. Sam.* trahas ad sequentia, non cum *Del.* ad praecedentia. Verior fortasse fuerit lectio *LXX Vulg. Syr.*, qui initio v. 2 copulam legisse videntur.

v. 2 « *Et hae sunt generationes eius* ». Cum singulorum patriarcharum Generationes ad eorum usque mortem producantur, hinc omnium Iacobi filiorum nativitates in Generationibus Isaac fuere recensendae, ante cuius mortem factae sunt omnes. Historia vero Ioseph tum narrari haud coepta est, quod maior eius potiorque pars morte Isaac fuerit posterior. Iosephum *Ambr.* merito celebrat tamquam « speculum castitatis » et *Per.* : « Et alii quidem filii Iacob », inquit, « non tam

suis quam posterorum suorum factis atque eventis nobilitati sunt : Ioseph autem suis ipse rebus clarus et praedicabilis fuit ». « *Ioseph cum sedecim* » — reliqui omnes *septemdecim* — « *esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer; et erat cum filiis Balae et Zelphae, uxorum patris sui, accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo* ». *Hebr. : et ipse puer cum filiis Balae etc.;* ubi aliqui putavere superflue dici puerum, qui modo dicebatur septemdecim annorum. Neque dicas cum *Iun. Pisc.* (ap. Calm.), idem hic esse *puerum* atque *servum :* licet Ioseph, quod aetate minor esset et viribus tenuior, fratres in opere iuvare tantum eisque servire posset, at certe filius uxoris primariae non tamquam servus assignatus est filiis concubinarum. *Targumim* supplent *educatus est :* at Ioseph filium prae ceteris dilectum non apud alium educatum esse quam apud ipsum patrem, quis dubitaverit? Mittebatur autem quandoque ad fratres, uti etiam v. 13 sqq. Sensum illius *et ipse puer* e natura fraterni sceleris collige, quod fuisse crimen pudendum e casto scripturae silentio omnes colligunt. Porro si advertas, scripturam cap. 34 et 38 clare loqui de fornicatione, imo 35,22 de incestu, facile perspicies, quod hic reticetur crimen, fuisse contra naturam. Ubi *Syr.* suggerit bestialitatem, in quam, si *Tostato* credas, pastores ceteris facilius prolabantur. Nos cum *Rup.* sodomiam interpretamur. Nota verborum nexum : *Et ipse puer* « aetate, moribus et innocentia » (*Menoch.*) et, quod sequens docet narratio, egregiae plane formae; eratque *cum filiis Balae etc.*, hominibus rudibus, dignis Ruben et Iudae fratribus, a mulierum tum forte consortio interdictis : lugendum quippe, sed non ita mirandum, eos speciosissimo iuveni impuras manus inferre conatos esse. Quos ipse *apud patrem accusavit*, non solum quo officio fungeretur eorum delicta ad eum, qui corrigeret, deferendi, sed multo magis quod aliam viam se a violentorum manibus extricandi iuvenis septemdecim annorum discerneret nullam.

v. 3 non est artius nectendus cum v. 2, quasi Iacob pro accusatione Iosephum tunica donaverit, sed altera affertur inimicitiarum fraternarum causa eaque universalior (*Cai.*), quippe quae non solos concubinarum sed Liae etiam filios attingeret, nimium a patre Iosepho exhibitum amorem. Quem merito reprehendit *Ambr.* : « Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur ». v. 3 « *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos* », Beniamino nondum nato et Rachele (v. 10) adhuc superstite (*Cai.*), « *eo quod in senectute genuisset eum; fecitque ei tunicam polymitam* » seu diversicolorem (*LXX*).

כתנת פסים, tunica ad extremitates pertingens, i. e. tam χειριδωτός seu καρπωτός

(*Symm.*), in digitorum articulos descendens, quam ἀστραγάλων (*Aq.*) seu ad talos demissa. Cf. quae diximus ad 2 Reg. 13, 18. Ceterum lectiores illas tunicas etiam fuisse diversicolores, disce ex Aegyptiorum monumentis, ubi Semitae eiusmodi tunicas induti Pharaonibus dona offerunt.

v. 4 « *Videntes autem fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum nec poterant ei quidquam pacifice loqui* ».

Tertia (*Cai.*) afferuntur invidiae causa somnia a Ioseph narrata. Narrabat autem « simplex adolescens atque innocens, nihildum suspicans mali de fratribus suis » (*Per.*). Omni autem imprudentiae labe Iosephum absolves, si supponas fratres consuevisse sua invicem somnia enarrare : pastorum quippe vita cum plerumque fluat aequaliter exiguam colloquiis suppetens materiam, minima etiam, qualia sunt somnia, in medium proferuntur. Porro uti ipsa somnia, ita etiam eorum enarratio providente Deo facta est; quam providentiam, si lubet, cum *Thoma Anglico* (ap. Per.) voces « divinum instinctum ». Monet *Est.*, somnia haec non ipsum Ioseph esse interpretatum, uti postea Pharaonis somnia est interpretatus; necdum fortasse eorum rationem perpexisse; rem totam permissam esse patris ac fratrum sagacitati. Porro in sequentibus aliqua *Vulg.* liberius reddit, sensu haud mutato. v. 5 « *Accidit quoque, ut visum somnium referret fratribus suis, quae causa maioris odii seminarium fuit* ». v. 6 « *Dixitque ad eos : Audite somnium meum, quod vidi* ». v. 7 « *Putabam, nos ligare manipulos in agro* »; — vocem *Hebr.* addit *in medio agro*, quo ager videtur exhiberi late patens. Iacob et filii, uti Isaac 26,12, etiam agros colebant — « *et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum* ». Bene illo agro Aegyptus adumbratur (*Bonfr.*), manipulorum adoratione « futura frumenti causa adoratio » (*Theodoret.*). v. 8 « *Responderunt fratres eius : Numquid rex noster eris aut subiiciemur ditioni tuae? Haec ergo causa somniorum atque sermonum* [*invidiae et*] *odii fomitem ministravit* ».

Sequens somnium priori longe est clarius et distinctius. Illustrior astrorum, quam manipulorum imago. Fratrum numerus expressus undenus, dum in priore somnio saltem Beniamin non cernebatur manipulis ligandis occupatus. Fratribus additi parentes. Quare sequens somnium « praecedentis certitudinem adstruebat » (*Menoch.*). v. 9 « *Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait : Vidi per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me* ».

Stellae undecim utique fratres demonstrant. Aliqui ad numerum explicandum supponunt, tempore somnii Rachelem fuisse mortuam ideoque Beniamin natum. *Cai.*

suggerit, Rachelem fuisse superstitem et gravidam. Cui si nolueris assentiri, oportebit fere in numero illo undeno deprehendere aliquod in lucem edendi Beniamini praesagium, quod tamen tunc temporis fortasse ne ipsi quidem Iacob et Ioseph clare perspexerint. Porro sole patrem, luna matrem exhiberi, proxime habemus ex mero Iacobi non inspirati interpretamento : quod si difficultatem pateretur, non esset cur ei defendendo nimium insudaremus. Trita autem est difficultas, Rachelem, quae sola voce *mater tua* v. 10 exprimi potest, nunquam Iosephum adorasse. Igitur sole, luna et stellis Iacobi familiam universim praefigurari in comperto est, uti etiam undecim stellis fratres totidem. At num ideo sol patrem tantummodo, et luna matrem repraesentet? Eiusmodi figurae non possunt in singulis quibusque et minimis rebus figuratis respondere. Fratribus semel stellis et patre sole adumbrato, non poterat luna a somnio exsulare : sol cum stellis et sine luna visus monstrum fuisset Rachelis mortem portendens. Verum superest solutio perquam plana et Hebraeorum ingenio accommodata : Rachel reapse Iosephum adoravit, non quidem in persona propria, sed in coniuge (*Ephr.*) aut, si mavis, in filio Beniamin.

v. 10 « *Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus et dixit : Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram?* » Sensus obvius est, matrem tum Rachelem fuisse superstitem (*Cai.*). Ergo, ut saepe Hebraeis fit, historica eventuum series deseritur. Narraturus auctor, quomodo septemdecim annos natus Ioseph a fratribus sit venditus, invidiarum tres causas inserit, quarum tertia ceteras tempore antecessit atque locum habuit, antequam prope Bethlehem moreretur Rachel aut Iacob Hebrone patrem reviseret. Neque dicas cum *Per.*, prope Hebronem vidisse somnia, quod v. 14 Hebrone Sichimam mittatur : diversis temporibus et locis haec acta sunt, neque Hebrone necessario vidit somnia, qui Hebrone missus est Sichimam. — Putabat *Hugo*, Iacobum meminisse *matris* Ioseph, quo somnii absurditatem inculcaret : Putasne, matrem tuam demortuam venturam esse teque adoraturam? Sed id longius petitur. v. 11 « *Invidebant ei igitur fratres sui, pater vero rem* [*tacitus*] *considerabat* ».

v. 12 redit ad v. 2, narranda gesta anni septimi decimi Ioseph. Quantum tempus inter alterum somnium et missum ad fratres Ioseph effluxerit, nescimus. Censet *Menoch.*, patrem aliquamdiu filium retinuisse apud se, quo tempore et absentia leniretur invidia. v. 12 « *Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem* », v. 13 « *dixit ad eum Israel : Fratres tui pascunt oves in Sichimis; veni, mittam te ad eos. Quo respondente* » : v. 14 « *Praesto sum, ait ei : Vade et vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora, et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron venit in Sichem* », v. 15 « *invenitque eum vir errantem in agro et interrogavit, quid quaereret* ». v. 16 « *At ille respondit : Fratres meos*

quaero; indica mihi, ubi pascant greges ». v. 17 « *Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto; audivi autem eos dicentes : Eamus in Dothain* », דתן, Sam. רותין, hodie Dothan, locus ad septemtrionem Samariae 4 Reg. 6,13; Iudith 3,9; 4,6; 7,18 (*LXX*). « *Perrexit ergo Ioseph post fratres suos et invenit eos in Dothain* ». Mirabantur iam *Bonfr.*, *Calm.*, post acta cap. 34 ausos esse fratres propius Sichimam accedere et quidem, quod fere suggerit narratio, solos nullisque comitantibus servis. Utique agrum ibi obtinebat Iacob neque urbs Sichem reaedificata fuerat (*Calm.*). Perdurabat forte terror 35,5 divinitus immissus; aut eo perdurante filii Iacob cum accolarum quibusdam foedera icerant. Refriguerat ardor ulciscendae iniuriae non suae. Filii Iacob audaces et numero, licet exiguo, freti. Compescebat simul accolarum indignationem providens Deus, quo in eodem loco summum sibi detrimentum inferrent filii Iacob, ubi Sichimitis ante immeritum exitium parassent.

v. 18 « *Qui cum vidissent eum procul* », clam illo et « *antequam accederet ad eos, cogitaverunt* » — ויתנכלו insidiati sunt — « *illum occidere* », v. 19 « *et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit* ». v. 20 « *Venite, occidamus eum et mittamus in cisternam veterem* », — pro qua voce reliqui habent *unam.* בור fossa, cisterna, hinc carcer, sepulcrum; e contra באר est puteus, non aquas aliunde colligens sed sponte producens — « *dicemusque : Fera pessima devoravit eum. Et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua* ». *Hebr. : quid erunt somnia eius,* quod *Chald.* interpretatur : *quid erit in fine somniorum eius,* et *Targumim :* « quaenam sit interpretatio somniorum eius ». Narrator non prodit, quis auctor fuerit crudelis consilii, at distincte commendat Rubenum, quod in eius consilii locum aliud minus iniquum suggesserit, atque hoc ea solum mente, ut mox fratrem ab omni iniuria expediret. v. 21 « *Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum* », — *Hebr. liberavit,* a cruenta morte omnino, et hanc unam in mente habebat, atque de fratre vendendo necdum cogitatio in mentem inciderat — « *et dicebat* » : v. 22 « *Non interficiatis animam eius nec effundatis sanguinem* » (cf. 9,6), « *sed proiicite eum in cisternam hanc, quae est in solitudine, manusque vestras servate innoxias* ». *Hebr. : et manus ne inferatis illi.* « [*Hoc autem dicebat*] *volens eripere eum de manibus eorum et reddere patri suo* ». v. 23 « *Confestim igitur, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita* », — *Hebr. Sam. Chald. : tunica sua, tunica talari quam gerebat* (*LXX Syr.* omittunt את כתנתו). Pulchra emphasis : detrahunt eam, quae tantae invidiae causa fuerat; detrahunt, non qua vestiantur ipsi, sed qua sanguine tincta patrem

decipiant. — v. 24 « *miseruntque eum in cisternam veterem* », רק *vacuam*, « *quae non habebat aquam* ». Cf. 42,21.

v. 25 « *Et sedentes, ut comederent panem* », — « O crudelitatem! o inhumanitatem! » (*Chrys.*) — « *viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata et resinam et stacten in Aegyptum* ». Via reapse e Galaaditide per Bethsan, Iezrahel et Dothain vergebat ad litus Philisthaicum atque inde Aegyptum versus. E monumentis compertum habemus, Aegyptios usos esse ingenti copia odoramentorum, cum ad usus domesticos et sacros, tum maxime in cadaveribus condiendis. Quae, cum ipsi Aegyptii difficile finibus suis pedem efferrent, a deserti tribubus in Aegyptum comportabantur. Cf. *G. Ebers :* Aegypten etc., p. 828 sqq.

נכאת a *Vulg. LXX* generalius versum *aromata*, θυμιάματα; *Chald.* שעף, quod videtur esse balsamum; *Syr.* רהטנא resina, nomen de se universalius; *Aq.* et ad 43, 11 *Vulg.* storax. Dicunt esse resinam astragali gummiferi et aliorum astragalorum. Idem volunt esse aegyptium *nekpat.* — צרי *Hebr. Syr.*; *Vulg. LXX resina*; *Chald.* קטף i. e. aliquid, quod decerpitur. Est resina pistaciae lentisci (mastix). Apud Aegyptios *tara*, ubi conferas *Plin.* 12, 98 *tarum.* — לט (*Sam.* לוט), *Vulg. LXX stactes*; *Syr.* בטבא *terebinthus*, sed id esse falsum docet 43, 11, ubi לט et terebinthus simul enumerantur: *Chald.* לטום; *ass. ladanu.* Est ladanum seu resina cisti cretici. — Porro haec omnia arbusta cis et trans Iordanem etiamnum reperiuntur. 43, 11 tamquam eius terrae fructus recensentur. Speciatim quoad resinam cf. Ier. 8, 22; 46, 11.

Satis apte *Ios.* suggerit, Ruben post demissum in cisternam Ioseph abiisse, quaesitum commodiora suo gregi pascua. Iuda, qui ignoraret fratris consilium clam salvandi Ioseph huncque optaret ab inedia morteque redimere, ut vendatur suadet. v. 26 « *Dixit ergo Iudas fratribus suis : Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum et celaverimus sanguinem ipsius?* » בצע lucrum iniustum significat. Simulat igitur Iudas se non aversari fratricidium, dummodo clam illud committatur; at ex eo commisso nullum comparari lucrum. Ita avaritiam stimulat. v. 27 « *Melius est, ut venumdetur Ismaelitis et manus nostrae non polluantur* »; *Hebr. : et manus nostra ne sit super ipsum*, nullam eius corpori violentiam inferamus. « *Frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius* » v. 28 « *et, praetereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis; qui duxerunt eum in Aegyptum* ». Medium servi pretium erant triginta sicli (Ex. 21,32) : Madianitae videntur perspexisse, sibi cum malae fidei hominibus esse negotium, qui pretium etiam vilius non essent recusaturi.

v. 29 « *Reversusque Ruben ad cisternam* », clam fratribus Iosephum liberaturus, « *non invenit puerum* » v. 30 « *et scissis vestibus pergens*

ad fratres suos ait : Puer non comparet, et ego quo ibo? » Supplet *Bonfr.* « eum requisiturus » : at videtur existimasse mortuum minimeque requirendum aut reducendum. Ergo melius *Chrys.* : « quamnam habebimus excusationem? » Melius etiam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* : « quomodo adspiciam faciem patris mei », qui a me primogenito exacturus est facti rationem? Fratres Rubenum, quid actum esset, edocuerunt (*Ios.*). v. 31 « *Tulerunt autem tunicam eius et in sanguine hoedi* », — seu verius *hirci* — « *quem occiderant, tinxerunt* »; v. 32 « *mittentes, qui ferrent ad patrem et dicerent : Hanc invenimus : vide, utrum tunica filii tui sit, an non* ». v. 33 « *Quam cum agnovisset pater, ait : Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravi Ioseph* ». Ita etiam *LXX;* alia punctatione *Masor.* : *devoratione devoratus est Ioseph;* quam commendat 44,28. v. 34 « *Scissisque vestibus indutus est cilicio* » *super lumbos,* « *lugens filium suum multo tempore* ». « Quam fuerint illi digni lacrymis, qui non solum fratrem vendiderunt barbaris, sed et patrem in extrema senectute in tantum luctum iniecerunt! » (*Chrys.*). v. 35 « *Congregatis autem cunctis liberis eius* », — *Hebr.* distinguit filios et *filias* : ergo alias praeter Dinam habebat filias — « *ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu* », — *Hebr.* claudit sententiam : *flevitque eum pater eius.* v. 36 « *Madianitae vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum* ».

Cf. *Ebers* p. 293 sqq. Plurimos apud Aegyptios fuisse servos Semitas, constat cum picturis murorum, tum quod vox עבד apud Aegyptios in generalem servorum appellationem abierit : *abata.* — Putiphar = Peti-pa-ra, consecratus (deo) Ra. In cippo aliquo Apidis legitur nomen Petisis, et in textu graeco Petammon. — Veros apud Aegyptios exstitisse eunuchos, indubie produnt picturae; neque repugnat eum, qui fuerit eviratus habere uxorem, imo liberos, nam eviratio quandoque non plenum nanciscebatur effectum. Sed in pluribus eunuchus erat « nomen officii et dignitatis » (*Calm.*). — Putiphar titulum habet שר הטבחים, proprie *dux laniatorum*, unde *LXX* eum fecit ἀρχιμάγειρον. Sed eum non esse tituli sensum, inde colligitur, quod Nabuzardan 4 Reg. 25, 8 et Arioch Dan. 2, 14 certe non erant coquorum praefecti (*Calm.*). Erat *dux praetorianorum*, qui utique erant milites, sed simul lictores et, ubi res secum ferret, carnifices. Ei suberant carceres.

2. *Iudae proles incestuosa* Gen. 38.

Arg. — Cur haec de Iuda narratio inseratur, rationem afferunt *Bonfr.* aliique eius ad genealogiam Christi relationem. Quae ratio vera quidem est, sed remotior. Nota, extrema Genesi principem omnino inter fratres locum obtinere Ioseph, quem filium Rachelis prae reliquis omni-

bus dilexerat Iacob. Ratio vero, cur patris affectui obsecuta Dei providentia Iosephum ad eum eminentiae locum provexerit, fuit fratrum natu maiorum indignitas. Neque tamen cum ipso comparandi erant concubinarum filii, neque Liae filii duo natu minimi Issachar et Zabulon, qui nullo inter fratres nomine videntur eminuisse. At, cur Ioseph maximis natu quatuor sit praelatus, iure mirabere. Ratio fuere virorum scelera : habes quippe scelus Ruben 35,22, Simeon et Levi cap. 34, Iudae cap. 38. Quodsi porro quaeras, cur Iudae scelus hoc praecise loco, i. e. post Iosephi in Chanaanitide et ante eiusdem in Aegypto acta, narretur, respondeo aliquam s. narratori concedi oportere libertatem : potuere haec aeque narrari initio cap. 37 aut ante 35,23.

Cap. XXXVIII. v. 1 « *Eodem tempore descendens Iudas a fratribus suis* », probabilius Hebrone, « *divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram* ».

Odollam civitas in planitie Iuda (*descendens*), haud procul a Thamnas, Ierimoth, Socho, Azeca et Maresa (cf. Ios. 15,35; 2 Esdr. 11, 30; Mich. 1, 15), distinguenda a spelunca Odollam (1 Reg. 22, 1; 2 Reg. 23, 13 sq.; 1 Par. 11, 15 sqq.). quae proxime aberat Bethlehemc. — Ad ויבו non est supplendum אהלו (*Keil*), quia tabernaculum non tenditur ad personam, sed ad locum; verbum induit sensum se vertendi, divertendi (cf. נטה אחרי Ex. 23, 2; 3 Reg. 2, 28; cf. *Kn.*). עד sensu praepositionis *ad* habes 1 Reg. 9, 9 (*Dillm.*). — Expressione *eo tempore* non necessario effici, narrari cap. 38 quae simul cum v. 37 narratis acta sint, iam *Aug.* perspexit. Neque hic locus est disputandi, qua aetate Iuda uxorem duxerit, cum 46, 12 eius abnepotes scribantur Aegyptum cum Iacob esse ingressi. Licet enim ibi pro numero nominum descriptorum triginta tres v. 15 Liae filii scribantur ingressi, tamen v. 12 eorumdem duo, Her et Onan, ante iter Aegyptiacum in Chanaanitide referuntur esse mortui. Ergo ille nominum elenchus non est ita premendus. Potuere quidam scribi ingressi, qui nonnisi in lumbis patrum ingressi sint.

v. 2 « *Viditque ibi filiam hominis Chananaei, vocabulo Sue* ». *LXX Syr.* pro שבו habent שמה : sed obest v. 12. כנעני, quod Chananaei etiam mercaturam exercerent, utique sensum nactum est *mercator* (*Targ.*), tamen hic omnino vertendum est *Chananaeus :* soceri genus efferendum erat, non occupatio. Licet vero Deo volente Isaac et Iacob uxores duxerint Aramaeas, nulla lege nuptiae Chananaeae filiis Iacob prohibitae fuisse demonstrari possunt (*Calm.*). Aliud fortasse erat ex cap. 34 de filia tradenda incircumciso. « *Et accepta uxore ingressus est ad eam* ». v. 3 « *Quae concepit et peperit filium et vocavit nomen eius Her* ». Cf. 1 Par. 4,21. v. 4 « *Rursumque concepto foetu natum filium vocavit Onan* ». v. 5 « *Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela* », LXX Σηλώμ, « *quo nato parere ultra cessavit* ». כזב *mentiri* (*Aq.*) ad significationem *cessandi* detorqueri nequit. Verte cum *LXX Chald. : et erat* Iuda

in Chazib, quando ipsa peperit illum. Chazib autem eadem est urbs (*Malv.*), quae alias Achzib audit (Ios. 15,44; Mich. 1,14). Pro כזיב *Sam.* habet כזבה, *LXX* כזבי. v. 6 « *Dedit autem Iudas uxorem primogenito suo Her nomine Thamar* »; idem nomen habes 2 Reg. 13,1; 14,27. Quod illi v. 12 sq. prope Thamnas domus fuerit paterna, merito concludes fuisse etiam ipsam Chananaeam. v. 7 « *Fuit quoque Her primogenitus Iudae nequam in conspectu Domini, et ab eo occisus est* ». *Hebr. : et fecit eum mori Dominus.* Non cogimur intelligere mortem violentam, sed praematuram liberisque carentem. At gratuito *Kn.* adstruit s. auctorem non alia ratione inductum esse, ut scelestum scriberet Her, praeter communem opinionem praematuram mortem in sceleris poenam infligi; ipsum factum auctor diserte affirmat, Her fuisse nequam et quidem *in conspectu Domini,* i. e. vere (cf. 10,9). E quibus verbis audacius infert *Tost.*, fuisse scelus soli Deo notum, et fortasse uxori. Id e verbis non sequitur, fere tamen sequitur e contextu, agi sc. de scelere aliquo coniugii usum attingente. Quale illud fuerit, otiose (*Est.*) coniectarunt auctores Hebraei. Fuisse enorme, inflicta poena docet (*Vat.*).

v. 8 « *Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui et sociare illi* », — ויבם a יבם *levir,* ergo : leviratus officium imple (cf. Deut. 25,5. 7) — « *ut suscites semen fratri tuo* ». Ergo lex leviratus Moyse erat antiquior (*Cai.*); aliqua etiam eius vestigia apud Indos, Persas et Africae atque Italiae tribus deprehendebantur (*Diod. Sic.* XII. 18). Solus filius primogenitus reputandus erat filius Her, reliquis Onano tribuendis. v. 9 « *Ille sciens non sibi nasci filios* », — *Hebr. semen* — « *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi* » — *Hebr. semen* — « *fratris nomine nascerentur* ». *Hebr.* euphemistice *corrumpebat terram versus.* Filius de Thamar natus Iudaeque primogenito Her attributus obtenturus erat principatum tribus Iuda : at eum filio sui nominis haeredi malebat obvenire Onan, quare a fratris vidua abstinuit. v. 10 « *Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret* ». Quale scelus et Her et Onan admiserint, fere e solius Thamar testimonio Iuda didicit. Verum ita facile potuit ei suboriri suspicio (*Ephr.*), non ob sola propria delicta interiisse filios, sed ob aliquam fortasse etiam Thamaris culpam, quam ipsa silentio premeret. Habet igitur aliquam excusationem Iuda, Thamarem tertio filio Selae non tradens. v. 11 « [*Quam ob rem*] *dixit Iudas Thamar nurui suae : Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus* ». Ergo moris erat iam tum, uti postea Lev. 22,13, ut vidua liberis carens in domum paternam secederet. Illud etiam fere efficiunt verba, matrimonia leviratus vel apud Chananaeos in usu tum

fuisse (*Cai.*). « *Timebat enim, ne et ipse moreretur, sicut fratres eius* ». Verba utique evincunt, non plane sincere cum Thamar egisse Iudam (*Mar.*) : non tamen fraudis, dum ea eloqueretur, est arguendus. Selae immatura aetas reapse coniugium differri poscebat poteratque sperare Iuda, « facile excepturam illam alterum virum ac proinde absolvendum se a necessitate tradendi illi tertium filium » (*Calm.*). At alium virum nacta non est Thamar, probabilius quod homines, Heri et Onanis scelerum ignari, sterilem reputarent. « *Quae abiit et habitavit in domo patris sui* ».

v. 12 « *Evolutis autem multis diebus* », tot certe, ut iam se negligi Thamar adulto Sela oppido perspiceret, « *mortua est filia Sue, uxor Iudae, qui* [*post luctum*] *consolatione suscepta ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas* », urbem sitam in confinibus Iuda Ios. 15,10, postea Danitis 19,43 tributam. Cf. quae diximus ad Iud. 14,1. Hodie Khirbet Tibneh, prope Wady es Surar : *M. V. Guérin,* Judée II. 29 sqq. Cum is locus in colle aliquo sit, satis explicatur vox *ascendebat,* neque pro Ios. 15,57 altera urbs homonyma merito adstruitur : quorsum enim montana Iudae tempore Iosue procurrerint, non satis liquet. *Hiras* idem sane est atque v. 1, ergo *amicus* Iudae (*Masor. Targ. Syr.*), non *pastor* (*Vulg. LXX*) : רעהו diversa punctatione utrumque sensum patitur (*Hier.*). Ceterum adverte, cum titulus *amicus* iam tempore Isaac (26,26) principi cuidam apud Geraritas viro, et postea (2 Reg. 15,37; 16,16; 3 Reg. 4,5) apud Iudaeos aulicis quibusdam, et pluribus apud Aegyptios (*Erman* I. 110 sq.) principibus tributus sit, fieri potuisse, ut etiam Iuda Hirae familiari suo eundem *titulum* tribuerit.

Sequens narratio difficultatem habet non levem. Thamar quippe, non nacta e Sela debitam sibi leviratus lege prolem, eandem ab ipso Iuda surreptitio concubitu sibi repetere fas esse putavit. Sedit igitur meretricio cultu velata in bivio, quo socerum norat fore transiturum. At, num ita effraenatae libidinis Iuda, ut objecto quoque scorto indubie praesciretur esse fruiturus? et num eam scriptura libidinem nulla vituperii nota confictam transmittit? Res prudentem virum *Calmetum* ita perculit, ut pluribus h. l. quorumdam obscurorum auctorum placitum sibi putaverit esse refutandum, fornicationem iure naturae non prohiberi. Tamen vituperium narratis accedit ex ipso contextu eadem actis Ioseph interserentis. Sacer sc. auctor, narratis ante Rubeni, Simeonis et Levi sceleribus iamque Iosephi acta narrare aggressus, inserit Iudae incestus narrationem, quo perspiciatur, cur eo tribusque fratribus praetermissis domus Iacob principatus antiquitus Iosepho obtigerit. Profecto nulla alia ratio intersertae narrationis excogitari potest, haec vero ratio grave habet Iudae vituperium. Quod vero

Iudae libidinem attinet, videtur is reapse Chananaeis plurimum esse commixtus : Chananaeum habuit amicum, Chananaeam uxorem, Chananaeam sine dubio filiis providit uxorem. Quid mirum, si idem Chananaeorum morum licentiam sit imitatus? Merito autem supponebatur vir ad licentiam apprime pronus, quo tempore viduus luctu deposito ad tonsurae ovium tripudia ascendebat. Quam opportunitatem inter Chananaeos luxuriae consecratam seligens Thamar simul « redarguit socerum, quod incontinens ipse cum esset, continentiam se cogeret servare » (*Theodoret.*). Thamarem vel afflicto divino aliquo instinctu excusare nisus est *Ephr.*, infeliciter sane.

v. 13 « *Nuntiatumque est Thamar, quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves* ». v. 14 « *Quae depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum* » seu pallium (24,65) — vox latina et graeca vestem designat aestivam — « *et mutato habitu* », *Hebr. obvoluta*, « *sedit in bivio itineris quod ducit Thamnam* », forte ab Odollam; « *eo, quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum* ». Ultima verba utique « quasi excusans scriptura dicit » (*Chrys.*), potestque Thamar credi non tam luxuriae affectu, quam prolis desiderio (*Theodoret.*) egisse.

בפתח עינים אשר על דרך תמנתה. *LXX* verius עינים intellexere nomen proprium Αἰνάν; *sedit in porta Enaim* (Ios. 15, 34), *quae est in via Thamnam. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* appellative interpretati sunt : *aperturam oculorum*, et hinc « separationem viarum, ad quam omnes oculi respiciunt »; idemque crediderim sensisse *Chald. Syr. : in separatione viarum*, et *Vulg. : in bivio itineris.* Reapse in biviis sedere consueverant meretrices Ez. 16, 25 : Ier. 3, 2 (*Calm.*).

v. 15 « *Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem; operuerat enim vultum suum,* [*ne agnosceretur*] ». Illud *suspicatus est* duo includit : primum non agnovisse nurum, alterum coniecisse esse meretricem. *Vulg.* (et similiter *LXX*) adiecto inciso expressit, prioris tantum reddi rationem (*Malv.*), dum opertus vultus commemoratur, non necessario alterius (*Vat.*); meretrices quippe tum consuevisse operto vultu sedere, reapse non liquet. Potuit meretricii quaestus suspicio oriri « ex loco et habitu » (*Malv.*), sc. sedentis prope portam et praeteriturum aliquem exspectantis.

Sequens ויט אליה אל הדרך difficultatem habet. Quid enim est : *deflexit ad eam ad viam?* Explicat *Vat.* « in viam, quae ducebat ad illam ». At, nonne ipsa sedebat in porta, qua eadem via etiam Iudae erat transeundum? *LXX* vertit, acsi legisset את pro אל, et fortasse idem de *Vulg.* coniicere licebit. דרך saepe significationem induit translatam *mores, agendi ratio;* crediderimque vocem euphemistice h. l. usurpari, uti similiter quandoque vocem דבר, ad exprimendam fornicationem (cf. Prov. 30, 19) : declinavit ad illam ad certum illud negotium perficiendum.

v. 16 « *Ingrediensque ad eam ait : Dimitte me, ut coeam tecum. Nesciebat enim, quod nurus sua esset* », atque incestum volens non perpetravit. « *Qua respondente : Quid dabis mihi, ut fruaris concubitu meo?* » v. 17 « *dixit : Mittam tibi hoedum de gregibus. Rursumque illa dicente : [Patiar quod vis,] si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, [quod polliceris,]* » v. 18 « *ait Iudas : Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit : Annulum tuum et armillam et baculum, quem manu tenes* ».

Sigilla apud Babylonios cylindri plerumque formam habentia, symbolis et etiam textibus tam cuneiformibus quam aramaicis insignia, itemque sigilla apud Aegyptios antiquissimis temporibus iam erant ita frequentia, ut admitti nullo pacto queat, omnes, qui eiusmodi habuerint, artis scribendi ipsos fuisse gnaros. Teste *Herod.* I. 195 baculus et sigillum ad communem virorum Babyloniorum ornatum pertinebant. Sigilla axi perforata funiculo suspensa videntur esse gestata. Probabile est, Abrahamo natis fuisse sigilla eorum affinia, quae apud Babylonios et Chaldaeos usuvenerant. Uti postmodum Persae (Est. 3, 10. 12; 8, 2. 8), ita etiam Aegyptii antiquitus (Gen. 41, 42) et posteriores Iudaei annulis utebantur sigillaribus, neque constat Babylonios illis caruisse. Sigillo non signabantur solum scripta, sed libri claudebantur (Is. 29, 11) et sacculi (Iob 14, 17), obserebantur putei (Dan. 6, 17) et portae (14, 13). — פתיל ex etymo *tortum* quid significat et recentiores cum *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* communius *funiculum* interpretantur, quo sigillum gestaretur suspensum; sed Num. 19, 15 et Iud. 16, 9 rem non certo evincunt. Vertendi cum *Chald. pallium* nulla apparet ratio, et videtur sibi Thamar ea tantum expetiisse, quae ad ornatum, non quae ad vestitum spectabant. *LXX Symm. Aq.* vertunt *torquem*, *Vulg. armillam*; quae versio saltem aeque est probabilis, atque altera illa *funiculus*.

« [*Ad unum igitur coitum*] *mulier concepit* », v. 19 « *et surgens abiit depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus* ». v. 20 « *Misit autem Iudas hoedum per pastorem* », seu verius *amicum* (cf. ad v. 12), « *suum Odollamitam, ut reciperet pignus, quod dederat mulieri. Qui cum non invenisset eam* », v. 21 « *interrogavit homines loci illius : Ubi est mulier, quae sedebat in bivio* », corrige *in Enaim?* « *Respondentibus cunctis : Non fuit in loco isto meretrix* », v. 22 « *reversus est ad Iudam et dixit ei : Non inveni eam; sed et homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum* ». v. 23 « *Ait Iudas : Habeat sibi* », sc. pignus (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*). « *Certe mendacii arguere nos non potest* ». Sed haec liberior est versio. *Hebr. : ne efficiamur in ludibrium.* « Significat, se malle annulum perdere, quam longius spargendo rem, materiam praebere vulgi sermonibus » (*Vat.*). « *Ego misi hoedum, [quem promiseram,] et tu non invenisti eam* ».

v. 24 « *Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Iudae dicentes : Fornicata est Thamar nurus tua et videtur uterus illius intumescere.*

Dixitque Iudas : Producite eam, ut comburatur » Narratio ostendit, omnes in Iuda agnovisse ius talis sententiae ferendae, quod ipsi competebat sane ut familiae capiti (*Per.*), ad quam Thamar duorum filiorum vidua tertioque reservata pertinebat. At, inquiunt, crudelior fuit incendii poena. Nihil est in textu, quo aequales prodantur eam poenam reputasse acerbiorem : nostrum autem est, quid tum moris fuerit e textu eruere, non vero eius moris omnimodam tueri iustitiam. Hypocritam vocat Iudam *Est.*, quod, qui ipse modo fornicatus esset, fornicariam supplicio addixerit. Respondet *Bonfr.*, non fuisse meram fornicationem, sed veluti sponsalium laesionem. Ceterum adverte, maius prae viro probrum *familiae* inurere fornicatione mulierem, quippe quae prolem familiae inferat spuriam aut incertam. Quod probrum gravius etiam patriarcharum aevo ferebant homines posteritatis producendae apprime studiosi. In lege mosaica adulterium morte plectebatur, Thamaris vero delictum adulterio saltem erat affine. At certe in eo crudelitatis macula Iudas absolvi nequit, quod mulierem gravidam ad supplicium produci iusserit, exstirpaturus prolem cum matre (*Cai.*). v. 25 « *Quae cum duceretur ad poenam, misit ad socerum suum dicens : De viro, cuius haec sunt, concepi. Cognosce, cuius sit annulus et armilla et baculus* ». E plurali פתילים nihil inferri potest, reliquis textibus omnibus exprimentibus singularem numerum. v. 26 « *Qui agnitis muneribus ait : Iustior me est* », non « innocens est » (*Chrys., Theodoret.*), sed comparatione mei minus malum fecit (*Hier.*) : « *quia non tradidi eam Sela filio meo* ». Ipsa non libidinis ergo fornicata est, sed leviratus iura sibi a me denegata ex me fraude repetiit posteritatis studio. Si ipsa peccavit, ego ad peccatum compuli et ideo, qui princeps sim et quasi parens, culpandus sum prae ipsa. In tota autem hac narratione obtusae conscientiae vir de fornicatione, imo materiali incestu a se perpetrato minime erubescit, quem ludibrio (v. 23) ad summum dignum censet, non poena. « *Attamen ultra non cognovit eam* », soceri cum nuro coniugium nefas ratus (*Cai.*).

v. 27 « *Instante autem partu apparuerunt gemini in utero, atque in ipsa effusione* [*infantium unus*] *protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum dicens* » : v. 28 « *Iste egredietur prior* », « maior natu habendus » (*Calm.*). *Hebr. : egressus est,* praeterito exprimente « certitudinem rei futurae » (*Bonfr.*), « quasi dicat : Non poterit hic iam primogeniturae ius amittere » (*Malv.*). Tamen, ut res certior reddatur, adhibetur coccinum (*gall.* cochenille), i. e. filum seu lana eo colore tincta. v. 29 « *Illo vero retrahente manum egressus est alter, dixitque mulier : Quare divisa est propter te maceria?* » « Pro *maceria divisionem Aq.* et *Symm.* transtulerunt, quod hebraice dicitur *phares.* Ab eo

igitur, quod diviserit membranam secundinarum, divisionis nomen accepit » (*Hier.*). Potest quidem *Hebr.* verti etiam ita : « Cur divisisti? super te sit divisio » (*Cai.*). At ita intellecta verba « imprecationem » (*Vat.*) sonarent nutricis contra infantem, vix ferendam. Ergo עליך vertas aut *propter te* (*Vulg.*) aut, sensu maxime nativo, *super te* : « Quare membranam, qua obvolvebaris, divisisti, ut fratri primogenituram praeriperes? » (*Bonfr.*). « *Et* [*ob hanc causam*] *vocavit nomen eius Phares* ». v. 30 « *Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellavit Zara* ». Nominis ratio nos latet.

3. *Ioseph in domo Putipharis* Gen. 39.

Cap. XXXIX v. 1 « *Igitur Ioseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat* ». Resumitur (cf. 37,36) narratio insertis Iudae actis abrupta (*Aug.*). *Vir Aegyptius* non est otiosum additamentum (*Dillm.*) : quo tempore Hyksos Aegypto imperabant, certe Aegyptii non ita multi summis officiis adhibebantur (*Kn.*). v. 2 « *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens, habitavitque in domo domini sui* », non in praediis (*Calm.*) : cum enim negotia quaeque feliciter expediret, factus est hero maxime necessarius. v. 3 « *Qui optime noverat Dominum esse cum eo et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius* », ad prosperum finem perduci. *Hebr.* : *et vidit dominus eius etc.*, quocum facile nectitur v. 4 exprimens quid haec videns Putiphar senserit et egerit : « *Invenitque Ioseph gratiam coram domino suo* » — ita etiam *Sam. LXX*, contra reliquos : *coram eo* — « *et ministrabat ei. A quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum et universa, quae ei tradita fuerant* ». Simplicius *Hebr.* : *et praeposuit eum domui suae et omnia, quae habebat, dedit in manu eius.* Dein praegnantius : *Et factum est, ex quo praeposuit eum domui suae et omnibus, quae habebat, benedixit etc.* v. 5 « *Benedixitque Dominus domui Aegyptii propter Ioseph, et multiplicavit tam in aedibus quam in agris cunctam eius substantiam* »; v. 6 « *nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur* ».

Verba iam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* explicavere : « nisi uxorem, quacum cubabat ». Sensus verus quidem, sed s. textu nequaquam enuntiatus; neque iuvat ad v. 9 provocare. Falsc item *Aben Ezra* putat innui, Putipharem Aegyptiorum morem (43, 32; 46, 34) secutum servum Hebraeum suae mensae non adhibuisse : fecerit sane, at id textus non habet. Sapienter monet *Bonfr.* verba explicari inciso praecedente, quod Vulg. suppressit : *et reliquit omnia, quae sua erant, in manu Ioseph*, ut sensus sit, « ita omnia sua commisisse Iosepho, ut cum eius probitati maxime confideret, nullam

rationem dati et accepti reposceret ». Quid vero de *pane?* Putat *Grotius*, Putipharem « securum rerum omnium epulis tantum indulsisse ». Sensus potius est, virum tam integre Iosepho confisum esse, ut, dummodo statis horis cibum mensae appositum reperiret, contentus esset nec ullam ceterorum rationem requireret.

« *Erat autem Ioseph pulchra facie et decorus adspectu* ». v. 7 « *Post multos itaque dies* » — sed reliqui omnes *post verba haec*, quod interpretatur *Chrys.* « post creditam ei potestatem ». Cf. eandem formulam 40,1 et 48,1 — « *iniecit domina sua oculos suos in Ioseph et ait : Dormi mecum* ». « Discant viri cavere etiam oculos feminarum : adamantur enim et qui nolunt amari » (*Ambr.*). v. 8 « *Qui nequaquam acquiescens [operi nefario] dixit ad eam : Ecce, dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua* », — pro בוה *Sam. LXX* מאומה — v. 9 « *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate vel non tradiderit mihi, praeter te, quae uxor eius es* ». Sed contra *Vulg. LXX* אינבו accipiendum est pro masc., non pro neutro : *nec ipse maior est me in domo hac.* « *Quomodo ergo possum hoc malum facere et peccare in Deum [meum]?* » Reliqui praeter *LXX hoc malum grande :* id, quod malum est de se, peius evadit repensa pro beneficiis ingratitudine; neque herum solummodo laedit, sed Deum quoque offendit. Mulieri Dei oblitae in memoriam revocat Deum (*Chrys.*). v. 10 « *Huiuscemodi verbis per singulos dies et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum* ». v. 11 « *Accidit autem quodam die, ut intraret Ioseph domum et operis quidquam absque arbitris faceret* », — « Debuit providere, ne furenti copiam daret : sed neglecti officii etiam a domino cavere debebat offensam » (*Ambr.*) — v. 12 « *et illa apprehensa [lacinia] vestimenti eius diceret : Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit et egressus est foras* ». *Sam. LXX*, hic et in sqq., falso בגדיו pro בגדו.

Frequentes in laudibus castitatis Ioseph sunt Patres : cf. *Chrys.*, *Ambr.*, *Ps. Aug.* (Serm. 293; *M.* 39. 2301) etc. Quod aliqui causabantur, hanc narrationem de Ioseph et uxore Putiphari ab Aegyptiorum moribus dissonare, egregie refutatum habes in « Fabula duorum fratrum », quam primus e textu hieratico eruit *E. de Rougé* (Revue Archéologique IX. 385), atque inter alios transtulit *P. Le Page Renouf* (Records of the Past II. 137 sqq.). Cf. etiam *G. Ebers* p. 311 sqq., *A. Erman* II. 505 sqq., *F. Lenormant* (Civilisations I. 375 sqq.); *F. Vigouroux* (La Bible II. 40 sqq.).

v. 13 « *Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam* », — cuius incisi loco vertendum erat : *eumque fugisse foras* — v. 14 « *vocavit ad se homines domus suae et ait ad eos : En, introduxit* » — utique maritus; sed vox reverenter supprimitur, uti etiam in Novo Regno, quo tempore vivebat Ioseph, supprimebatur

regis nomen : « aliquis te iussit », « aliquis nunc versatur Thebis » (*Erman* I. 92) — « *virum Hebraeum* », e gente Aegyptiis prae aliis exosa (43,32; *Malv.*) « *ut illuderet nobis* » mulieribus (*Dillm.*) : vestrum quippe nulla iam se tutam reputet. « *Ingressus est ad me, ut coiret mecum; cumque ego succlamassem* » *voce magna,* v. 15 « *et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam* », — etiam *Sam. Syr.* בידי, pro quo, quippe quo videretur mulier se ipsam prodere aggressa esse virum, non ab ipso impetita, correxit fortasse aliquis אצלי; v. 18 soli *Vulg. Syr.* substituere בידי — « *et fugit foras* ».

Putabat *F. Chabas* (Mélanges égyptologiques, Paris 1862, p. 42 sqq.), se ipsum *Hebraeorum* nomen in textibus hieroglyphicis reperisse sub forma *Apuriu*. « Sed isti Apuriu ducentis post Ramsen II annis inter mancipia Aegyptiorum recensentur, itemque sub rege Neferchetep 13ae dynastiae, ergo diu ante Hebraeorum in Aegyptum adventum, in monumentis appellantur. Tempore Thutmes III describuntur fuisse equites. Variis, quibus recensentur, collatis textibus demonstravit *H. Brugsch*, tribum fuisse ad litus Maris Rubri incolentem, a Iudaeis oppido discernendam » (*Wiedemann* p. 491).

v. 16 « [*In argumentum ergo fidei*] *retentum pallium* [*ostendit*] *marito revertenti domum* » v. 17 « *et ait : Ingressus est ad me servus Hebraeus, quem adduxisti ut illuderet mihi* ». v. 18 « *Cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras* ». v. 19 « *His auditis dominus, et nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde* ». Liberius haec versa sunt. Textus non affirmat, plenam uxori fidem habuisse herum. Fortasse non tam Iosepho irascebatur, quam aegre ferebat rem tam publice esse actam. Quaerebat iam *Chrys.*, cur non morti potius quam carceri Iosephum mancipaverit. Apud Aegyptios hero ius fuisse interimendi mancipii, non constat; potuit prior viri gratia ab extremo supplicio cohibere animum, maxime ubi ageretur de servo maxime utili. v. 20 « *Tradiditque Ioseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus* ». « Inaudita causa, inexplorata fide veri, tamquam reus criminis in carcerem Ioseph mittitur » (*Ambr.*). בית הסהר explicant *domum inclusionis*, ergo *carcerem*. Iam ei carceris parti addictus est Ioseph, *ubi vincti regis custodiebantur*, « les prisonniers d'état » (cf. *Ebers* p. 319).

Principem carceris alium fuisse a Putiphare, habes ex 39, 19-21. Carcer, qui 39, 20 sqq. et 40, 3 vocatur בית הסהר, idem 40, 3 et 41, 10 vocatur משמר בית שר הטבחים; similiterque princeps carceris modo audit שר בית הסהר (39, 21), modo שר הטבחים (40, 4; 41, 12); qui, cum Iosephum reapse subditum haberet, vocatur 40, 7 (*Hebr.*) eius *dominus*, uti Ioseph 41, 12 eiusdem *servus* scribitur. In quibus unica res difficultatem facit, principem carceris eodem atque Putipharem titulo honorari שר הטבחים. Verum, cum Aegyptii fuerint titulorum honorificorum perquam

studiosi (*Erman* I. 121 sqq.), non est ita difficile 39, 1 et 40, 3 duos diversos intelligere « duces praetorianorum ». *Ebers* censet Putiphar toti praefuisse carceri, alterum virum ei soli parti, ubi vincti regis detinerentur. Porro haec, quam attigimus, difficultas unica recentioribus est ratio v. 21-23 alteri tribuendi auctori.

v. 21 « *Fuit autem Dominus cum Ioseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris* ». v. 22 « *Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui in custodia tenebantur; et quidquid fiebat, sub ipso erat* ». Clarius *Hebr.* : *et quidquid ipsi faciebant ibi, ipse erat faciens*, i. e. ipse eorum laboribus praeerat. v. 23 « *Nec noverat aliquid cunctis ei creditis* », cf. v. 6; adscribitur autem ratio, cur princeps carceris potuerit ei tuto omnia permittere : « *Dominus enim erat cum illo et omnia opera eius dirigebat* ». Cf. v. 2 sq.

4. *Eunuchorum in carcere somnia explicata* Gen. 40.

Cap. XL v. 1 « *His ita gestis accidit, ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti et pistor, domino suo* ». v. 2 « *Iratusque contra eos Pharao, nam alter pincernis praeerat, alter pistoribus* », v. 3 « *misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Ioseph* ». Duos priores versus ita *Hebr.* habet : *Post verba haec accidit, ut peccarent pincerna* (vox carens articulo) *regis Aegypti et pistor* (vox articulo ornata), *domino suo regi Aegypti. Iratusque est Pharao contra duos eunuchos, principem pincernarum et principem pistorum.* Cum porro etiam אפה *Chald.* expresserit sine articulo, dubitare licebit, utrum *peccantes* fuerint ipsi duo principes, an ii pro peccato duorum suorum inferiorum vapulaverint. Illud censuere *LXX Vulg. Syr.* et melius congruit textui hebr. recepto. Peccatum *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* coniiciunt illud fuisse, ut coniuraverint veneno Pharaonem e medio tollere : aulicos Aegyptios quandoque contra regem coniurasse, et patet per se et confirmatur actis causae (*Erman* I. 205 sqq.) habitae contra eos, qui cum uxoribus regiis coniuraverant de rege Pepy 6^{ae} dynastiae expellendo. Fuisse in aula Pharaonis principem pincernarum et principem pistorum, et patet per se, et textibus confirmatur : *Ebers* p. 320 sq., *Vigouroux* II. 65, *Erman* I. 269 sq. Vineae autem in Aegypto erant plurimae et varia vinorum generosorum genera : *Erman* I 276 sqq.

v. 4 « *At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur* », v. 5 « *videruntque ambo somnium nocte una iuxta interpretationem congruam sibi* ». איש כפתרון חלמו, vel *Sam.* איש כפתרנו חלמו, *unusquisque sicut interpretatio* (*eius*) *somnium eius.* Expressionis obscurae videtur

sensum assecutus esse *Mar.*, « somnia non fuisse vana et fortuita, quae interpretationem non habent, sed significasse quae illis ventura erant ». Persensere illico tam pincerna quam pistor, ea somnia esse divinitus immissa, ideoque habere significationem ipsi somnio accurate correspondentem : at eam significationem interpretatione assequi non poterant. Uti reliquos, ita Aegyptios plurimi fecisse somnia, cf. *Ebers* p. 321 sq., *Vigouroux* p. 55 sqq. — v. 6 « *Ad quos cum introisset Ioseph mane et vidisset eos tristes* », v. 7 « *sciscitatus est eos dicens : Cur tristior est hodie* [*solito*] *facies vestra?* » v. 8 « *Qui responderunt : Somnium vidimus et non est, qui interpretetur nobis* ». « Quia carcere conclusi sumus, interpretis copiam non habemus » (*Menoch.*). « Ignorabant sapientiam eius, quocum loquebantur, sed vulgarem aliquem esse existimabant, et propterea somnium ei non narrant, sed tantum se vidisse dicunt, et addunt : Nullus est, qui interpretetur illud » (*Chrys.*). « *Dixitque ad eos Ioseph : Numquid non Dei est interpretatio?* » Donum est a Deo descendens, non ars ad certos aliquos homines restricta. « *Referte mihi, quid videritis* » ; « nam puto, me favente Deo non vanum fore coniectorem » (*Malv.*).

v. 9 « *Narravit prior, praepositus pincernarum, somnium suum : Videbam coram me vitem* », v. 10 « *in qua erant tres propagines, crescere* [*paulatim*] *in gemmas, et post flores uvas maturescere* » ; v. 11 « *calicemque Pharaonis in manu mea : tuli ergo uvas, et expressi in calicem, quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni* ». *Hebr.* distinctius exprimit, in somnio visam esse vitem brevissimo tempore a tenerrimo germine ad perfectam maturitatem esse perductam : *In somnio meo, ecce vitis coram me, et in viti propagines tres : et ipsa, ubi primum germinavit,* (*iam etiam*) *ascendit flos eius, maturaverunt racemi eius uvas.* Sicut non consuevere in Aegypto uvae tam cito evolvi, ita neque moris erat, ut uvae in calicem exprimerentur atque illico succus expressus pro vino hauriretur : uti v. 10 uvae evolutionem, ita v. 11 vini praeparationem brevissimo compendio exhibet.

v. 12 « *Respondit Ioseph : Haec est interpretatio somnii : Tres propagines tres adhuc dies sunt* ». v. 13 « *Post quos recordabitur Pharao ministerii tui* », *Hebr. elevabit Pharao caput tuum* (cf. 4 Reg. 25,27), ex ignominia ad honorem revocabit, « *et restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueveras* ». v. 14 « *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere* », v. 15 « *quia furto sublatus sum de terra Hebraeorum, et hic innocens in lacum missus sum* ». Non accusat Putipharem neque eius uxorem, non refert fratrum inhumanitatem (*Chrys.*) : unum effert,

se per nefas in servitutem esse adductum, servumque nihil mali admisisse.

Dicit autem *terram Hebraeorum* Ioseph, non Chanaan, quia non tam regionem indicare vult, quam tribum; erantque aliae fortasse in Chanaanitide tribus Aegyptiis hostiles, a quibus iure belli captivi in Aegyptum abducebantur. Porro, si Abraham Hebraeus (14, 13) numeravit servos trecentos decem et octo viros, Iacob sane, cui duodecim filii et infiniti paene erant greges, servos habebat plurimos et tractus, quem late diffusis gregibus obtinebat, facile potuit nomine terrae Hebraeorum Aegyptiis innotescere, imprimis regibus Pastoribus, qui et ipsi ad orientem primum Aegypti sedes habuissent. Adverte etiam illud, etsi ipse Ioseph non usus sit expressione *terra Hebraeorum*, at potuisse ea certe uti auctorem Genesis Iosepho longe recentiorem. Cf. *G. Smith* : The book of Moses p. 397 sqq.

v. 16 « *Videns pistorum magister, quod prudenter somnium dissolvisset, ait : Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinae* », seu potius panificii, « *haberem super caput meum* », — vide apud *Ebers* p. 332, *Vigouroux* p. 76 depictum pistorem Aegyptium panem in capite circumferentem. Ib. et *Erman* I. 269 vide varias panificii formas. Inter oblationes funebres recensentur panis et placentae genera sexdecim; rege 19^ae^ dynastiae iter faciente, praeparanda erant ubique panis genera decem, placentae quinque (*Erman* I. 265 sq.) — v. 17 « *et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo* ». v. 18 « *Respondit Ioseph : Haec est interpretatio somnii : Tria canistra tres adhuc dies sunt* »; v. 19 « *post quos auferet Pharao caput tuum* », — lepide hic eadem atque v. 13 expressio adhibetur, sed sensu plane diverso, uti eadem etiam v. 20 utrique eunucho applicatur : *et elevavit caput principis pincernarum et caput principis pistorum, in medio servorum suorum* (*Mar.*) — « *ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas* ». Emortui cadaver suspendendum est *in ligno* i. e. in patibulo. Monumenta exhibent homines capite plexos et in patibulo suspensos. In « Fabula duorum fratrum » uxoris infidelis cadaver canibus permittitur (*Vigouroux* p. 79). Id sane in gente cadaverum praeservandorum tam studiosa supplicium omnino extremum.

Regum Aegypti anniversarium natalem diem habitum esse festum monumenta testantur, cf. *Vigouroux* p. 77 sqq. — v. 20 « *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat. Qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum et pistorum principis* », v. 21 « *restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum* », v. 22 « *alterum suspendit* [*in patibulo*], *ut coniectoris veritas probaretur* »; simplicius *Hebr. : sicut interpretatus ei fuerat Ioseph.* v. 23 « *Et tamen* [*succedentibus prosperis*] *praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui* ».

5. *Ioseph a Pharaone exaltatus* Gen. 41.

Cap. XLI. Narratio non universim tantum, sed vel expressionibus prodit narratorem rerum Aegyptiarum oppido gnarum, ut vere scribat *Ebers* p. XII, « acta Ioseph, etiam quoad singula, res describere quales in veteri Aegypto agi debuere ». v. 1 « *Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium* », v. 2 « *de quo ascendebant septem boves pulchrae et crassae nimis, et pascebantur in locis palustribus* ». v. 3 « *Aliae quoque septem emergebant de flumine, foedae confectaeque macie, et pascebantur in* [*ipsa*] *amnis ripa*, [*in locis virentibus*] ».

יאר *flumen*, solum Dan. 12, 5 sqq. de alio flumine, secus de solo Nilo usurpatur. *Assyr. iaru'u* est nomen Nili (*Schrader*). Vox est e lingua *aegyptiaca* transsumpta, ubi Nilus vulgo audit *aur*, flumen, seu *aur aa*, flumen magnum (*Ebers* p. 338). *Koptice iaro* vel *iero*. — אחו, praeter h. l. et v. 18, solum Iob 8, 11. *LXX* Ἀχεί; et Is. 19, 7 τὸ ἄχι τὸ χλωρόν. *Chald.* אחוא significat *herbam* (cf. *Levy*). Non est *palus* (*Aq. Symm.*, quos sequitur *Hier.* in Quaest. hebr.), sed « omne quod in palude *virens* nascitur » (*Hier.* in Is. 19, 7; *M.* 24. 252). Vox, ut idem *Hier.* norat, *aegyptiaca* est et significat *viride quid* : *Ebers* p. 338 sq. — Ut fluminis ripa *labium* appelletur, est tropus Semitis neque iis solis familiaris : eum norunt etiam *Aegyptii* usi voce *sept*, quae radice eadem est cum hebr. שפה (*Ebers* p. 339). — v. 3 pro ותעבדנה videntur *LXX Vulg.* legisse ותרעינה, uti v. 2, literis inter se similibus. — Notat *Bonfr.*, quam apte in somnio *boves* compareant, agriculturae symbola; *ascendant* de Nilo, a quo tota regionis fertilitas dependeat; pingues in *viridi* plano pascantur, non in sola ripa, quod annis prosperis Nili aquae totam late planitiem oppleant, dum boves macrae in ipso fluminis « labio » consistant.

v. 4 « *Devoraveruntque eas, quarum mira species et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao* » v. 5 « *rursum dormivit et vidit alterum somnium. Septem spicae pullulabant in culmo uno plenae atque formosae* ». Plurimum habetur in Aegypto « triticum compositum », plures in unico culmo ferens spicas (*L. Cl. Fillion* : La Sainte Bible I., Paris 1888). Culmus unus ostendit, septem annos inter se continuo esse excepturos (*Kn.*). v. 6 « *Aliae quoque totidem spicae tenues et percussae uredine oriebantur* » *post eas*, אחריהן uti v. 3 אחרות — *Hebr.* : *combustae euro*. Dicunt, uti in Palaestina eurum, ita in Aegypto austrum esse maxime exitialem : neque facit difficultatem, narratorem hebraeum eius venti suffecisse nomen, qui in Palaestina segetibus noceret; imo debuit id facere, quo intelligeretur. Ceterum advertit *Ebers* p. 340, etiam in Aegypto ventum exitialem non tam a meridie flare, quam a meridie ad orientem vergente, ideoque non immerito

curi nomine ab Hebraeis exprimi potuisse — v. 7 « *devorantes omnem priorum pulchritudinem* ».

Hebr. : et deglutierunt spicae tenues septem spicas pingues et plenas. Videtur *Hier.* aliquam huius textus expertus esse difficultatem, sc. quid in somnio agi *viderit* Pharao. Etenim boves a bovibus non carnivoris devorari, licet id in rerum natura non fiat, tamen in somnio *videri* potuit fieri : at spicas oribus carentes alias devorare aut deglutire spicas, ne in somnio quidem videri potuit. Neque iuvat cum *Tost.* dicere, « quod considerata sterilitate istarum septem spicarum percussarum, nihil videbatur pulchritudo spicarum pulchrarum et plenarum » : quo significatio quidem visi quadamtenus explicatur, non vero ipsum visum. Non improbabiliter censet *Del.*, in viso spicas steriles super plenas assurrexisse et illas penitus obvolutas videntis adspectui subtraxisse; idque eo facilius concipies, si supponas, quod textus suggerere videtur, steriles in eodem cum plenis culmo esse natas. — Sequentia in *Hebr.* sic habent : *Et evigilavit Pharao, et ecce somnium.* Quod explicat *Cai.*, somnium illi in mente haesisse; *Menoch.*, iugiter illi esse obversatum; *Fillion* deprehensum esse fuisse merum somnium, licet primum ita vivide menti inhaeserit, ut in rerum natura vere factum crederetur : *Calm.* agnitum esse ex variis circumstantiis non fuisse mere phantasticum, sed divinitus immissum, et conferatur 3 Reg. 3, 15 : « Igitur evigilavit Salomon et intellexit, quod esset somnium ».

« *Evigilans Pharao post quietem* » v. 8 « *et facto mane, pavore perterritus misit ad omnes coniectores Aegypti cunctosque* » « alios » (*Tost.*) « *sapientes, et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur* ». חרטמים non videtur e lingua aeg. derivandum, neque *H. Brugsch* (vide ap. *Vigouroux* p. 97 sq.) ullo modo demonstravit vocem eandem esse atque *chartot*, « bellatores » (!), sacerdotum quorumdam titulum. Cum vox etiam occurrat Dan. 1,20; 2,2, potius revocanda videtur ad חרט, stilo insculpere, potuereque designari ii, qui a graecis ἱερογραμματεῖς vocantur. Evidenter ea intelligitur sapientum tribus, qui somnia interpretabantur : *LXX* ἐξηγητάς, *Aq.* κρυφιαστάς. v. 9 « *Tunc demum reminiscens pincernarum magister ait : Confiteor peccatum meum* ». « Cogor fateri nunc peccatum meum » (*Vat.*). *Masor. Chald. : peccata mea,* « tum peccatum olim commissum in Pharaonem, tum peccatum ingratitudinis in Ioseph » (*Cai.*). Sed reliqui nomen intellexere numero singulari, et interpretaberis aut de peccato ingratitudinis in Ioseph admissae (*Bonfr.*), aut verius de peccato in Pharaonem commisso, ob quod coniectus fuerat in carcerem (*Lap.*), quodque nunc *in memoriam revocare* cogitur : praemittit autem sententiolam captandae benevolentiae ergo. v. 10 « *Iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum* », v. 11 « *ubi una nocte uterque vidimus somnium praesagum futurorum* » ; eadem atque 40,5 expressio. v. 12 « *Erat ibi puer Hebraeus, eiusdem ducis militum famulus; cui narrantes somnia* », v. 13 « *audivimus, quidquid postea*

rei probavit eventus : ego enim redditus sum officio meo, et ille suspensus est [*in cruce*] ». Haec libere sunt versa.

v. 14 « *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt ac, veste mutata, obtulerunt ei* ». Aegyptii tondi consueverant, munditiei gratia; plures dein coma et barba arte factis utebantur. Monet *Ebers* p. 352 tanto verius h. l. ex Aegyptiorum moribus eam tonsionem narrari, quod apud Hebraeos calvitium opprobrio (4 Reg. 2,23) haberetur. Audacius suggerit *Bonfr.*, in carcere Iosephum ob luctum comam nutrivisse : id quidem Aegyptii in luctu faciebant, sed Iosephi factum sufficienter inde explicatur, quod in carcere defecerit tonsor; Hebraei in luctu potius comam radere consueverant. — Mutata vestis : pro perizomate tributa vestis talaris, qualis in Novo Regno adhibebatur. v. 15 « *Cui ille ait : Vidi somnia, nec est qui edisserat, quae audivi te sapientissime coniicere* ». *Hebr. : audis somnium ad interpretandum illud* (ubi *Sam.* praefigit ה interrogativum). *Drus.* audiendi verbum sumit intelligendi sensu : « te esse intelligentem somnii, ut interpreteris illud ». Melius *Malv.* : « quam primum somnium audis, illud interpretaris ». v. 16 « *Respondit Ioseph : Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni* ». Prudenter et modeste Ioseph sibi nihil, totum Deo attribuit. Notant (*Ebers* p. 353, *Vigouroux* p. 102) servo capitale fuisse exercere scientias occultas. Aliunde delectabatur sine dubio rex Pastor, cernens iuvenem Semitam sapientibus Aegyptiorum sapientiorem exsistere.

Punctabant בִּלְעָדִי *Masor. Vulg. Chald. Aq. Symm.*, ergo *sine me* ; בְּלַעֲדֵי *LXX Syr.* iungentes sequenti voci, *sine Deo* ; negationem לא, quae post אלהים facile potuit aut irrepere aut excidere, scribunt *Sam. LXX Aq.* Hinc quatuor nascuntur constructiones. 1) *Sine me ; respondebit Deus* : non a me, sed a Deo proficiscetur responsum (cf. 14, 24). Ita *Masor. Vulg. Chald. Symm.* 2) *Sine me non respondebit Deus.* Ita *Aq.*, et explicant *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* : « praeter me non est vir, qui interpretetur somnia; sed a Deo erit responsum ». Verba sapiunt arrogantiam et imprudentiam. 3) *Sine Deo respondebit aliquis* : oportebit autem cum *Syr.* verba accipere interrogative. 4) *Sine Deo non respondebit quisquam.* Ita *Sam. LXX.* Sensus idem, atque primae explicationis.

v. 17 « *Narravit ergo Pharao, quod viderat : Putabam me stare super ripam fluminis* », v. 18 « *et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis et obesis carnibus, quae in pastu paludis vireta carpebant* ». v. 19 « *Et ecce, has sequebantur aliae septem boves in tantum deformes et macilentae, ut nunquam tales in terra Aegypti viderim* » *foeditate.* v. 20 « *Quae, devoratis et consumptis prioribus* », v. 21 « *nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie et squalore torpebant* ». *Hebr. : Et, cum absumerentur intra illas, non ap-*

parebat absorptas esse intra illas, eratque adspectus earum malus sicut ante. « *Evigilans, [rursus sopore depressus]* », v. 22 « *vidi somnium : Septem spicae pullulabant in culmo uno, plenae atque pulcherrimae* »; v. 23 « *aliae quoque septem tenues et percussae uredine oriebantur e stipula* ». Tertium adiectivum legunt *Hebr. Sam. Targumim,* ἄπαξ λεγόμενον צנמות, formae simillimae sequenti צמחות. v. 24 « *Quae priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi coniectoribus somnium, et nemo est qui edisserat* ».

v. 25 « *Respondit Ioseph : Somnium regis unum est* », « significatione sc., unius eiusdemque rei symbolum est » (*Bonfr.*). « Repetitio confirmatio est visorum et copiosior probatio futuri eventus » (*Chrys.*). « Plus credimus hominibus idem saepius affirmantibus » (*Per.*). « *Quae facturus est Deus, ostendit Pharaoni* ». 26 « *Septem boves pulchrae et septem spicae plenae septem ubertatis anni sunt, eandemque vim somnii comprehendunt* ». Quae verba sat flaccida reddunt *Hebr. : somnium unum hoc est.* Duobus quippe inculcandis insistit Ioseph, duo somnia ad unum referri eventum, et qui ille eventus sit. v. 27 « *Septem quoque boves tenues atque macilentae, quae ascenderunt post eas, et septem spicae tenues et vento urente percussae septem anni venturae sunt famis* ». v. 28 « *Qui hoc ordine complebuntur* ». Pro quibus verbis *Hebr.* habet : *Hoc est verbum, quod locutus sum Pharaoni*, sc. v. 25, quando dixi duo somnia unum esse eventumque futurum praesagire; et repetit : *Quae Deus facturus est, ostendit Pharaoni.* Hic versus proprie clausula est praecedentium, quae iam, cum supremi momenti sint, v. 20-32 repetit. v. 29 « *Ecce septem anni venient fertilitatis magnae in universa terra Aegypti* », v. 30 « *quos sequentur septem anni alii tantae sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia. Consumptura est enim fames omnem terram* », utique Aegypti, v. 31 « *et ubertatis magnitudinem perditura est inopiae magnitudo* ». *Hebr. : et non erit memoria abundantiae in terra prae fame ista subsequente, quoniam gravis erit valde.* v. 32 « *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei et velocius impleatur* ». *Hebr. : Quoad repetitionem autem somnii Pharaoni factam bis,* eius ratio haec est, *quoniam firmum est verbum a Deo et cito implebit illud.* Ex repetitione colligit Ioseph rei futurae irrevocabilem certitudinem et celeritatem (*Malv.*).

Advertit *Ebers* p. 354, ita omnia in hac interpretatione Aegyptiorum indoli et religioni esse accommodata, ut vel nos antiquitatum Aegyptiarum tam parum gnari eorumdem somniorum eandem prompsissemus interpretationem; coniectorum vero

et sapientum silentium inde unice explicari, quod veriti sint Pharaoni invisa proferre. Nota tamen, Iosephum somnii interpretationem Deo referre acceptam.

Interpretationi expetitae iam subnectit Ioseph *consilium* non rogatus, sed quod uti ipsa interpretatio a Deo profectum aestimetur ideoque reverenter accipiatur. v. 33 « *Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et praeficiat eum terrae Aegypti* », v. 34 « *qui constituat praepositos per cunctas regiones* ». Aliter *Hebr. : et faciat Pharao et constituat praepositos super regionem.* Quid *faciat? Drus.* supplet « hoc »; *Dillm.* « constituat et praeficiat »; utrovis modo construas, abundat fere יעשה. : *Del. :* « manum operi admoveat Pharao et constituat ». Latet fortasse in ea voce aliqua in regem deferentia, ne videatur ille vir sapiens omnia ipse facere, sed potius rex per ipsum. « *Et quintam partem [fructuum] per septem annos fertilitatis* », v. 35 « *qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea; et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus* ». « Auctor est Iosephus Pharaoni, ut tributum indicet populis quintae partis fructuum regi pendendae » (*Calm.*). v. 36 « *Et praeparetur futurae septem annorum fami, quae oppressura est Aegyptum, et non consumetur terra inopia* ». *Hebr. : Et sit cibus in depositum regioni etc.*

v. 35 *Sam. Vulg. LXX Syr.* copulam ignorant in ושמור, quo utique constructio fit planior. — Sane annis fertilitatis privati etiam frumenti copiam recondiderunt; annis sterilitatis parum quid proxime ad flumen nascebatur; haec addita quintae parti annuae regi reservatae suffecere non solum ad totam Aegyptum alendam, sed ad extraneis etiam iusto pretio providendum : cogita, quantum in Aegypto abundaverint segetes septem illis fertilitatis annis. *Per., Bonfr.*

v. 37 « *Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris eius* », v. 38 « *locutusque est ad eos : Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* » v. 39 « *Dixit ergo ad Ioseph : Quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus est, numquid sapientiorem [et consimilem] tui invenire potero?* » v. 40 « *Tu eris super domum meam, et ad tui oris [imperium] cunctus populus* » *meus* « *obediet; uno tantum regni solio te praecedam* ».

Videtur Iosepho collatum esse officium, cui titulus *tate* seu gubernator, « moderator magnatum meridiei et aquilonis », « alter post regem in atrio palatii ». Erat idem supremus iudex. Vel ipsi magnates proni coram illo adorabant. Eius nomini quandoque additur doxologia « vita, salus et sanitas », secus soli regi regeque natis reservata. Gubernatori non raro alia maximi momenti officia tribuebantur, « praepositi domus argenti », « praepositi horreorum » (*Erman* p. 131 sqq.). — ועל פיך ישק כל עמו non est vertendum « totus populus osculabitur os tuum » (*Kimchi*), ritus inauditus et insueta constructio; neque « ad tuam vocem totus populus osculabitur manum suam »

in signum subiectionis (*Bonfr.*). נשק primitus significat *applicare* : hinc applicare os seu osculari; applicare arma i. e. ea induere (unde aliqui h. l. « armabitur », sed non agitur de expeditione bellica, et arma deberent exprimi); applicare se seu conformare, quo recidunt *Vulg. obediet, LXX* ἐπακούσεται, *Syr. suscipiet iudicium.* — Cum laudata expressione conferri potest titulus « summi oris », qui in Novo Regno filio patri regi successuro, raro autem aulico alicui concedebatur (*Erman* p. 158; *F. Chabas* : Recherches sur la 19e dynastie, p. 14 sq.).

v. 41 « *Dixitque* [*rursus*] *Pharao ad Ioseph : Ecce, constitui* » seu *constituo* « *te super universam terram Aegypti* ». Versus non est mera v. 40 repetitio, non est diversi a v. 40 auctoris (*Dillm.*), sed quod consilium v. 40 rex expresserat, illud v. 41 actu exsequitur, Iosepho munus promissum confert (*Del.*). v. 42 « *Tulitque annulum de manu sua* », qualem Aegyptii nobiliores omnes gerebant, sed imprimis reges, regium nomen inscriptum habentem et obserandis maxime documentis destinatum, « *et dedit eum in manu eius* ». « Summae auctoritatis insigne erat annulus apud gentes quam plurimas » (*Calm.*). « *Vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit* ». Depictos cernis in monumentis Aegyptiacis viros de re publica bene meritos et a rege torquis aurei dono honoratos (*Erman* p. 175 sq.; *Vigouroux* p. 108 sqq.). Aegyptii e lino conficiebant telas tenuissimas nivei coloris, quibus fere solis Novi Regni vestimenta constabant (*Erman* p. 594 sqq.). v. 43 « *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum* » dignitate et ornatu, primum quippe sibimetipsi uti et thronum reservabat, « *clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent et praepositum esse* [*scirent*] *universae terrae Aegypti* ».

Vulg. Syr. putavere praeconem « duo clamasse » (*Cai.*), at id repugnat hebr. constructioni. Inf. abs. ונתון (*Sam. LXX* ונתן) continuat narrationem et verba *et ita praeposuit eum etc.* resumunt priora v. 41 verba et pronuntiant, ritu annuli, torquis, stolae et currus solemnem officii collationem esse absolutam. — אברך non est comparandum (*Del. iun.*) cum assyr. *abarakku*, neque cum *Targumim* explicandum *pater regis* (אב et ריכא, quod alterum non est nisi deformatio latinae vocis *rex!*); sed vox probabilius est aegyptiaca. Etiamnum in Aegypto Arabes clamant *abrok*, quando volunt, ut cameli in genua procumbant ad subeunda onera (*F. Chabas*, Antiquité p. 419). Ergo veram de sensu vocis traditionem *Vulg.* et *Aq.* (γονατίζειν) videntur esse secuti. Quae porro aegyptologi suggessere ad vocem aegyptiacam explicandam, mera sunt tentamina.

Auctor ubi collatum gubernatoris munus narravit, referre pergit alios honores Iosepho a Pharaone collatos, antequam Iosephi in officio feliciter gesta enarret. At eos honores crediderim non illico Iosepho esse collatos, sed aliquanto post, quando is rem publicam felicissime aliquamdiu administraverat. Speciatim dubitaverim, Ioseph solos

triginta annos natum duxisse uxorem, quod a patriarcharum moribus videtur discordare. v. 44 « *Dixit quoque rex ad Ioseph : Ego sum Pharao* ». Vix iuramentum dixerim haec verba cum *Petro Comestore* (ap. Mar.), quamvis ea sequentibus utique addant pondus, « quasi dicat : Haec mea voluntas, cui nemo ausit resistere » (*Bonfr.*). » *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti* ». « His verbis hyperbolicis significat amplissimam factam Iosepho potestatem » (*Gord.*); confirmat igitur supremam auctoritatem Iosepho pridem v. 40 collatam; confirmatio autem non est otiosa, quia praeparat favores viro de novo conferendos. v. 45 « *Vertitque nomen eius et vocavit eum* [*lingua aegyptiaca*] *Salvatorem Mundi. Deditque illi uxorem Aseneth, filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* »

Qui thronum Aegypti ascendebat, semper priori nomini novum nomen addebat, fere ab alicuius Dei cultu petitum, v. g. « Amatus a Re », deo solari; « Firma stat effigies Re »; « Re veridicus » (*Erman* p. 89). Similia saepissime nomina privati homines habebant : « Ptah fulget caritate », « Pulchra facies Ptah », « Deus est dives », « Amon divitiae eius », « Nomen eius vivit », « Fulgidus Thebis », rex « Pepy permanet » etc. Privati quandoque nomina in honorem regis mutabant (ib. p. 229 sqq.), neque veri absimile est reges quandoque privatos mutato nomine honorasse, maxime si ii regi essent perquam familiares et fortasse, uti Ioseph alienigenae cum essent, barbarum ante nomen haberent. Igitur nomen צפנת פענח, Ψονθομφανήχ, *Aq.* Σαμφανή, *Symm.* Σαφαθφανή interpretandum est ad instar aliorum, quae novimus, nominum aegyptiorum. Unde excluditur interpretatio *Brugsch* (ap. Vig. p. 114), civitatem Sukot habuisse cognomen *p-aa-anch*, i. e. domicilium dei Anch seu dei Viventis; quare *za-p-u-unt-p-aa-anch* significet « gubernatorem provinciae domicilii dei Viventis » seu « nomarchum pagi Sethroitis ». Sic non habetur nomen, sed titulus officii ; et ridicule Pharao, qui modo amplissimam per totum regnum Iosepho tribuerit auctoritatem, ei nomen imponeret unici pagi nomarchiam exprimens. *Syr. Targ. Ios.* « occultorum scrutator » petitur a צפן abscondere, et פענ = φαίνω, ergo est reiiciendum (unde *Lutherus* : « consiliarius secretus »). *Vulg.* « Salvator mundi » revocat ad *p-sot-om-ph-eneh* = Ψονθομφανήχ. Sed צפ pro צפ sola *LXX* habet, et *sot* non est צנת. Veri simillimum est, alteram nominis partem constare voce *anch*, « vita », praefixo articulo *p*, quae vox in nominibus propriis frequenter inest. Priorem partem *Chabas* putat esse vocem *zefut*, ut totum sonet « abundantia vitae », nomen utique genuine aegyptium. *F. Lenormant* refert, regem Kames, qui Pastoribus coaevus in superiore Aegypto imperaverit, titulum gessisse *tsaf-en-to*, « nutritius mundi », qui adamussim correspondeat hebraeo צפנת. Eundem *Mariette* legit *S-t'af-teti*, « nutritius duorum mundorum », quod aliquantulum discrepat a צפנת. Illud certe admirationem facit, eodem circiter, quo Ioseph in inferiore Aegypto, tempore Kames in superiore similis significationis nomen habuisse. Cf. *Lagarde*, Mittheilungen III. 226 sqq. 282 sqq. Nomen *Aseneth* derivatur a nomine deae Neith, quae iam antiquitus colebatur in urbe Sais, *Brugsch* (Geschichte p. 248) censet idem nomen esse atque *Snat* seu *Sant*, nomen frequens in Veteri et Medio Regno. — Non est per se absona sententia *Hier.*, *Putiphare* h. l. eundem esse, qui 37, 36 dicebatur *Putiphar*, cum aulici frequenter sacerdotio fungerentur et potuerit Pharao eius praecise viri fi-

liam seligere, quo is Iosepho reconciliaretur. Tamen nominum diversa scriptio suggerit diversos intelligi viros. — *On* urbs perantiqua, sacra Atum deo solari, antiqua literarum sedes; eius templum omnium fere fuit florentissimum, quoad inde ab 18ª dynastia templum Amonis Thebaei divitiis et religione omnibus anteivit.

« *Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti* ». Recensitis honoribus viro collatis, auctor eius res publice gestas narrandas aggreditur; at, descripto primo inciso, sermonem interrumpit, ut viri inserat aetatem v. 46 : « *Triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis* », — dein illud incisum repetit : *et egressus est Ioseph a facie Pharaonis* « *et circuivit omnes regiones Aegypti* ». Nulla hic cernitur ratio duorum auctorum adstruendorum. *Vat.* : « A facie regis egredi, est accepto mandato regis ad perficiendum illud egredi », quod confirmant sequentia. v. 47 « *Venitque fertilitas septem annorum, [et] in manipulos [redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti]* ». לקמוצים in manus plenas seu, quia in manibus tandem manipuli colligebantur, in manipulos plenos : « uberrime » (*Calm.*). v. 48 « *Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est* ». Distinctius *Hebr.* : *Et collegit omne frumentum septem annorum, qui fuere in terra Aegypti, et collocavit frumentum in urbibus; frumentum campi cuiusque urbis, qui erat circa illam, posuit in medio illius.* v. 49 « *Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur et copia mensuram excederet* ». *Hebr.* : *donec cessavit numerare, quia omnem numerum excedebat.* Inaudita plane in Aegypto res, ubi minima quaeque a scribis numerari et describi consueverant!

Ante *annum*, primum utique (*Del.*), *famis* aliud etiam praeter collectas segetes locum habuit, ideoque h. l. recensendum venit, filiorum ortus. v. 50 « *Nati sunt autem Ioseph filii duo, antequam veniret fames; quos peperit ei Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos* ». v. 51 « *Vocavitque nomen primogeniti Manasses, dicens : Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei* ». Nomen exprimit gratiarum actionem pro accepto beneficio (*Proc.*) : doluerat Ioseph de laboribus, qui innocenti fuerant subeundi, doluerat se praecisum esse a cari parentis domo, sed dolorem omnem compescuit concessa ei in filio propria domus. v. 52 « *Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens : Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae* ». Belle in *secundo* incrementum celebratur : qui nudus et servus regionem fuerat ingressus, iam in opulenta domo secundum cernit natum.

v. 53 « *Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Aegypto* », v. 54 « *coeperunt* » — adverte lusum verborum inter

ותכלינה et ותחלינה — « *venire septem anni inopiae, quos praedixerat Ioseph; et in universo orbe fames praevaluit, in cuncta autem terra Aegypti panis erat* » in granariis reconditus. Optimus nexus haec inter et immediate sequentia (c. *Dillm.*) : quia sc. panis adhuc retinebatur in granariis, etiam terra Aegypti coepit fame angi. v. 55 « *Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit : Ite ad Ioseph et, quidquid ipse vobis dixerit, facite* ». v. 56 « *Crescebat autem quotidie fames in omni terra* ». Intelligi h. l. potest *terra* esse terra Aegypti, ut incipiente fame frumentum manserit in granariis, ea autem crescente sit venditum; aut regiones reliquae, ut in his crescente fame, Aegyptiis Ioseph de annona providerit. « *Aperuitque Ioseph universa horrea et vendebat Aegyptiis; nam et illos oppresserat fames* ». Clarius *Hebr. : et invaluit fames in terra Aegypti;* quanto diutius protrahebatur, tanto gravius sentiebatur. v. 57 « *Omnesque provinciae veniebant in Aegyptum, ut emerent escas et malum inopiae temperarent* ». *Hebr. : quoniam invalescebat fames in universa terra*, in aliis etiam regionibus finitimis.

6. *Filiorum Iacob in Aegyptum iter prius* Gen. 42.

Cap. XLII v. 1 « *Audiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filiis suis : Quare negligitis?* » Quare invicem incerti adspicitis (תתראו; sed *Sam.* תתיראו a ירא)? Ad quam interrogationem ubi nullum responsum nanciscitur Iacob, v. 2 aliud effatum introducitur repetita voce ויאמר, quae nequaquam abundat (c. *Dillm.*). Eam quidem ignorant *LXX Vulg. Syr.* — v. 2 « *Audivi, quod triticum venumdetur in Aegypto : descendite et emite nobis necessaria, ut possimus vivere et non consumamur* [*inopia*] ». Pro בושם videtur *LXX* mendose legisse מועט, et fortasse item *Vulg.* (*necessaria*). v. 3 « *Descendentes igitur fratres Ioseph decem, ut emerent frumenta in Aegypto* », v. 4 « *Beniamin domi retento a Iacob, qui dixerat fratribus eius : Ne forte in itinere quidquam patiatur mali* »; v. 5 « *ingressi sunt terram Aegypti cum aliis, qui pergebant* [*ad emendum*]. *Erat autem fames in terra Chanaan* ». Ingressi sunt *in medio euntium*, nullum specialem exspectantes favorem, sola fame compulsi et hinc, quod nonnisi a Ioseph principe frumenta coemi possent, in eius praesentiam inscii pervenere. v. 6 « *Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur* ».

« *Cumque adorassent eum fratres sui* », — « ecce impletur somnium Ioseph » (*Est.*) — v. 7 « *et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos : Unde venistis?* » ויתנכר *et fixe intuitus*

est, quod quandoque faciunt qui invicem agnoscunt (cf. Prov. 20,11), quandoque ii qui peregrini reputari cupiunt. « *Qui responderunt : De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria* ». v. 8 « *Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis* ». v. 9 « *Recordatusque somniorum, quae aliquando viderat* », eaque recordatione divinae commonefactus providentiae et in fratres utique demulsus animo, simulata severitate « *ait ad eos : Exploratores estis ; ut videatis infirmiora terrae, venistis* ». « Hoc crimen impingit, ut adigat illos sibi de statu, in quo pater versaretur, et quod de Beniamino fratre uterino actum, vera narrare » (*Menoch.*). Accusationem refellunt statuto adventus fine v. 10 : « *Qui dixerunt : Non est ita, domine, sed servi tui venerunt, ut emerent cibos* ». Addunt aliqua familiam spectantia : exploratores genus hominum sunt collecticium, non consuevere decem fratres una procedere exploratum (*Tost.*). v. 11 « *Omnes filii unius viri sumus, pacifici* », seu verius *sinceri*, « *venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali* ». Simpliciter *Hebr. : non sunt servi tui exploratores.* Asserta haec sunt, quibus Ioseph se non credere affirmat. v. 12 « *Quibus ille respondit : Aliter est, immunita terrae huius considerare venistis* ». Aliud sinceritatis argumentum miselli non habent, nisi ut asserta repetant et magis etiam explicent. v. 13 « *At illi : Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan. Minimus cum patre nostro est, alius non est super* ». *Ps. Ion.* et *Targ. Hier. :* « unus exiit a nobis, neque scimus, quem finem sumpserit ». v. 14 « *Hoc est, ait, quod locutus sum : exploratores estis* ». « Haec omnia avertendae de vobis suspicioni minime apud me valent ; tamdiu ergo vos tamquam exploratores habebo, donec eorum, quae asseritis, certa exhibeatis argumenta » (*Calm.*). v. 15 « *Iam nunc experimentum vestri capiam : per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus* ». Beniamin accersit, non ut discat, an illi etiam iniuriam inflixerint (*Theodoret.*), sed quia fratris uterini conspiciendi desiderio flagrat. v. 16 « *Mittite ex vobis unum, et adducat eum ; vos autem eritis in vinculis, donec probentur quae dixistis, utrum vera* [*an falsa*] *sint. Alioquin, per salutem Pharaonis, exploratores estis* », et ut huius sceleris convicti puniemini. v. 17 « *Tradidit ergo illos custodiae tribus diebus* ».

v. 18 « *Die autem tertio eductis de carcere ait : Facite, quae dixi, et vivetis* ». זאת non est vertendum *quae dixi*, sed *quae dico :* mitigat quippe iam sententiam Ioseph triduo ante latam, cum novem tum carcere detinendos suggessisset, unum nunc detineat. Mitigat, quia unus ferendae domum sufficientis frumenti copiae impar omnino erat (*Tost.*), sed magis ex amore ratus, se in fratres triduo ante severius

egisse. « *Deum enim timeo* », neque iniuste vos tractabo (*Gord.*), si experimento vestram demonstraveritis innocentiam. Vel etiam : stabo promissis, vere parcam et libertati restituam. v. 19 « *Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere ; vos autem abite et ferte frumenta, quae emistis, in domos vestras* ». *Hebr. : frumentum famis domuum vestrarum*, i. e. pro fame, quantum ad hanc arcendam vestris familiis opus est (*Kn.*). v. 20 « *Et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt, ut dixerat* », v. 21 « *et locuti sunt ad invicem* »: — Proposito assentiti, conferebant inter se, quis remaneret in vinculis, hoc enim ipsis v. 19 Ioseph determinandum permiserat; simul conscientia admissi quondam in fratrem sceleris acti sequentem intermiscebant sermonem — « *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam* » — eadem vox, quae statim vertitur *tribulatio* — « *animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus : idcirco venit super nos ista tribulatio* ». « Hanc vim habet tribulatio, ut caecos alias peccatoris oculos aperiat » (*Bonfr.*). « Cogita, quam grave sit a conscientia accusari, et eum accusatorem perpetuo habere instantem, clamantem et scelus in memoriam revocantem » (*Chrys.*). v. 22 « *E quibus unus Ruben ait :* » — *Hebr. respondit*, non solatii quid afferens, sed culpam exaggerans, quod spreto monitore in eam ruerint — « *Numquid non dixi vobis : Nolite peccare in puerum? et non audistis me. En sanguis eius exquiritur* ». Cf. 37,22. Voluerat morti eripere fratrem, et forte mortuum reputabat. v. 23 « *Nesciebant autem, quod intelligeret Ioseph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos* ». Interpres vero tum non proxime adstabat. v. 24 « *Avertitque se parumper et flevit* », fratrum commotus poenitentia, « *et reversus locutus est ad eos* ». Qua de re? Sane, quemnam vellent in vinculis relinquere. Ipsi vero, praetermisso Ruben, quod primogenitus esset et minus ceteris in fatrem peccasset, Simeonem designaverunt. Putat *Del.*, ipsum Ioseph designasse Simeonem, praetermisso Ruben, qui se conatus esset servare. v. 25 « *Tollensque Simeon et ligans illis praesentibus, iussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam. Qui fecerunt ita* ».

Pro *sacco* v. 25 vox generalior כלי adhibetur, itemque vox שק, quae repetitur semel v. 27 et bis v. 35. Sed v. 27 eadem copulatur voci evidenter synonymae אמתחת, quae etiam habetur v. 28 et continuo cap. 43 sq., secus vero in scriptura nunquam. Sitne ea semitica an forte aegyptiaca, ignoramus. An ergo duos adstruemus scriptores? Id sane facere non cogimur. Habuerit traditio primum vocem אמתחת; quae ubi postmodum obsoleverit desieritque intelligi, substituerit aliquis initio nar-

rationis v. 25. 27. 35 vocem notissimam שק. Sunt textus mutationes, quae etiam post absolutam librorum sacrorum « compositionem » effectae sunt.

v. 26 « *At illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt* ». v. 27 « *Apertoque unus sacco, ut daret iumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi* », v. 28 « *dixit fratribus suis : Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique* », « veriti sc. insidias sibi strui » (*Menoch.*), « *mutuo dixerunt : Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* » Per se patet, etiam reliquos mox pecuniam in saccis reperisse, praesertim quod singuli debuerint pabulum dare iumentis; id explicite affirmatur 43, 21. Perperam igitur *Dillm.* affirmat, « id h. l. suppressum ab R ob rationes harmonisticas ». Cf. ad v. 35 dicenda. v. 29 « *Veneruntque ad Iacob patrem suum in terram Chanaan et narraverunt ei omnia, quae accidissent sibi, dicentes* » : v. 30 « *Locutus est nobis dominus terrae dure et putavit, nos exploratores esse provinciae* ». v. 31 « *Cui respondimus : Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias* ». v. 32 « *Duodecim fratres uno patre geniti sumus, unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan* ». v. 33 « *Qui ait nobis : Sic probabo, quod pacifici sitis : fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite* »; v. 34 « *fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores, et istum, [qui tenetur in vinculis,] recipere possitis ac deinceps, quae vultis, emendi habeatis licentiam* ». *Hebr.* simpliciter *et terram ematis :* quando mihi satisfeceritis, emite quantumcunque placuerit. v. 35 « *His dictis, cum frumenta effunderent, singuli [repererunt] in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisque simul omnibus* », —

Vulg. reapse contradicere videtur dictis v. 28 cum 43, 21 collatis : ibi iam in diversorio, hic nonnisi apud patrem videntur pecuniam primum deprehendisse. Unde varia varii suggessere effugia. *Tost.* putat, rem aut ibi per anticipationem, aut hic per recapitulationem narrari. *Menoch.* censet, filios coram patre simulasse se esse ignaros pecuniae in saccos repositae. *Calm.* suggerit, aliquam quidem pecuniae partem, non vero omnem pecuniam iam in diversorio esse repertam. Difficultas evanescit, si *Hebr.* consulatur : *et factum est, cum ipsi aperirent saccos, ecce unusquisque argenti ligaturam (habebat) in sacco, et viderunt ligaturas pecuniae ipsi et pater eorum, et timuerunt.* Non dicuntur *reperisse*, non prima vice vidisse aut timuisse. Dices, debuisse illos patri narrare, quod in diversorio acciderit. Narraverint : sed non debuit s. auctor, quidquid narraverunt, totidem verbis describere. Inducit referentes patri verba (v. 30-34), quae in Aegypto fuerant dicta; non oportuit induci referentes in diversorio acta. — Ceterum patet ratio, cur ea pecunia primum a patre iterumque a filiis conspecta admirationem moverit et timorem. Pecunia sc. una cum frumento conspecta plenissime corroborabat filiorum narrationem, et hinc Simeonis et etiam

Benjamini discrimen, movebatque suspicionem, ne ob eam pecuniam incommodum aliquando nescio quod accideret.

v. 36 « *dixit pater Iacob : Absque liberis me esse fecistis : Ioseph non est super, Simeon* [*tenetur in vinculis*], *et Beniamin auferetis. In me haec omnia mala reciderunt* ». «Solus omnia luo, qui sic in liberis discerpor » (*Menoch.*). v. 37 « *Cui respondit Ruben* » natu maximus, ad quem videbatur spectare cura de fratre natu minimo : « *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi; trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam* ». 46,9 quatuor recensentur Rubeni filii, unde quaeri potest, utrum duo ibi per anticipationem recenseantur, qui reapse nonnisi post ingressum in Aegyptum nati sint, an sensus nostri versus is sit, Rubenum pro uno Beniamin duos e suis quatuor offerre filios (*Tost.*). Est modus loquendi vehemens, quo exprimit, quam certus ipse sit de salute Beniamin (*Bonfr.*). Unde haec certitudo? E fide in Dei providentiam et Iosephi promissionem iuramento firmatam. v. 38 « *At ille : Non descendet, inquit, filius meus vobiscum. Frater eius mortuus est, et ipse solus remansit : si quid ei adversi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos* », « me iam decrepitum » (*Menoch.*), « *cum dolore ad inferos* » : prae dolore moriar.

7. *Filiorum Iacob in Aegyptum iter secundum* Gen. 43.

Magnam inter cap. 43 sq. et cap. 42 critici moderni deprehendunt pugnam, duorum documentorum compactorum indicem. Et primum quidem unica ratio adducendi in Aegyptum Beniamin 42,20. 34 ea profertur, ut demonstrent fratres se non esse speculatores; 43,3. 5 et 44,26 e contra effatum Ioseph eos non debere redire nisi Beniamino comite. Respondeo, hoc alterum e priore evidenter consequebatur; vere igitur prius dicta hac etiam formula renuntiari poterant, maxime cum fratres illud spectarent, non tam ut Iosephi dicta verbotenus referrent, quam ut Iacobo persuaderent sine Beniamino reditum ne cogitari quidem posse. Neque inde falsitatis convincitur s. traditio, si cap. 42 deprehendatur compendio solum verba Ioseph retulisse, aliis quibusdam cap. 43 sq. suppletis. — E 42,13. 32 credideris fratres non rogatos de patre et Beniamino sermonem intulisse coram Ioseph, dum 43,7 et 44,19 sq. affirment se a Ioseph de iisdem esse interrogatos. Potuit utrumque verum esse, neque facile post Iacobi 43,6 anxie dictum fassuri erant fratres se de Beniamino primos sermonem intulisse. An iidem filii, qui 37,31 sqq. patrem misere deceperant, credendi sunt cap. 43 ab innocenti reticentia fore temperaturi? — 44,22 sq. com-

plet 42,13. 32 dicta. Quodsi eadem in rebus arctissimis parumper et sine ullo mendacio exaggeraverint ad Iosephi animum commovendum, quis stomachetur? — De pugna, quam exsistere putant inter 42,27; 43,21 et inter 42,35, diximus ad 42,35. — Quae dubiola omnia non scriptorum diversitatem demonstrant, sed narrationis unitatem et veritatem.

Cap. XLIII. Iacobi in Beniaminum prae fratribus ceteris amorem inde intelligas, quod de Beniamino, quo Simeon redimeretur, in Aegyptum mittendo ne cogitasse quidem videatur pater : extrema tandem compulsus fame misit. v. 1 « *Interim fames omnem terram vehementer premebat* », v. 2 « *consumptisque cibis, quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos : Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum* », « quod huius anni inediae depellendae sufficiat : nesciebat adhuc quinquennium superesse » (*Menoch.*). Respondet autem non Ruben primogenitus, patri ob incestum invisus, sed Iuda. v. 3 « *Respondit Iudas : Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi, dicens : Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum* [*minimum*] *adduxeritis vobiscum* ». v. 4 « *Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter et ememus tibi necessaria* » ; v. 5 « *sin autem non vis, non ibimus. Vir enim,* [*ut saepe diximus,*] *denuntiavit nobis dicens : Non videbitis faciem meam absque fratre vestro* [*minimo*] ». v. 6 « *Dixit eis Israel : In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei, et alium habere vos fratrem* ». Non affirmat intentionem inferendae iniuriae, sed effectum ; simul tamen conqueritur, eos id prodidisse, quod facili ope reticere poterant. A quo crimine se defendunt v. 7 : « *At illi responderunt : Interrogavit nos homo* [*per ordinem*] *nostram progeniem* », — *Hebr. : de nobis et de nostra progenie* — « *si pater viveret, si haberemus fratrem : et nos respondimus ei* [*consequenter*] *iuxta id, quod fuerat sciscitatus. Numquid scire poteramus, quod dicturus esset : Adducite fratrem vestrum vobiscum?* » Eos dicta referre ea ratione, qua ipsi facilius excusentur, reapse humanum est. Neque necesse est supponere, cap. 42 omnes quaestiones referri verbatim : quae ibi dicuntur, legitime complentur cum ex 44,19 sq., tum ex nostro versu. Cf. *Tost.*

v. 8 « *Iudas quoque dixit patri suo : Mitte puerum mecum, ut proficiscamur et possimus vivere ; ne moriamur nos et parvuli nostri* ». *Hebr. : et nos et tu et parvuli nostri ;* et in illo *nos* includitur ipse Beniamin. « Commiseratio, quam exhibes puero, nobis omnibus erit causa interitus » (*Chrys.*). Quo tandem argumento vincitur Iacob. v. 9 « *Ego suscipio puerum* », *Hebr. : pro puero vadem me constituo*, « *de manu mea require illum : nisi reduxero et reddidero eum tibi, ero*

peccati reus in te omni tempore », et hinc etiam paratus ad quamlibet poenam acceptandam (*Tost.*) : quae poena imprimis potuit constare denegata haereditate et paterna benedictione, ut Iuda plus reapse offerat quam 42,37 Ruben. v. 10 « *Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus* ». v. 8 illud urgebat Iuda, ut puer mitteretur; v. 10, ut sine mora mittatur.

Ubi Iacob intellexit Beniaminum necessario esse mittendum, illico ut id fiat urget et rationem excogitat, qua vir Aegyptius demulceatur atque iter periculo vacet. Muneribus ipse quondam 32,17 Esau fratrem placaverat (*Tost.*) : ea nunc suggerit et quidem, ut patet, de fructibus terrae : utrum זמרה reapse electitia significet, an mere fructus, ambigi potest; sed enumeratio docet, reapse *optima* regionis intelligi. Non seliguntur fruges, quod eae tempore famis deficerent; non greges, qui forte ob sterilitatem etiam languescebant; sed pretiosiora quaedam, quae et exiguo humore maturescant et, magnum pretium cum habeant, etiam in exigua mole, facilius et citius comportari queant. v. 11 « *Igitur Israel pater eorum dixit ad eos : Si sic necesse est, facite quod vultis. Sumite de optimis terrae fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera : modicum resinae et mellis et storacis, stactes et terebinthi et amygdalarum* ».

De *resina*, *storace*, *stacte* cf. 37, 25. *Mel* suggerit *Kn.* non intelligi apum, sed syrupum quemdam ex uvis decoctum : Aegyptum abundasse melle, non autem vineis. At monumenta vix quidquam de melle Aegyptiorum produnt, plurima de vineis et vino. Dein volebat Iacob de lectis fructibus terrae dona dare : ad lectos Chanaanitidis fructus certe pertinet mel, non ita certe syrupus ille, pro quo nescio quo iure appellatur ad Ez. 27, 17. — Ἄπαξ λεγόμενον בטנה, assyrice *butnu*. videtur designare *pistaciam*. *Vulg.* *LXX* fortasse vocem confudere cum בטם, quo chaldaice et syriace *terebinthus* exprimitur. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* suggerunt, nomine *pistaciarum* et *amygdalarum* h. l. intelligendum esse oleum ex iis nucibus expressum.

v. 12 « *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum : et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit* ». Duplicem scribi putat *Tost.*, quod coniiceret Iacob, fame invalescente pluris vendi frumentum; *Sa*, alterum membrum sumens explicative (« nempe etiam illam etc. », censet intelligi pecuniam pro frumento mox pendendam, et simul eam quae in saccis reperta fuerat. Crediderim id Iacob in mente habuisse, ut non solum filii paratos se protestarentur ad restituendam pecuniam in saccis repertam, sed simul pro frumento coemendo duplum offerrent pretium, quo certius Aegyptius demulceretur. v. 13 « *sed et fratrem vestrum tollite et ite ad virum* ». v. 14 « *Deus autem meus omnipotens* » — *LXX* ὁ θεός μου, reliqui אל שדי — « *faciat vobis eum placabilem, et remittat vobiscum fratrem ves-*

trum, quem tenet, et hunc Beniamin. Ego autem quasi orbatus absque liberis ero ». *Hebr.* : *et ego sicut orbatus sum, orbatus sum.* Cf. Esth. 4,16 : וכאשר אבדתי אבדתי, et sicut perii, perii. « Verba sunt viri se et rerum suarum eventum committentis voluntati Dei » (*Malv.*). Si Deus me orbandum decrevit, orber.

v. 15 « *Tulerunt ergo viri munera et pecuniam duplicem et Beniamin, descenderuntque in Aegyptum, et steterunt coram Ioseph* ». v. 16 « *Quos cum ille vidisset, et Beniamin simul, praecepit dispensatori domus suae dicens : Introduc viros domum, et occide victimas, et institue convivium, quoniam mecum sunt comesturi meridie* ». v. 17 « *Fecit ille, quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum* ». Cum se honorandos minime exspectarent post dura verba ante audita (*Kn.*), suspicati sunt fraudem, ut sc. in ipsos domi conclusos, praecisa fugae spe, *se devolveret et irrueret* vir Aegyptius. v. 18 « *Ibique exterriti dixerunt* [*mutuo*] : *Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, ut devolvat in nos* [*calumniam*], *et violenter subiiciat servituti et nos et asinos nostros* ». v. 19 « *Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus* », v. 20 « *locuti sunt : Oramus, domine*, [*ut audias nos*]. *Iam ante descendimus, ut emeremus escas* ». v. 21 « *Quibus emptis cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros et invenimus pecuniam in ore saccorum : quam nunc eodem pondere reportavimus* ». Secundum *Hebr.* iungendum : *pecuniam in pondere suo; quam reportamus manibus nostris.* v. 22 « *Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quae nobis necessaria sunt. Non est in nostra conscientia, quis posuerit eam in marsupiis nostris* ». Rem explicare et componere conantur, antequam vis illis inferatur. v. 23 « *At ille respondit : Pax vobiscum, nolite timere. Deus vester et Deus patris vestri dedit vobis thesauros* » — מטמון, unde « mammon » (*Malv.*) — « *in saccis vestris;* [*nam*] *pecuniam, quam dedistis mihi,* [*probatam*] *ego habeo* ». « Mendacium videtur » (*Aug.*). « Mendacium est : cum autem ex mandato Iosephi haec dixerit, uterque mendacii reus est » (*Calm.*). Tamen eum thesaurum mediate saltem a Deo fuisse, quis negaverit? et *argentum vestrum venit ad me* (*Hebr.*) verum est, venit enim, sed mox evanuit. « *Eduxitque ad eos Simeon* ». Quo facto et dispensatoris verbis eorum angustiae aliquantum alleviabantur. Quae omnia in foribus domus (v. 19) agebantur. v. 24 « *Et introductis domum attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum* ». v. 25 « *Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie; audierant enim, quod ibi comesturi essent panem* ».

v. 26 « *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei*

munera [tenentes] in manibus suis ». Illud *quae in manibus eorum* non dicit necessario plus, quam *quae habebant*. Ergo *Tost.* scribens : « praesentaverunt ista munera elevantes ea in manibus, quia sic mos erat », textum quidem premit nimis; tamen rem, uti ipse scribit, actam esse confirmant monumenta exhibentia series interminabiles virorum afferentium manibus munera Pharaonibus. « *Et adoraverunt proni in terram* ». v. 27 « *At ille, clementer resalutatis eis* », — *Hebr. : interrogavit eos de pace;* recte *LXX* ἠρώτησε δὲ αὐτούς· Ἰλῶς ἔχετε; cf. 1 Reg. 10,4. « Non loquebatur hic dure ad eos, sicut ante fecerat » (*Tost.*) — « *interrogavit eos dicens : Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit?* » Fingit se nihil de patre scire, nisi quae ipsi dixissent (*Tost.*). v. 28 « *Qui responderunt : Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati adoraverunt eum* ». Vel ipsi nobiliores Aegyptii, quando coram gubernatore comparebant, debebant illum prostratione salutare (*Erman* p. 132). v. 29 « *Attollens autem Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum uterinum, et ait : Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum : Deus, inquit, misereatur tui, fili mi* ». Demiserat oculos primum, ne conspecto fratre ad lacrymas adigeretur : at non poterat insalutatum dimittere eum, quem tam studiose accersivisset. Ergo allocutus est : sed alloquium civit lacrymas. v. 30 « *Festinavitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, et erumpebant lacrymae; et introiens cubiculum flevit* ». Cf. domorum aegyptiarum apud *Erman* p. 255 sqq. descriptiones, dormitorium exhibentes coenaculum proxime contingens. v. 31 « *Rursumque lota facie egressus continuit se et ait : Ponite panes* », i. e. cibos. v. 32 « *Quibus appositis, seorsum Ioseph et seorsum fratribus, Aegyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis, et profanum putant huiusmodi convivium)* », v. 33 « *sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, et minimus iuxta aetatem suam. Et mirabantur nimis* », v. 34 « *sumptis partibus, quas ab eo acceperant, maiorque pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet* », erat *quintupla* (*LXX*). Cf. 1 Reg. 9,23 sq. Hospitibus honoratioribus tribuebatur portio amplior et opimior. « *Biberuntque et inebriati sunt cum eo* », i. e. hilares facti sunt.

Videtur Ioseph propter eminentem dignitatem seorsim a reliquis Aegyptiis comedisse, non quod ad ordinem sacerdotalem pertineret (*Kn.*), nam ducens 41, 45 sacerdotis filiam non efficiebatur sacerdos ipse. Quam alte Aegyptii de se ipsis quamque abjecte de gentibus exteris senserint, ex auctoribus classicis et e monumentis compertum habemus. In epulis videntur adhibuisse mensas parvas et humiles, quibus duo ad summum accumbere vel assidere possent. — *Hebr. : et mirabantur homines*

unusquisque ad proximum suum : et sustulerunt servi *portiones de ante ipsum ad illos.* Ambigi potest, quinam dicantur esse mirati, servi an fratres : parum tamen refert, cum re mirati sint utique tam servi quam fratres. — Advertit *Kn.*, etiam alias (41, 34; 45, 22; 47, 2. 24; Is. 19, 18), ubi de Aegyptiorum rebus agatur, efferri numerum *quinarium* : quantopere hoc coniecturae genus deceptioni pateat, perspicies, si textus illos contuleris.

8. *Ioseph a fratribus agnitus* Gen. 44 sq.

Cap. XLIV. Recte statuit *Chrys.*, sequens de fratribus experimentum sumpsisse Iosephum, quo fratrum in Beniaminum, fratrem suum uterinum, exploraret animum. v. 1 « *Praecepit autem Ioseph dispensatori domus suae dicens : Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, et pone pecuniam singulorum in summitate sacci* ». v. 2 « *Scyphum autem meum argenteum et pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris. Factumque est ita* ». Tanto maior ablati scyphi iniuria apparebit, quanto abundantior frumenti copia illis esset concessa (*Del.*).

LXX κόνδυ, quae vox e lingua persica petita designat *craterem* decem κοτύλας seu *scyphos* continentem. Unde censet *Ges.*, vocem hebraeam reapse craterem designare, vas amplius, e quo scyphi implebantur. Utrumque vas depictum habes *Ebers* p. 328 sq. Tamen v. 5 simpliciter dicitur Ioseph ex hoc scypho bibisse, ergo, uti videtur, immediate.

v. 3 « *Et orto mane dimissi sunt cum asinis suis* ». v. 4 « *Iamque urbem exierant et processerant paululum, tunc Ioseph accersito dispensatore domus : Surge, inquit, et persequere viros, et apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono?* » v. 5 « [*Scyphus, quem furati estis,*] *ipse est, in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet. Pessimam rem fecistis* ».

Quod h. l. dispensator, id v. 15 ipse Ioseph enuntiat forma interrogativa. נחשׁ certe significat *augurari*, et severissime condemnatur Lev. 19, 26; Deut. 18, 10 etc. Augurari e scypho pertinet ad hydromantiam. Aliquos accipe modos, quo id apud antiquos fiebat (*P. Scholz* : Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebräern, Regensburg 1877, p. 71) : vase aqua repleto, apparebant in aqua formae quaedam futura praesagientes; coniectae in aquam gemmae, aurum et argentum varias ibidem formas describebant. Ut patet, hoc Iosephi *augurium* interpretes torsit. *Aug.* ait, non serio; *Lamy* secundum vulgi de se opinionem locutum; *Tost.* mentitum esse; *Theodoret.* « sermonem effinxisse secundum subiectam materiam ». Cf. *Per.* Si mendacium in Iosepho admitti potest, cur non aeque superstitio aliqua? Interpretis non est, patriarchas mordicus ab omni labecula demonstrare immunes. Sed notanda *Grotii* solutio, agi posse de praesagiis divinitus immissis. Reapse si in V. T. pontifex potuit ope Urim et Thummim oracula edere, quod nunc non sine superstitione possit quis imitari, non video equidem, cur non potuerint esse in religione primitiva

ritus aliqui futurorum praesciendorum, a certis quibusdam viris legitime adhibendi Deoque tum probati, qui non nunc solum, sed vel lege mosaica abrogati sint, neque inde a Moyse sine inanis superstitionis nota potuerint adhiberi.

v. 6 « *Fecit ille, ut iusserat, et apprehensis per ordinem locutus est* ». v. 7 « *Qui responderunt : Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint?* » v. 8 « *Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan : et quomodo* [*consequens est, ut*] *furati simus de domo domini tui aurum vel argentum?* » « Hic arguunt satis fortiter dicendo, quod nullo modo possit contra ipsos praesumi, quod scyphum furati fuerint, quia ipsi exsistentes extra Aegyptum invenerunt pecuniam religatam in saccis suis, et ibi nullo modo timebant aliquem Aegyptium, sed ex bonitate sola conscientiae deportaverunt pecunias ipsi Ioseph » (*Tost.*). v. 9 « *Apud quemcunque fuerit inventum servorum tuorum*, [*quod quaeris*,] *moriatur, et nos erimus servi domini nostri* ». « Innocentes offerunt facile seipsos ad maiores poenas, si sontes inveniantur » (*Cai.*). v. 10 « *Qui dixit eis : Fiat iuxta vestram sententiam : apud quemcunque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii* », omni culpa et poena liberi. Hoc additum, ut experimento postea constaret, vellentne ipsi, Beniamino in vinculis relicto, se ipsos salvare. Specie tenus dispensator fratrum sententiae accedit, at priorem partem mitigat a morte ad servitutem, alteram a servitute ad libertatem (*Tost.*). v. 11 « *Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli* », tantum sua fisi innocentia, ut ne exspectarent quidem, ut dispensator aperiret (*Tost.*). Belle describit *Ephr.* dispensatorem, quo plures nullo effectu examinasset saccos, eo magis visum esse animo deiici, et a fratribus passum esse se amicis verbis confortari; finxisse etiam se Beniamini saccum praetermissurum, sed a iuvene ut inspiceret esse exoratum. v. 12 « *Quos scrutatus, incipiens a maiore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Beniamin* ». 13 « *At illi, scissis vestibus oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum* », « nihil Beniamin improperantes, parati vel veniam impetrare vel simul servitutem subire » (*Menoch.*).

v. 14 « [*Primusque*] *Iudas* », « promissi, quo se patri obstrinxerat, non immemor » (*Menoch.*), « *cum fratribus ingressus est ad Ioseph, necdum enim de loco abierat; omnesque ante eum pariter in terram corruerunt* ». v. 15 « *Quibus ille ait : Cur sic agere voluistis? An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* » *Hebr. : quod auguratione auguratur vir sicut ego*, qui sit e numero sapientium Aegypti, cf. Is. 19, 11 (*Kn.*)? « An nescitis, quod principes viri, qualis ego sum, soleant facile augurari aut divinos consulere, ad recuperan-

das res amissas, et si quid perdiderint, facile iis artibus recipere? » (*Malv.*). v. 16 « *Cui Iudas : Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iuste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum* ». Iniquitas non intelligitur commissa quondam in Ioseph (*Est.*) sed ea, quam intelligere poterant Aegyptii audientes, iniquitas furto ablati scyphi (*Tost.*), « quod facti evidentia tam videbatur manifestum, ut nulla esset via elabendi. Porro ita Iudas loquitur, quod reipsa sibi persuaderet, a Beniamino id furtum admissum, vel certe, si ab eo admissum non esset, tam manifesta tamen esse criminis indicia, ut difficile esset illud a Beniamino amoliri » (*Bonfr.*). « *En omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus* ». v. 17 « *Respondit Ioseph : Absit a me, ut sic agam. Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi ad patrem vestrum* ».

v. 18 « *Accedens autem propius Iudas* [*confidenter*] *ait : Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo : tu es enim post Pharaonem* » v. 19 « *dominus meus* ». Sed reliqui textus omnes *quia sic tu sicut Pharao*, et sequentem vocem *domine mi* ad sequentem sententiam trahunt. Est captatio benevolentiae (*Cai.*), qua redditur ratio, cur tam humiliter Iuda audiri postulet. Porro sequentibus conatur Iuda persuadere, ut Beniamin liber dimittatur, ipse vero pro Beniamin in vinculis retineatur : « In qua ratione sic procedit, quod innocens non debet puniri; sed Iacob pater eorum in hac causa est innocens; ergo non debet puniri. Sed si teneretur Beniamin, puniretur Iacob » (*Tost.*). « *Interrogasti prius servos tuos : Habetis patrem aut fratrem?* » v. 20 « *Et nos respondimus tibi domino meo : Est nobis pater senex et puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cuius* [*uterinus*] *frater mortuus est, et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum* ». Omnia colligit, quibus Iosephi commiseratio excitetur, patrem senem, matrem et fratrem defunctum. v. 21 « *Dixistique servis tuis : Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum* ». v. 22 « *Suggessimus domino meo : Non potest puer relinquere patrem suum; si enim illum dimiserit, morietur* ». v. 23 « *Et dixisti servis tuis : Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam* ». Ostendit igitur unum, qui adducendi in Aegyptum Beniamini auctor fuerit, esse ipsum Ioseph, futurum item causam mortis Iacob, si is filio non revertente opprimatur luctu. v. 24 « *Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia, quae locutus est dominus meus* ». v. 25 « *Et dixit pater noster : Revertimini et emite nobis parum tritici* ». Abbreviat, quae 42,36 sqq. ; 43,6 Iacob acerbius contra iter Aegyptium

profatus erat. v. 26 « *Cui diximus : Ire non possumus. Si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur* [*simul*]*; alioquin, illo absente, non audemus videre faciem viri* ». v. 27 « *Ad quae ille respondit : Vos scitis, quod duos genuerit mihi uxor mea* ». v. 28 « *Egressus est unus, et dixistis : Bestia devoravit eum; et hucusque non comparet* ». Ergo semper foverat spem aliquam Iacob, compariturum rursum esse Ioseph. v. 29 « *Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum moerore ad inferos* ». Iam ad caput totum revocatur argumentum v. 30 : « *Igitur, si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit, cum anima illius ex huius anima pendeat* », vita e vita (*Menoch.*), *Hebr. : alligata sit*, « porro quae colligata sunt, unum sine altero tolli non potest » (*Bonfr.*, et cf. 1 Reg. 18,1), v. 31 « *videritque eum non esse nobiscum, morietur et deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos* », quod tu certe efficere nequaquam intendis. Nunc subdit rationes, cur aequum sit, ut loco Beniamin ipse Iuda remaneat. Prima est, quia pro puero se vadem patri constituit. v. 32 « [*Ego proprie servus tuus sim*], *qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens : Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore* ». v. 33 « *Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis* ». Altera manendi ratio est, quia nequit animum inducere, ut redeat v. 34 : « *Non enim possum redire ad patrem meum absente puero, ne calamitatis, quae oppressura est patrem meum, testis assistam* ».

Cap. XLV v. 1 « *Non se poterat ultra cohibere Ioseph multis coram adstantibus; unde praecepit, ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuae* ». *Hebr. : neque adstitit quisquam, dum agnosceret Ioseph fratres suos.* התאפק cf. 43,31 : solis his duobus locis de *se cohibendo* sermo est, ergo iis solis hoc verbum adhibetur. Nihil inde concludi potest, idemne loquatur auctor, an alius. v. 2 « *Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Aegyptii* » de domo Ioseph, « [*omnisque*] *domus Pharaonis* », aliis narrantibus (*Tost.*). v. 3 « *Et dixit fratribus suis : Ego sum Ioseph : adhuc pater meus vivit?* » Quam quaestionem censet *Dillm.*, post 43,27 sq. et 44,19-34 esse omnino superfluam. At liceat tandem auctori inspirato nonnihil minus ieiuno stilo uti, quam professori Berolinensi! Multo sapientiores *Kn.*, *Del.* affirmant, eam quaestionem ita totam Iosephi mentem praeoccupasse, ut usque et usque redierit. « *Non poterant respondere fratres* [*nimio*] *terrore perterriti* », ob sceleris conscientiam et conspectum Ioseph (*Chrys.*). v. 4 « *Ad quos ille* [*clementer*] : *Accedite, inquit, ad me* ». Animos addens (*Chrys.*) hoc dixit. « *Et cum accessissent prope :*

Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum ». v. 5 *Et nunc « nolite pavere neque vobis durum esse videatur », Hebr. : nolite tristari neque vobis videatur debere vos irasci,* — invicem, suggerit *Est.*, culpam ab altero in alterum transferentes; melius *Tost.* ait excludi internam cuiusque tristitiam et indignationem — « *quod vendidistis me in his regionibus : pro salute enim vestra misit me Deus ante vos* [*in Aegyptum*] ». « Quam fraterna pietas, quam dulcis germanitas, ut etiam parricidale excusaret admissum, dicens divinae illud providentiae fuisse, non impietatis humanae : quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed a Domino missus sit ad vitam » (*Ambr.*). « Hoc enim proprium est divinae bonitatis et sapientiae, ut ipsis etiam malis bene utatur, convertendo ea ad rectitudinem alicuius ordinis » (*Per.*). v. 6 « *Biennium est enim, quod coepit fames esse in terra, et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti* ». v. 7 « *Praemisitque me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis* ». Longe solemnius *Hebr. : ad constituendum vobis residuum super terram, conservandam vitam vestram in salvationem magnam.* Quibus *Del.* monet praeludere Iosephum, qui typus sit messiae futuraeque humanae salutis, solemnibus illis prophetarum de שאירית et פליטה effatis. v. 8 *Et nunc « non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* ». « Vide, quomodo semel et iterum et tertio consolatur illos dicens, se non ipsis adscribere causam sui in Aegyptum adventus, sed Deum id fecisse, quo in hanc ipse veniret gloriam » (*Chrys.*). « *Qui fecit me* [*quasi*] *patrem Pharaonis, et dominum universae domus eius, ac principem in omni terra Aegypti* ».

אב לפרעה putavit *H. Brugsch* (L'Exode et les monuments égyptiens, p. 17 sq.) esse titulum *ab en pirâo*, quem ipse se putat reperisse, designantem supremum aulae Pharaonis magistratum. Cum אדון et משל sint voces hebr., verisimile est etiam אב vocem hebr. esse, non aegyptiacam; nisi forte defendas, illud aegyptiacum *ab* postea explicari per hebr. אדון et משל. Sacerdotes dicebantur « divi *patres* », aliqui pontifices titulum habuere « pontifices (uab) Pharaonis » (*Erman* p. 174. 391. 397) : ergo posset etiam h. l. intelligi *sacerdotium* aliquod Iosepho collatum, atque reapse plurimi aulici aegyptiaci titulo alicuius sacerdotii insigniebantur. Ita textus noster concipi potest triplicem Iosephi dignitatem exprimere : sacram, aulicam, politicam.

v. 9 « *Festinate et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei : Haec mandat filius tuus Ioseph : Deus fecit me dominum universae terrae Aegypti. Descende ad me, ne moreris* », v. 10 « *et habitabis in terra Gessen; erisque iuxta me tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuae et armenta tua, et universa quae possides* ».

Gessen erat ad orientem Nili, cum Hebraei eo pago excedentes flumen non traiecerint. *LXX* habent Γεσέμ Ἀραβίας, i. e. pagi (νόμος) Arabici, quem *Herod.* II. 158 describit situm ad orientem tractus, quem Delta dicimus, *Strabo* 17, 1, 21. 30 a Nilo ad Sinum Arabicum pertigisse. Pelusium, Heroopolis, Heliopolis ei tractui attribuebantur. Iam eius pagi caput apud graecos audiebat *Phakusa*, i. e. *pa-kos*, ubi *pa* est articulus. Monumenta vero caput pagi Arabici scribunt urbem, quae Nectanebi II aevo *Kes*, antiquiore tempore audiebat *Kesem* = Γεσέμ; eadem urbem sitam fuisse demonstrant medio inter Zagazig et Tel-el-Kebir itinere, loco qui audit Saft-el-Heuneh, in quo nomine videtur contineri nomen eius, qui pago Arabico praecerat, dei milviformis *Sept*, qui « dominus orientis » praedicabatur. Cf. *G. Ebers :* Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 488 sqq.; *E. Naville :* Goshen and the shrine of Saft-el-Heuneh, London 1887; *H. Brugsch :* Geographische Inschriften I. 32, 129. 140, Leipzig 1857.

v. 11 « *Ibique te pascam, adhuc enim quinque anni residui sunt famis, ne et tu pereas, et domus tua, et omnia quae possides* ». *Hebr. : ne ad egestatem redigaris.* Haec mandat, quibus permoveat Iacob, ut Chanaanitide patriarchis promissa egrediatur (*Tost.*). v. 12 « *En oculi vestri et oculi fratris mei Beniamin vident, quod os meum loquatur ad vos* ».

Interpretes haec fere dici putant, quo novum fratribus suppeditetur argumentum, eum reapse esse Ioseph : En videtis me loquentem ipsum, et quidem sine interprete et lingua hebraica (*Tost., Cai., etc.*); agnoscitis me praeterea ex oris conformatione (*Bonfr.*). Quibus *Malv.* : « frigidus sensus! » inquit. « Simplicius est : Quis crederet, quod me amplius visuri essetis et loquentem audituri? Ecce videtis me loquentem ». Sed nonne etiam hoc est frigidum? Versus inscritur mediis nuntiis ad patrem per fratres deferendis : ergo non fratribus suppetit argumentum, sed patri. Fratribus vel solis v. 4 verbis « Ego sum Ioseph, quem vendidistis » factum erat abunde satis; at pater sciscitari poterat, an, quem afferrent, nuntius, reapse a Ioseph esset profectus. Cui responsuri erant fratres, non agi de rebus incerto rumore ad ipsos delatis, sed Iosephum a se et oculis conspectum et auribus auditum esse.

v. 13 « *Nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quae vidistis in Aegypto; festinate et adducite eum ad me* ». Versum, quod idem dicat atque v. 9, *Dillm.* diverso tribuit auctori : sed quis miretur Iosephum illud, quod omnium maxime cordi haberet, inculcare bis? v. 14 « *Cumque amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, flevit, illo quoque similiter flente super collum eius* ». v. 15 « *Osculatusque est Ioseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos; post quae* [*ausi sunt*] *loqui ad eum* ».

v. 16 « *Auditumque est* [*et celebri sermone vulgatum*] *in aula regis : Venerunt fratres Ioseph* ». Rex Pastor Semitas opulentos libenter in inferiorem regionem recipiebat. Sane Ioseph v. 10 terram Gessen non promisisset, nisi scivisset Pharaonis mentem eam esse, ut ille tractus

colonis Semitis permitteretur. « *Et gavisus est Pharao atque* [*omnis*] *familia eius* ». v. 17 « *Dixitque ad Ioseph* », qui ingressus rem videtur exposuisse, unde non est cum *Kn.* mirandum, regem sponte in eadem devenire consilia, quae Ioseph ante maturasset, — « *ut imperaret fratribus suis dicens : Onerantes iumenta ite in terram Chanaan* », v. 18 « *et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et venite ad me : et ego dabo vobis omnia bona Aegypti* », non « optimam partem regionis » (*Vat.*), quod scribendum esset מיטב (47,6. 11), non טוב (*Kn.*), « *ut comedatis medullam terrae* ». v. 19 « *Praecipe etiam, ut tollant plaustra de terra Aegypti* [*ad subvectionem*] *parvulorum suorum ac coniugum, et* [*dicito*] *: Tollite patrem vestrum et properate* [*quantocyus venientes*] ». v. 20 « *Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Aegypti vestrae erunt* ». De supellectili ne sitis solliciti : « satis vasorum satisque supellectilis est in Aegypto » (*Vat.*).

חוס misereri, affectu moveri; hinc : nolite affectu moveri in supellectilem, sc. ut eam magni facientes vobiscum auferatis. — v. 19 ואתה צויתה, *et tu iussus es*, sapienter supplet *Syr. dicere fratribus tuis;* sed id minime in textu primitus legi necesse fuit, e genio quippe linguae hebr. eiusmodi facile subintelliguntur : tu iuberis (aliis dicere) : facite hoc. Tanto facilius id h. l. subintelligitur, quod eadem formula זאת עשו modo v. 17 sit adhibita. Pual verbi admirationem non facit cum per se, tum quod etiam Num. 36, 2 legatur. Ergo neque ulla textus correctione opus est, neque versus cum *Dillm.* alii scriptori assignandus.

v. 21 « *Feceruntque filii Israel, ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundum Pharaonis imperium, et cibaria in itinere* ». v. 22 « *Singulis quoque proferri iussit binas stolas; Beniamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque* » (cf. 43,34) « *stolis* [*optimis*] ». חלפות שבלת significat unam vestem exteriorem seu *stolam* (*Chald.*), quae *mutationes vestium* appellatur, quia frequentius veste interiore assumitur, deponitur, quae citra nudationem deponi nequit. Cf. quae diximus ad Iud. 14,12. v. 23 « *Tantumdem pecuniae et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex* [*omnibus*] *divitiis Aegypti, et totidem asinas, triticum in itinere panesque* » *et cibum patri eius* « *portantes* ».

Hebr. : et patri suo misit sicut hoc, κατὰ τὰ αὐτά, ubi *et* insertum habent *Vulg. LXX Syr.* — *decem asinos etc.* Et secundum lectionem copulam habentem sensus est, quem expressere *Vulg. LXX* (cf. Iud. 8, 8) : misit patri, quod mittebat Beniamino, trecentos argenteos et quinque stolas et praeterea decem asinos etc. Si copulam ignores, כזאת vertes *pariter* et sensus erit, non pecuniam neque stolas inter dona patri submissa recenseri, sed solos decem asinos etc. (cf. *Malv.*). Nullaene, quaeres, patri submissae vestes? Omnino, sed eae *divitiis Aegypti* accensentur, cum Aegyptii textura

excellerent, iidemque aurum e montibus extraherent variaque ex eo artefacta conficerent.

v. 24 « *Dimisit ergo fratres suos et proficiscentibus ait : Ne irascamini in via* ». רגז *commoveri*, e variis fit motivis. Hinc *Chrys.* : nolite irasci invicem accusantes. *Calm.* : nolite timere; sed monet *Kn.*, ubi undecim viri iter una faciant, non esse locum timori. *Malv.* : nolite nimia commotione et fastu incedere, tamquam gubernatoris Aegypti fratres. Melius fortasse *Del.* : nolite commoveri invidia ob Beniamin maiore honore habitum. Nam de Beniamin salute Ioseph se exhibet usque sollicitum. v. 25 « *Qui ascendentes ex Aegypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob* », v. 26 « *et nuntiaverunt ei dicentes : Ioseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Aegypti.* [*Quo audito Iacob*] *quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis* ». *Hebr.* : *et riguit cor eius, quia non credebat eis.* Quae narrabantur, fieri haud potuisse videbantur primum, tamen sopitum renovabant dolorem. v. 27 « *Illi contra referebant omnem ordinem rei* », non incertum referri rumorem, sed (cf. v. 12) oculis conspecta et auribus audita. « *Cumque vidisset plaustra et universa, quae miserat, revixit spiritus eius* », v. 28 « *et ait : Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit; vadam et videbo illum, antequam moriar* ».

9. *Iacob in Aegyptum adventus* Gen. 46 sq.

Cap. XLVI v. 1 « *Profectusque Israel cum omnibus, quae habebat, venit ad Puteum Iuramenti* », i. e. Bersabee, cum quod eo transiret via in Aegyptum (*Tost.*), tum quod esset locus apprime sacer (21,33 ; 26,23 sq.), ubi et pro acceptis beneficiis gratias agere (*Chrys.*) et Deum de itinere aegyptiaco consulere (*Tost.*) posset. « *Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac* », v. 2 « *audivit eum per visionem noctis vocantem se et dicentem sibi : Iacob, Iacob. Cui respondit : Ecce adsum* ». v. 3 « *Ait illi Deus : Ego sum fortissimus* », i. e. *El*, quod omittunt *LXX*, « *Deus patris tui* », qui huic tam mirabiliter adfui, etiam hoc ipso loco. « *Noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi* ».

Obiectum *timoris* distincte exprimit *Hebr.* : מורדה (*Cai.*). Cur autem formidaverit vir descensum in Aegyptum? Causam naturalem suggerit *Chrys.*, senectutis infirmitatem : tamen cum timorem fere excludunt generosa 45, 28 verba. Erat ratio supernaturalis, habiturusne esset in eo itinere Deum comitem (v. 4) et consentientem. Par erat, ut, sicut Abraham 12, 1 sqq. nonnisi Deo monente in Chanaanitiden immigraverat, ita nonnisi Deo consulto Iacob eadem excederet; idque tanto magis, quod 26, 1

Deus Isaaco dixerat : « Ne descendas in Aegyptum ». Potuit iter Deo nolente susceptum retardare multiplicationem semini promissam. Imprudenter descendebat, quamdiu non certus erat se etiam in Chanaanitiden esse reversurum, cum omnes tandem promissiones in Chanaanitide essent implendae. — Gens magna futuri patriarchae promittebantur 12, 2; 13, 16; 15, 18 sqq.; 17, 8; 18, 18; 22, 17; 26, 24; 28, 14; 35, 11. Iter aegyptiacum, tacito tamen nomine, adumbrabatur 15, 13.

v. 4 « *Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem* », « i. e. posteritatem tuam vel ossa tua » (*Sa*). Certe primarie omnino intelligitur posteritas : ossa a Ioseph in Chanaanitiden reportata esse nunquam scribuntur reducente Deo, dum constanter dicitur reduxisse populum de Aegypto (*Kn.*). « *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos* », morienti oculos claudet (*Tost.*), habebisque filium dilectum superstitem (*Vat.*). *Hebr. Chald.* יהוה. — v. 5 « *Surrexit autem Iacob a Puteo Iuramenti, tuleruntque eum filii cum parvulis et uxoribus suis in plaustris, quae miserat Pharao ad portandum senem* » v. 6 « *et omnia* », — *Hebr. : et pecora et possessionem* — « *quae possederat in terra Chanaan; venitque in Aegyptum cum omni semine suo* », v. 7 « *filii eius et nepotes, filiae* » *et filiorum* (non *filiarum LXX*) *filiae,* « *et cuncta simul progenies* ». Ergo plures, quam unam Dinam, filias habuit Iacob, quod etiam patet per se; plures item, quam unam v. 17 Saram neptes.

Hic iam auctor inserit elenchum *filiorum Israel*, qui ingressi sunt Aegyptum. Non recensentur *servi*. Non recensentur *mulieres :* v. 15 Dina inseritur e cap. 34 nota; v. 17 Sara ob rationem nobis ignotam, quae mulier sine dubio sua habuit fata non vulgaria, ubi conferas dicenda ad v. 20 secundum textum LXX; sed eius fata aut nunquam e traditione in scripturam transiere, aut e sacro textu recepto excidere. Eos, qui se agmini iunxerunt, *Iac. Edess.* coniicit fuisse multa millia. Recensentur *filii* ordine a *matribus* petito : primi filii Liae, et filii Zelphae ancillae Liae; postea filii Rachel, et filii Balae ancillae Rachel, cf. v. 18.25. Fortasse hoc ordine filii in itinere Aegyptiaco incedebant; 33,2, quando periculum timebatur ab Esau, ancillae praecedebant et post Liam sequebatur dilecta Rachel. — v. 8 « *Haec sunt autem nomina* » — non « generationes », non adscribitur nova aliqua Tholedoth — « *filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse cum liberis suis* ». *Hebr. : Iacob cum liberis suis.* Aliqui putavere, nomen *Iacob* connumerari inter 70 animas. At Ex. 1,5 « animae eorum, *qui egressi sunt de femore Iacob* », scribuntur fuisse 70. Nostrum h. l. incisum generali modo elenchum incipit : intra elenchum vero nomen naturale *Iacob* in locum subintrat nominis sacri *Israel*.

« *Primogenitus Ruben* ». v. 9 « *Filii Ruben : Henoch et Phallu et*

Hesron et Charmi ». v. 10 « *Filii Simeon : Iamuel et Iamin et Ahod et Iachin et Sohar et Saul, filius Chanaanitidis* ». E quo addito inferes, reliquos Simeonis filios e Chanaanitide non esse natos. Prudentior in re uxoria exstitit Simeon quam Iuda. Licebitne hinc inferre, reliquorum fratrum nullum Chanaanitiden duxisse? v. 11 « *Filii Levi : Gerson et Caath et Merari* ». v. 12 « *Filii Iuda : Her et Onan et Sela et Phares et Zara. Mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan* ». A recensendis filiis ingressis Aegyptum delabitur auctor ad recensendos ante ingressum natos, quod non est plane idem; sed illico se corrigit. Adverte, Phares et Zaram extensione aliqua legis leviratus reputatos esse Her et Onan filios : ergo erat aliqua ratio, etiam Her et Onan elencho inserendorum. « *Natique sunt filii Phares : Hesron et Hamul* ». v. 13 « *Filii Issachar : Thola et Phua et Iob et Semron* ». v. 14 « *Filii Zabulon : Sared et Elon et Iahelel* ». v. 15 « *Hi filii Liae, quos genuit in Mesopotamia Syriae cum Dina filia sua. Omnes animae filiorum eius et filiarum triginta tres* ». Vox *filiarum* mendose irrepsit, nam sunt nomina triginta tria, dempta Dina.

חנוך cf. Num. 26, 5; Ex. 6, 14; 1 Par. 5, 3. Idem nomen habuit Cainita 4, 17; Sethita 5, 18; filius Madian 25, 4. — פלוא cf. Num. 26, 5; Ex. 6, 14; 1 Par. 5, 3. — חצרן : eum Rubenitam habes Num. 26, 6; Ex. 6, 14; 1 Par. 5, 3. Nomen est idem atque v. 12 filii Phares. — כרמי cf. Num. 26, 6; Ex. 6, 14; 1 Par. 4, 1; 5, 3. Idem nomen habet Iudaeus Ios. 7, 1. 18; 1 Par. 2, 7. — יכואל, ita etiam Ex. 6, 15. Sed Num. 26, 12; 1 Par. 4, 24 habent נבואל, quod nomen etiam habebat Rubenita Num. 26, 9. — יכין cf. Num. 26, 12; Ex. 6, 15; 1 Par. 4, 24. Nomen habebat Iudaeus 1 Par. 2, 27 et Levita 2 Esd. 8, 7. — אהד solum Ex. 6, 15 commemoratur. — יכין cf. Num. 26, 12; Ex. 6, 15; quod nomen fuit quorumdam sacerdotum 1 Par. 9, 10; 24, 17; 2 Esd. 11, 10. — צחר cf. Ex. 6, 15, et est nomen Hethitae Gen. 23, 8; 25, 9 et Iudaei 1 Par. 4, 7. Sed nostri Simeonitae nomen Num. 26, 13 et 1 Par. 4, 24 scribitur זרח, quod est nomen Gen. 38, 30; 46, 12 filii Iuda, 36, 13 alicuius Edomitae, 1 Par. 6, 6 levitae cuiusdam. — שאול cf. Num. 26, 13; Ex. 6, 15; 1 Par. 4, 24. Nomen primi regis Israel 1 Reg. 9, 2, regis Edomitae Gen. 36, 37, levitae 1 Par. 6, 24 (9). — חצרן et חמול cf. Num. 26, 21; 1 Par. 2, 9, et cf. supra v. 9. — תולע cf. Num. 26, 23; 1 Par. 7, 1. Nomen iudicis Iud. 10, 1. — פוה cf. Num. 26, 23, et פואה *Sam.* et 1 Par. 7, 1. Nomen cuiusdam Issacharitae Iud. 10, 1. — יוב legunt *Hebr. Vulg. Chald.*, איוב *Syr.*, Ἀσούμ *LXX*, ישוב *Sam.* et item Num. 26, 24 et 1 Par. 7, 1. Forma ישוב reapse videtur esse genuina, idemque nomen gerit levita quidam 1 Esd. 10, 29. — Ad שמרן cf. Num. 26, 24 et 1 Par. 7, 1; ad סרד, אלון, יחלאל cf. Num. 26, 26.

v. 16 « *Filii Gad : Sephion et Haggi et Suni et Esebon et Heri et Arodi et Areli* ». v. 17 « *Filii Aser : Iamne et Iesua et Iessui et Beria; Sara quoque soror eorum. Filii Beria : Heber et Melchiel* ». v. 18 « *Hi filii Zelphae, quam dedit Laban Liae filiae suae; et hos genuit Iacob, sedecim animas* ». Sunt quindecim tantum viri : sed consule infra dicenda.

צפיון; sed *Sam. LXX* צפין, et idem legitur Num. 26, 15; quo loco etiam reperies חגי et שוני. — אצבן; *Sam.* אצבעון; Num. 26, 16 אזבי. Nomen habet Beniaminita 1 Par. 7, 7. — Pro ערי (etiam Num. 26, 16) *Sam. Syr.* עדי. — Pro ארודי *Sam.* et Num. 26, 17 ארוד. — אראלי cf. Num. 26, 17. — ימנה cf. Num. 26, 44 et 1 Par. 7, 30; idem nomen habet levita 2 Par. 31, 14. — ישוה occurrit solum 1 Par. 7, 30; ישוי Num. 26, 44 et 1 Par. 7, 30, idemque nomen 1 Reg. 14, 49 est filio Saul. Nomina tam similia suspicionem faciunt, et reapse Num. 26, 44 apud *Sam.* utrumque nomen ad unum virum spectare deprehendis: לישוה כמשפחת הישוי. Sc. ישוי est patronymicum a ישוה derivatum, et illa duo nomina corruptione orta sunt ex uno. — ברועה cf. Num. 26, 44 et 1 Par. 7, 30. Nomen Ephraimitae 1 Par. 7, 23; Beniaminitae 1 Par. 8, 13; Iudaei 23, 10. — שרח cf. 1 Par. 7, 30 et Num. 26, 46. — חבר cf. Num. 26, 45 et 1 Par. 7, 31. Nomen Cinaei Iud. 4, 11 etc.; Beniaminitae 1 Par. 8, 17; Iudaei 4, 18. — מלכיאל cf. Num. 26, 45 et 1 Par. 7, 31.

v. 19 « *Filii Rachel uxoris Iacob : Ioseph et Beniamin* ». Huius uxoris nomen initio et fine, v. 19 et 22 adscribitur. v. 20 « *Natique sunt Ioseph filii in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos : Manasses et Ephraim* ». v. 21 « *Filii Beniamin : Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared* » v. 22 « *Hi filii Rachel, quos genuit Iacob; omnes animae quatuordecim* ». Numerus congruit.

בלע cf. Num. 26, 38 et 1 Par. 8, 1. Nomen regis Edom Gen. 36, 32; Beniaminitae 1 Par. 5, 8. — בכר cf. 1 Par. 7, 6. 8. Nomen filii Ephraim Num. 26, 35. Cur autem hoc nomen desideratur Num. 26, 38? Consule 1 Par. 8, 1, ubi idem nomen desideratur et Belae adscribitur « primogenitum suum ». Sc. facile pro ובכר scribi potuit בכרי. — אשבל cf. Num. 26, 38 et 1 Par. 8, 1. — גרא nomen apud Beniaminitas frequens Iud. 3, 15; 2 Reg. 16, 5; 1 Par. 8, 3. 7. — נעמן cf. Num. 26, 40 et 1 Par. 8, 4. 7. Nomen ducis Syrorum 4 Reg. 5, 1. — אחי, ubi *Sam.* אהום, videtur idem esse atque Num. 26, 38 אחירם. מפים sane idem est atque Num. 26, 39 שפופם, a quo familia שופם descendit. Ergo, cum ראש secus constanter reticeatur, videntur h. l. e duobus nominibus nata esse tria : ex אחירם et שפופם sc. אחי, ראש et מפים. — חפים = חופים Num. 26, 39. Nomen est Beniaminitarum 1 Par. 7, 12. 15. — ארד cf. Num. 26, 40.

v. 23 « *Filii Dan : Husim* ». v. 24 « *Filii Nephthali : Iasiel et Guni et Ieser et Sallem* ». v. 25 « *Hi filii Balae, quam dedit Laban Racheli filiae suae; et hos genuit Iacob, omnes animae septem* ». Numerus concordat.

השים cf. Num. 26, 42. Idem nomen est duobus Beniaminitis 1 Par. 7, 12 et 8, 8. 11. — יחצאל, גוני, יצר, שלם cf. Num. 26, 48 sq. et 1 Par. 7, 13. Nomen Guni habet etiam Danita 1 Par. 5, 15.

v. 26 « *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum et egressae sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum eius,*

sexaginta sex ». v. 27 « *Filii autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti animae duae. Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta* ». Cf. Deut. 10,22 : « In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum ». Cf. Ex. 1,5.

Iam in hoc elencho deprehenduntur difficultates quaedam non sane leves. Quarum princeps ea est, inter eos, qui una cum Iacob in Aegyptum ingressi sint, *recenseri viros plures, qui eo tempore certissime non erant inter vivos.* Primum Her et Onan. Neque dicas, auctorem se illico ipsum corrigere, monentem eos in Chanaan esse vita functos : eorum nihilominus nomina computat, quo summam 70 ingressorum efficiat. Sed hanc difficultatem supra expedire conati sumus. At gravior est difficultas. Beniamino, qui in tota narratione ut tenerae aetatis iuvenis describebatur, decem omnino attribui filios : quorum certe nullus, quo tempore ingressus est Iacob, natus erat. Neque credi potest iam tum duos exstitisse filios Phares, cuius nativitas cap. 38 ita actis Ioseph inserta legitur, ut sensus obvius utique is sit, eo circiter tempore natum esse Phares, quo Ioseph in Aegyptum divenditus sit. Nec quidquam interpretem iuverit hac in re a sensu obvio recedere, quamdiu insoluta perseveret filiorum Beniamin difficultas.

Offertur hic trita responsio, eos viros cum Iacob ingressos esse non ipsos, sed *in lumbis patrum.* Esto, alio in contextu eum loquendi modum tolerari posse : at minime hic, ubi summa ingressorum computanda venit. Vult nos auctor accuratum numerum eorum edocere, qui cum patriarcha Aegyptum ingressi sint, ut postea legentes ingentes numeros egressorum admiremur foecunditatem divina benedictione impertitam : cf. Ex. 1, 5 sqq. Ut includantur, qui in lumbis patrum ingressi sunt, auctoris argumento repugnat. Redditur etiam totum argumentum nugatorium : cur enim numerus ad 70 limitetur, cum aequo iure omnes omnium temporum Hebraei includi potuerint? Nonne ridicule insudaret auctor demonstrando, cum numerum 70, qui reapse totus esset arbitrarius, confici ex additis invicem 33 + 16 + 14 + 7, qui numeri et ipsi arbitrarii essent?

Auget difficultatem v. 15 asserens, illos 33 viros a Lia genitos esse *in Mesopotamia Syriae.* Sex filii utique ibi nati erant : at num item nepotes? 33, 2 sane describuntur filii circa matrem Chanaanitidem intrantem adunati tamquam liberi (יֹלֵד), non tamquam uxorati. An tum iam Simeon (46, 10) duxerat Chananaeam uxorem? Iudae filii omnes in Chanaanitide nati sunt; filii vero Phares certe non in Mesopotamia nati sunt. Dices iterum, natos esse in Mesopotamia *mediate*, immediate alibi. At, nonne ita etiam Moses et David dici poterunt nati esse in Mesopotamia? nonne numeri 33 et 70 inter nugas relegandi?

In tantis angustiis liceat interpreti inquirere, an textus immutatus, qualis a primo auctore scriptus est, ad nos descenderit. Ubi e *LXX* perspicitur, Iudaeos veteres nequaquam tanta in eiusmodi elenchos sacri textus reverentia esse actos, ut veriti sint vel consulto illum mutare. LXX quippe v. 20 hoc additamentum adiecere aut adiectum in suo hebraeo textu reperere : *Natique sunt filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra* (an haec forte est eadem, atque v. 17 Sara?), *Machir. Et Machir genuit Galaad. Filii autem Ephraim, fratris Manasse, Suthala et Thehen. Filii Suthala Eden*, i. e. Heran, cf. Num. 26, 36. Et v. 21 nomina ita divisa habet *LXX*, ut Beniamino tres solum concedantur filii, quinque e Bela nepotes, unus e Gera abnepos, suppresso Ophim. Correspondet his mutationibus v. 22 summa 18 pro 14. Sed non correspondet v. 27, filiorum Ioseph scribens non *animas duas*, sed *novem :* nam no-

mina v. 20, etiam computato nomine Ioseph, habent animas octo tantum. Difficultas solvitur e Num. 26, 35, ubi inter Suthala et Thehen habetur *Becher*, et ipse uti reliqui familiae caput; cuius nomen Gen. 46, 20 e textu LXX facillime excidere potuit, cum v. 21 habeatur homonymus filius Beniamin. Addito Becher habes v. 27 animas novem et 66 + 9 = 75, quam summam LXX citans Act. 7, 14 repetit S. Stephanus. Quare advertit *Aug.*, LXX interpretes « propter aliquam mysticam significationem quadam velut prophetica libertate (?) hunc numerum (70) complere voluisse ».

Quibus luce clarius demonstratum habes, textum LXX aliqua exhibere nomina textui sacro de industria addita. Quodsi in textu LXX concedi id impune possit, imo necessario debeat, nulla s. textus reverentia prohibemur, quominus in textu etiam hebraeo recepto similes additiones et fieri potuisse et fortasse factas esse adstruamus. Additi igitur fuerint filii Beniamin, filii Phares et alii aliqui. Quaeres, qua ratione induci homines potuerint ad ea nomina s. textui inserenda. Adverte omnia elenchi nomina, etiam ea quae LXX v. 20 sufficit, Num. 26 describi ut *principum familiarum* nomina; solos excipi Ahod, Bechor (Beniaminitam), Gera et Ared, qui tamen et ipsi fortasse familias procreavere postero tempore exstinguendas aut absorbendas. Plurium familiarum capitum nomina antiquitus in nostro elencho legebantur : unde reliquas familias titillabat ambitio, ut suorum quoque capitum nomina ibidem resplenderent. Id sensim sine sensu effectum est, suffectis iis nominibus in locum quorumdam aliorum, quae primitus ibi legebantur, sed iam non comparent. Etenim semper 70 numero fuisse nomina, concludo ex Ex. 1, 5 et Deut. 10, 22 : at fuere primitus fortasse plurium filiarum nomina, cuius rei vestigium v. 15 in voce *et filiarum* reperio, quae nunc sensu caret, cum v. 9-14 sola Dina recenseatur, neque ea in triginta tribus computetur. Eliminatis igitur filiabus successere familiarum capita.

Hac prima difficultate expedita, ad alteram progredimur. In numeris *duo deprehenduntur computi*, diversi inter se neque plane veri. Uterque summam 70 respicit. Quam prior v. 15. 18. 22. 25 supputat additis 33 + 16 + 14 + 7. At v. 16 sq. non habentur nomina virorum 16, sed 15. Dices Saram complere numerum : sed cur ea mulier in numero 16 includatur, cum altera mulier Dina v. 15 a numero 33 exsulet? Aliam propono solutionem. Auctor hebraeus ideo praecise scripsit numerum 16, quia volebat ad summam 70 pervenire : quae efficitur 33, 16, 14, 7, minime vero 33, 15, 14, 7 invicem additis. Neque magis in hoc falsitatis est arguendus, quam is, qui v. 26 sq. in altero computo demonstrat, 66 additis 3 efficere 70. Uti sc. hic dicitur 66 + 3 = circiter 70, quod est verissimum, ita ibi dicitur 33 + circiter 16 + 14 + 7 = 70, quod est item verissimum. Illud vero priorem computatorem latuit, Iesua et Iessui unicum esse nomen, et Echi, Ros et Mophim esse nomina non tria sed duo.

Alter computus primum secernit Ioseph, Manassen et Ephraim, qui ingressi sunt Aegyptum, sed *non cum* Iacob, a reliquis, qui *cum* Iacob possint dici esse ingressi. Neque Dinam recenset neque Saram. Tamen hic quoque lethali laborat defectu, ut Iesua et Iessui supponat esse diversos, et Echi, Ros et Mophim ignoret ad duo revocari nomina.

Neuter igitur computus est auctoris inspirati. Certe genuina remanet sola summa 70, quam Ex. 1, 5 et Deut. 10, 22 confirmant. Nomina plura sunt genuina, sed alia non pauca sunt suffectitia.

Ut tota haec computorum ratio clarius perspiciatur, subiicio nomina, quae ad computos adhibebantur, iis inclusis uncinis, quae debuerant omitti :

Ruben.	Henoch.	Phallu.	Hesron.	Charmi.	*Simeon.*
Iamuel.	Iamin.	Ahod.	Iachin.	Sohar.	Saul.

Levi.	Gerson.	Caath.	Merari.	*Iuda.*	Her.
Onan.	Sela.	Phares.	Zara.	Hesron.	Hamul.
Issachar.	Thola.	Phua.	Iob.	Semron.	*Zabulon.*
Sared.	Elon.	Iahelel.	**33.** *Gad.*	Sephion.	Haggi.
Suni.	Esebon.	Heri.	Aradi	Areli.	*Aser.*
Iamne.	Iesua.	[Iessui].	Beria.	Heber.	Melchiel. **15,** non **16.**
Beniamin.	Bela.	Bechor.	Asbel.	Gera.	Naaman.
Echi.	[Ros].	Mophim.	Ophim.	Ared. **11.**	*Dan.*
Husim.	*Nephthali.*	Iasiel.	Guni.	Ieser.	Sallem. **7.**

$33 + 15 + 11 + 7 = 66.$

Ad **11** adde Ioseph, Manasse, Ephraim, et habebis **14** v. 22.

Alia tandem commemoranda est difficultas recens nata. Pharao Thotmes III inter nomina civitatum subactarum recenset *Iacubara* et *Yosepara* seu, cum Aegyptii *r* scribant loco *l*, *Iacobel* et *Iosephel*, יעקב־אל et יסף־אל. Ergo, quo tempore omnes Hebraei, et quidem numero septuaginta, in Aegyptum transmigrasse scribuntur, remanserant in terra promissa integrae duae Hebraeorum tribus. Respondeas cum *M. Mueller* (Asien u. Europa p. 157 sqq.), nomina illa esse non *tribuum*, sed *locorum*, urbium sc. aut vicorum; non repugnare, Hebraeos aliquibus locis sua indidisse et reliquisse nomina.

v. 28 « *Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, ut nuntiaret ei* [*et occurreret*] *in Gessen* ». Iudas egerat cum Ioseph 44,14 sqq., patrique imprimis iam erat acceptus, tam fauste impletis quae de salute Beniamini promiserat.

להורת לפניו גשנה : hiphil verbi ירה, subintellecta voce ידו, sensum habet iaciendae seu extendendae manus, manu monstrandi, hinc *annuntiandi* (*Vulg.*); minus feliciter *Ps. Ion.* « ad indicandam coram eo viam, nam ad hoc minime oportuit *prae*mitti Iudam. Vox tamen secundum expositionem datam duplicem adhuc sensum admittit : ut Iuda nuntiaret ante faciem Iacobi Iosepho, vel ante faciem Ioseph. At ita ad rem usitatissimam exprimendam adhibetur expressio plane inusitata, neque explicatur vox גשנה, cum Ioseph tum nondum fuerit in Gessen (cf. v. 29). Melius secundum *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* : ut Ioseph nuntiaret, mandata circummitteret in terram Gessen ante faciem Iacob mox secuturi. *Sam. Syr.* legebant להראות, quod interpretatus est *Syr.* : *ut appareret coram eo*, coram Ioseph, utique ad nuntiandum patris adventum; infeliciter omnino *Wellh.* : « ut compareret coram Iacobo Ioseph »; ne patrem quidem decebat, principem Aegypti virum sic arcessere. *LXX* συναντῆσαι αὐτῷ, cum illico sequatur εἰς συνάντησιν = לקראת, placet revocare ad lectionem aliquam corruptam לקראות. Sed additur κατ' Ἡρῴων πόλιν. Suggerit *Lagarde* (Mittheilungen IV. 150 sqq., Goettingen 1891) verba esse alteram versionem vocum להורת לפניו corruptarum in להירו פליץ. Neque tamen repugnat Ioseph et Iacob reapse prope Heroopolim invicem occurrisse, quam monumenta demonstrant eandem esse atque Phithom Ex. 1, 11, in Wadi Tumilat, inter Ismailiam et Zagazig sitam. Eo reapse itinere Iacob Aegyptum ingredi debuit, cum Mare Rubrum multo longius tum ad aquilonem porrigeretur, ipseque lacus Timsah ad illud pertinuerit. Cf. *E. Naville* : The store-city of Pithom and the route of the Exodus, London 1885.

v. 29 « *Quo cum pervenisset, iuncto Ioseph curru suo, ascendit obviam patri suo* » Israel « *ad eundem locum, vidensque eum irruit super collum eius et inter amplexus flevit* ». v. 30 « *Dixitque pater ad Ioseph : Iam [laetus] moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo* ». v. 31 « *At ille locutus est ad fratres suos et ad [omnem] domum patris sui : Ascendam, et nuntiabo Pharaoni dicamque ei : Fratres mei et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me* »; v. 32 « *et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum ; pecora sua et armenta et omnia, quae habere potuerunt, adduxerunt secum* ». v. 33 « *Cumque vocaverit vos et dixerit : Quod est opus vestrum?* » v. 34 « *respondebitis : Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in praesens, et nos et patres nostri. Haec autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen ; quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium* ». Ita studebat Ioseph, ut suis assignaretur pagus alendis gregibus eximie aptus (*Chrys.*), non item agriculturae, quam maioris faciebant Aegyptii. Volebat suos a contaminatione Aegyptiorum segregatos servare (*Ephr.*). Erat is pagus propinquior terrae Chanaan (*Per.*), quo tandem aliquando redeundum erat filiis Israel.

Veteris Regni homines aut lecticis gestiebantur aut sellis asinorum dorsis impositis. Exeunte Medio Regno Aegyptiis primum innotuere *ssmt* seu *smsm*, i. e. equus = סוס, et *ʿagolt* (= עגלה) et *merkobt* (= מרכבה, quam vocem h. l. textus habet). Illa trahebatur a bobus et onera vehebat ; haec curruum assyrorum et graecorum similis, a duobus trahebatur equis, nobiliumque erat virorum pugnantium, iter facientium, in deserto venantium (*Erman* p. 249 sqq.). Hebraei ante Iosephum videntur equum ignorasse, nulla quippe in Genesi eius mentio habetur. E contra monumenta testantur, populos Syriae et Chanaanitidis equos adhibuisse, speciatim Hethaeos, qui praeter currus equites quoque habebant. Idem dicendum de Assyriis. Populi e contra a meridie et ad occidentem Aegyptiorum incolentes, Nubii, Nigritae et Libyes non norant equum. Cum igitur equus in Asia antiquitus videatur floruisse, ante Pastores in Aegypto videatur fuisse ignotus, Pastores ex Asia in Aegyptum immigraverint, censuere aliqui Pastores equum ex Asia in Aegyptum primos introduxisse. *F. Lenormant :* Civilisations I. 299 sqq., ubi auctor iam 1869 et 1870 scripta denuo publici iuris facit. Contra quem cf. *F. Chabas*, Antiquité p. 421 sqq. Sane currus et equorum v. 29 mentio confirmat, Iosephum post Pastorum immigrationem in Aegyptum venisse.

Omnium pecorum carissimi Aegyptiis erant boves, tamen oves quoque et capras possidebant : imo aries Amoni Thebaeo erat sacer. Cf. *Erman* p. 571. 586. Erat autem mos gregum quotannis ex universa Aegypto in paludes inferiores (Delta) minandorum. Pastores genus incultum, sordidum, intonsum ; casas arundineas incolebant. Ob haec despiciebantur, neque facile tota aliqua pastorum tribus intra ipsam Aegyptum admittenda erat, sed detinenda in tractibus inferioribus. Reges vero Pastores posteriores se moribus Aegyptiorum penitus conformaverant, et hinc ipsi etiam pastores adventitios interiore Aegypto excludebant ; admittebat vero Pharao tanto libentius in inferiorem regionis partem tribum Hebraeorum numerosam plurimosque greges habentem, cuius adventu suae res contra superioris regionis regulos aegre

alienum imperium ferentes firmabantur. — Cum e Chanaanitide in Aegyptum descendatur, Ioseph v. 29 patri obviam festinans recte dicitur *ascendere;* idem tamen e Gessen v. 31 ad Pharaonem rursus *ascendit*, sive quod regia concipiatur ut locus excelsus, sive quod regia urbs (Memphis?) reapse nonnihil altiori loco fuerit quam pagus Gessen.

Cap. XLVII v. 1 « *Ingressus ergo Ioseph nuntiavit Pharaoni dicens : Pater meus et fratres, oves eorum et armenta, et cuncta quae possident, venerunt de terra Chanaan, et ecce consistunt in terra Gessen* ». v. 2 « *Extremos quoque* » — מִקְצֵה cf. 19,4; Iud. 18,2 : de totalitate, ergo aliquos (*Vat.*); unde *LXX Syr.* vocem non verterunt. Certe non « extremos i. e. abiectiori adspectu, sc. ne Pharao milites faceret » (*Sa*) — « *fratrum suorum quinque viros constituit coram rege* », v. 3 « *quos ille interrogavit : Quid habetis operis?* » Semitae non ita raro in Aegyptum inferiorem descendebant, atque semper primum hanc quaestionem interrogabantur. Quam praesciens Ioseph fratres 46,33 sq. de responsione edocuerat. « *Responderunt : Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri* ». v. 4 « *Ad peregrinandum in terra tua venimus* », non ad perpetuo manendum (*Tost.*); « *quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan* », Aegyptus vero flumine et canalibus est irrigua (*Menoch.*); « *petimusque, ut esse nos iubeas servos tuos in terra Gessen* ». v. 5 « *Dixit itaque rex ad Ioseph : Pater tuus et fratres tui venerunt ad te* ». v. 6 « *Terra Aegypti in conspectu tuo est : in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen. Quodsi nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum* ». Ordinem sententiarum invertit *LXX*, fluitque planior narratio. Inter servos regis reperiebatur « praeses boum in universa regione » seu « praeses cornuum, ungularum et pennarum »; suum praeterea quaeque provincia habebat « praesidem boum ». *Erman* p. 142. 666.

v. 7 « [*Post haec*] *introduxit Ioseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo* ». Miratur *Dillm.*, patrem post filios introduci, et hinc diversum subodoratur narratorem. Nota, iam 46,31 Ioseph loqui ad *fratres*, non ad patrem, de *fratribus*, non de patre introducendis : dein narratio aequo pede procedens usque ad 47,6 narrat fratrum aliquos ad regem introductos. Quid mirum, continuam hanc narrationem non interrumpi interpositis, quae v. 7 sqq. subnectuntur? Quid mirum, si quinque fratribus illico ad regiam properantibus, pater senex in Gessen aliquamdiu vires resumpturus substiterit? « *Qui benedicens illi* » v. 8 « *et interrogatus ab eo : Quot sunt dies annorum vitae tuae?* » — Senem facile interrogamus aetatem (*Chrys.*) — v. 9 « *respondit : Dies peregrinationis meae centum triginta annorum*

sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt ». Laudatores temporis acti sunt senes. Abraham vixerat 175, Isaac 180, Iacob victurus erat omnino 147 annos (v. 28). Erant igitur eius dies *parvi*, i. e. pauciores. Fuerant iidem etiam *mali*, attentis quae ab Esau, Laban et filiis, non semper insons, passus erat Iacob. v. 10 « *Et benedicto rege egressus est foras* ». v. 11 « *Ioseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Aegypto, in optimo terrae loco Ramesses, ut praeceperat Pharao* ». Nomen pago ab urbe homonyma Ex. 1,11; erat idem pars regionis Gessen. v. 12 « *Et alebat eos omnemque domum patris sui, praebens cibaria singulis* ».

v. 13 « *In toto enim orbe panis deerat, et oppresserat fames terram* [*maxime*] *Aegypti et Chanaan* ». *Hebr. : exhausta erat ob famem.* Illico v. 14 repetitur *terra Aegypti et terra Chanaan*, ut reapse utraque regio videatur fuisse intime unita, quod congruit aevo Pastorum. v. 14 « *E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in aerarium regis* ». v. 15 « *Cumque defecisset* [*emptoribus*] *pretium, venit cuncta Aegyptus ad Ioseph dicens : Da nobis panes. Quare morimur coram te* », « vidente te, qui potes remedium adhibere » (*Tost.*), « *deficiente pecunia?* » v. 16 « *Quibus ille respondit : Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis* ». « Licet omnia sua pecora quis daret, multum tamen frumentum non recipiebat, quia pecora modicum utilia tunc erant, panis autem summe necessarius. Et patet, quia cibus datus pro pecoribus non duravit ultra unum annum » (*Tost.*). v. 17 « *Quae cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis et ovibus et bobus et asinis* ». Ergo non reges tantum, sed privati plurimi equos tum possidebant. « *Sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum* » v. 18 « *Venerunt quoque anno secundo* », — intelligitur annus immediate sequens post vendita pecora. *Hebr. : et defecit annus ille, et venerunt ad eum anno secundo* — « *et dixerunt ei : Non celabimus dominum nostrum, quod deficiente pecunia pecora simul defecerunt; nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus* ». v. 19 « *Cur ergo moriemur te vidente, et nos et terra nostra?* » Terra moritur inculta. « [*Tui erimus*] *: eme nos in servitutem regiam* ». *Hebr. : Eme nos et terram nostram pro pane; et vivemus, et non moriemur, et terra non erit inculta.* « *Et praebe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem* ». Haec liberius sunt versa. Terra quotannis colebatur, agri aliqui Nilo adiacentes aut speciali arte irrigati aliquos fructus ferebant (*Calm.*); populi ob Iosephi de septem annorum sterilitate oraculum non abdicabant agrorum culturam. v. 20 « *Emit igitur Ioseph omnem ter-*

ram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas prae magnitudine famis ».

In Novo Regno reapse regio tota a Pharaonibus possidebatur, quibus quinta quotannis reddituum pars erat pendenda (*Erman* p. 152 sq.). Ante in singulis pagis erat familia aliqua, quae principatum haereditate obtinebat. Horum principum plures regibus Pastoribus inviti obsequebantur, imprimis in superiore Aegypto, donec principes Thebarum Pastores expulere. Ioseph Pharaonis Pastoris potestatem firmare studebat, translata in ipsum universae terrae possessione. Neque tamen eo Aegyptios, ut Pastorum principatum lubentes paterentur, induxit. Libertatis amantes seditiones movere perrexerunt, donec iugum penitus excussum est.

« *Subiecitque eam Pharaoni* », v. 21 « *et cunctos populos eius a novissimis terminis Aegypti usque ad extremos fines eius* ». *Hebr. Chald. Syr.* העביר אתו לערים *traduxit ei in urbes*, cuius unicus sensus esse potest, eum populum pagorum traduxisse in civitates : at contradicit v. 23, ubi semina dantur plebi ad eosdem, atque antea agros colendos. Praeferenda lectio *Sam. LXX Vulg.* העביד אתו לעבדים *subiecit ei in servos.* v. 22 « *Praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis; quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non* [*sunt compulsi*] *vendere possessiones suas* ». *Hebr.* non dicit, terras sacerdotes a rege accepisse, licet id magna ex parte ita fuisse monumentis doceamur : *Solum terram sacerdotum non acquisivit, statuta* (*cibaria*) *sacerdotibus a rege erant, et manducabant statuta, quae dabat illis rex : propterea non vendiderunt terram suam.* Nulla sacerdotibus fuit necessitas vendendae terrae pro cibariis, quia e statutis cibaria pendebantur a rege. Cf. apud *Erman* p. 405 sqq. elenchum innumerorum donorum, quae triginta et uno sui regni annis Ramses III templis pendit. Celebrant *Cai.*, *Per.* aliique Pharaonis integritatem, qui etiam in rebus tam angustis consueta sacerdotibus cibaria pendit : at praepotens erat sacerdotum ordo, quibus offensis omnium a se Aegyptiorum animos alienasset Pharao. v. 23 « *Dixit ergo Ioseph ad populos : En, ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet : accipite semina, et serite agros* », v. 24 « *ut fruges habere possitis* ». Ex eo, quod nunc Ioseph praeter cibaria ad vitam necessaria frumentum largitus est ad serendum, merito infert *Tost.*, hunc annum fuisse ultimum sterilatis. Ergo, licet prioribus annis vix ullae fuerint segetes, at neque multa sementis pessumdata est, cum Ioseph futurorum praescius non ad sementem frumentum concesserit. « *Quintam partem regi dabitis* », quod in regione fertilissima non erat ita grave (*Tost.*). « *Quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum* » *vestrum et* « *familiis et liberis vestris* ». Illud de *liberis* ignorat *LXX :* constructio aut primitus fuit planior, aut nonnihil aspe-

rior e calamo scriptoris fluxit; scriptorum quippe etiam hebraeorum, imo inspiratorum stilus non est semper omnibus numeris absolutus. v. 25 « *Qui responderunt : Salus nostra in manu tua est* ». Non : « per te salvi futuri sumus (*Menoch.*); sed *vitam nostram servasti* (*Hebr.*), ergo conditionem tuam acceptare debemus. « *Respiciat nos tantum dominus noster, et* [*laeti*] *serviemus regi* ». *Hebr. : Inveniamus gratiam in oculis etc.* Quae gratia aut universim intelligi potest favor et indulgentia, aut ad sequentia trahi potest : « Reputabimus hoc pro magno beneficio, si Pharao receperit nos in servitium » (*Vat.*). v. 26 « [*Ex eo tempore*] *usque in praesentem diem in universa terra Aegypti regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quae libera ab hac conditione fuit* ». « Quae regibus dantur, perpetuo manent », suggerit *Mar.* — *Hebr. : Illud igitur Ioseph sanxit statutum,* quod perdurat *usque in praesentem diem, quoad terram Aegypti, ut penderet Pharaoni quintam partem; sola terra sacerdotum non est facta Pharaonis propria.*

Diu post narrata *Diodor.* 1,73 sq. prodidit, terram Aegypti omnem possideri a rege, sacerdotibus et *militibus*. At proprii nominis exercitus nonnisi in Novo Regno collectus est, Pharaonibus longinquas suscipientibus expeditiones. Mercenariis paulatim terrae concedi consuevere. Noster auctor dicens, usque ad sua tempora totam Aegyptum aut regis fuisse aut sacerdotum, ostendit se eo tempore scripsisse, quo terrae militibus aut nondum, aut certe nonnisi raro tribuebantur.

v. 27 « *Habitavit ergo Israel in Aegypto, i. e. in terra Gessen, et possedit eam, auctusque est et multiplicatus nimis* ». v. 28 « *Et vixit in ea* » Iacob « *decem et septem annis; factique sunt omnes dies vitae illius centum quadraginta septem annorum* ». v. 29 « *Cumque appropinquare* [*cerneret*] *diem mortis suae, vocavit filium suum Ioseph et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo* », « si tu diligis me » (*Tost.*), « *pone manum tuam sub femore meo* » (cf. 24,2), « *et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Aegypto* »; v. 30 « *sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulcro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph : Ego faciam, quod iussisti* ». v. 41 « *Et ille : Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante adoravit Israel* [*Deum, conversus*] *ad lectuli caput* ». *LXX Syr.* pro מִטָּה punctavere מַטֶּה, *ad summitatem sceptri* Ioseph, et *Chrys.* censet, ita prophetiam 37,9 impletam esse : at haec satis impleta est, quando 46,29 pater filium obvium habuit. Sensum sententiae indubie pandit 3 Reg. 1,47, ubi David senex, audito Salomonem agnitum esse regem, « adoravit in lectulo suo », על המשכב. « Senex in lectulo iacens super caput lectuli se inclinavit » (*Cai.*). « Iacob pro singulari bono

duxit, sibi promissum fuisse a Ioseph, quod petierat de sepultura. Nam ad gratias Deo agendas, quo potest conatu, debile corpus incitat, tamquam potitus re maxime optabili; dicitur enim adorasse ad caput lectuli, qui, cum plane assurgere non posset e lecto, in quo iacebat, se tamen in formam precantis prono vultu componit » (*Vat.*).

10. *Iacobi in Ioseph specialis amor* Gen. 48.

Arg. — Ad Iacob senio fatiscentem accedit cum filiis Ioseph. Quos ob Rachelis potissimum amorem in suorum filiorum numerum adoptat Iacob, promissionum aeque futuros haeredes. Quo simul Ioseph primogeniti inter fratres iura conceduntur. Postea Iacob, filios Ioseph amplexus eisque manus in decussem imponens, benedictionem potiorem tribuit minori, secundam maiori. Tandem Iosepho, quem unum in terra promissa acquisierat agrum, prae fratribus dono dat.

Cap. XLVIII v. 1 « *His ita transactis nuntiatum est Ioseph, quod aegrotaret pater suus* ». Nescimus, quamdiu ante extremum diem 47, 29 Iacob Iosephum accersiverit, quando sc. ipse virium decrementum expertus est; aliquanto post 48,1 etiam reliqui advertere eum solito citius *deficere viribus;* non affirmatur alius praeter senium morbus. « *Qui assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim* [*ire perrexit*] ». v. 2 « *Dictumque est seni* » — *Hebr. : Iacob* — : « *Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus* » *Israel* « *sedit in lectulo* ». « Significatur, eum resumptis prae gaudio aliquantulum viribus, cum ante totus iaceret, caput erexisse, ut sedenti propior esset quam iacenti » (*Bonfr.*). In mutatione nominum *Iacob* et *Israel* mysterium veluti deprehendit *Del. :* « aegrotat Iacob, reviviscit Israel ». Verum id nonne longius petitur? cf. p. 515. v. 3 « *Et* [*ingresso ad se*] *ait* » *Iacob :* « *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quae est in terra Chanaan, benedixitque mihi* » v. 4 « *et ait : Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum, daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te, in possessionem sempiternam* ». Dicta haec fuere 28,13 sqq., confirmata 35,9 sqq. Promissa ita sane intellexit Iacob, ut filii *sui* praedicerentur totidem futuri populi seu tribus, certasque terrae sanctae singuli obtenturi portiones : quam praerogativam ut ad filios dilecti atque de se tam bene meriti Ioseph tum natos extendat, eosdem adoptat. v. 5 « *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt* ». « Ego in meorum filiorum numerum adopto, et parem iis, qui ex me nati sunt, benedictionem accipient » (*Chrys.*). « *Ephraim et Manasses sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi* ». v. 6 « *Reliquos autem, quos genueris* » — seu verius *genuisti* vel *gignes :*

non dicitur Ioseph nullos prater illos duos ad mortem patris usque procreasse filios — « *post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis* », accensebuntur Manassaeis vel Ephraimitis et cum eis partem habebunt.

Advertit *Mar.*, ita de facto *ius primogeniturae* transferri in Ioseph, quod primogenito portio duplex obvenire consueverit : cf. Deut. 21, 17; item evolvit *Tost.* et diserte 1 Par. 5, 1 sq. affirmatur, omisso ob scelus Rubeno et omisso item Iuda, primogenitura transiisse in Ioseph. Sane ob scelera quatuor filios natu maiores a primogenitura exclusit Iacob, licet merito ambigat quis, egeritne potius scelerum odio an Rachelis, quae Iosephi mater exstitit, amore. Concubinarum filii certe nunquam ita inter fratres floruere, ut Iosepho potuerint comparari.

v. 7 « *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus, et ingrediebar Ephratham* », — secundum 35,16 dicta verte : *cum abessem adhuc kibrathae distantia ab Ephratha* — « *et sepelivi eam iuxta viam Ephrathae, quae* [*alio nomine*] *appellatur Bethlehem* ». Quod incisum utique non Iacob pronuntiavit, sed s. scriptor addidit. Sententia est asyndeta : *Et ego, — quando veniebam etc., mortua est mihi Rachel etc.* Ubi post *Ps. Ion.* multi putavere Iacobum cogitationem referre ad suam prope Hebron futuram sepulturam (47,30) et rationem reddere Iosepho, cur non ib. etiam Rachel sit sepulta. Quae tamen longius sunt petita : cur Rachel prope Bethlehem fuerit sepulta, rationem oppido norat Ioseph, neque ipsi aut alii cuiquam in mentem venerat de cadavere eruendo et Hebronem transferendo. *Del.* censet, conspecto Ioseph revixisse in animo Iacob dilectae Rachelis memoriam. Melius *Rup.* ait pandi intimam translatae in Iosephum primogeniturae rationem, Rachelis amorem : *Et ego* id etiam facio propter Rachelem. At, ubi senis menti obversatur tam dilectae uxoris imago, ei uni inhaeret recolitque supremum morientis obtutum sepulcrique adspectum.

v. 8 « *Videns autem filios eius* », sed ob stuporem oculorum non valens agnoscere, « *dixit ad eum : Qui sunt isti?* » v. 9 « *Respondit : Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis* ». v. 10 « *Oculi enim Israel caligabant prae* [*nimia*] *senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se deosculatus et circumplexus eos* », v. 11 « *dixit ad filium suum : Non sum fraudatus adspectu tuo, insuper ostendit mihi Deus semen tuum* ». פללתי melius *Chald. Syr.* vertunt *putabam*, *Cai.* « censui » : Non putaveram me visurum faciem tuam, et ecce non hanc solam sed et filios tuos video. Potest fortasse etiam verti « oravi » (*Mar.*) : Non oravi, ut faciem tuam viderem, quem mortuum putarem, et ecce etc. « Ea res vota mea omnia et preces superabat » (*Calm.*). Ex textu non infertur

indubie (*Dillm.*), Iacobum tum primum filios Ioseph conspexisse. v. 12 « *Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adoravit pronus in terram* ». « Cum Iacob iaceret in lecto et in adventu Ioseph erexisset se in lecto et duo nepotes eius accessissent ad deosculandum eum et amplexandum, oportebat eos inclinari super gremium eius » (*Tost.*). Neque e verbis concludas, fingi filios tum exstitisse parvulos (*Del.*). Retrahuntur autem filii non, quod lepidius quam verius monet *Dillm.*, quo eos pater rite a dextra et a sinistra disponat pro recipienda benedictione, sed quo locus detur Iosepho prostraturo se in signum grati animi pro collato sibi in filiis beneficio (*Cai.*), sc. primogenitura.

v. 13 « *Et posuit Ephraim ad dexteram suam, i. e. ad sinistram Israel; Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram sc. patris, applicuitque ambos ad eum* ». Supponebatur is meliorem nacturus esse benedictionem, quem avi dextera attingeret; quare primogenitum avi dexterae submittebat Ioseph. v. 14 « *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus* » in formam crucis. v. 15 « *Benedixitque Iacob filiis Ioseph et ait : Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac; Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem* »; v. 16 « *angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris* [*istis*] ». « Ambulare in conspectu alicuius est ad voluntatem eius cuncta facere » (*Tost.*). Celebrat viri modestiam *Chrys.*, qui patrum solum merita commemoret, non sua, sed beneficia a se divinitus accepta recenseat. Angelum hic eundem appellari, qui modo bis dicebatur Deus, merito suggerit *Chrys.*, ita ut in solemni hac benedictione ter nominetur Deus : primum, quatenus fuerit Abrahae et Isaac coniunctissimus; secundo, quatenus per omnem vitam Iacobum protexerit; tertio, quatenus redeuntem e Mesopotamia 31,11 et 32,25 sqq. ab omni tam a Laban quam ab Esau iniuria *redemerit*, sive per se immediate, sive angelo ut instrumento usus.

שכל a שׂכל derivant *Masor. Chald. Aq.* : sapientes fecit manus suas, studiose eas ita collocavit; sed notat *Dillm.*, etsi concedatur kal verbi ita adhiberi posse sensu hiphilico, at scribendum fore בידיו. *LXX Vulg. Symm. Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* repetunt a שׂכל, quae radix apud Arabes etiam sensum induit *plexuit*. — v. 15 pro *filiis Ioseph* (*Vulg. LXX*) *Syr.* habet *Ioseph filio* et *Hebr. Sam. Chald.* solummodo *Ioseph*, ubi dicendum erit cum *Cai.* in filiis benedici Iosephum; comparatque *Drus.* Noe in filio Chanaan maledicentem Chamo. Cum lectio sit incerta, nequit ea variis discernendis textus auctoribus adhiberi.

« *Et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram* ».

Vat. aliique putant, illud *vocetur in eis nomen meum* (cf. 21,12) rursum edicere, illos duos in filios ipsius Iacob adoptari. Quem sensum expressio tum tantum induere potest, si gratuito compleatur ita : vocetur in eis nomen meum, et non nomen Ioseph. Recte *Ephr.* : « appellentur filii Abraham, Isaac et Iacob »; sed ita appellabantur non solae tribus, sed singuli posteri. Non specialis aliqua h. l. filiis Ioseph benedictio tribuitur, sed communis benedictionis participes declarantur, ut, cum nomen nacti sint filiorum patriarcharum, partem quoque habeant promissionum illis datarum, eius imprimis, qua numerosa posteritas eis promittebatur. Specialis benedictio sequitur 49,22 sqq.

v. 17 « *Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim et transferre super caput Manasse* ». Comparato v. 20 sensus obvius est, haec Ioseph reapse non ante benedictionis initium v. 15 egisse, sed benedictionem interrupisse, v. 20 resumendam et concludendam. v. 18 « *Dixitque ad patrem : Non ita convenit, pater; quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius* ». v. 19 « *Qui renuens ait : Scio, fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos et multiplicabitur. Sed frater eius minor maior erit illo, et semen illius crescet in gentes* ». מלא הגוים, εἰς πλήθος ἐθνῶν, *erit plenitudo gentium,* i. e. numero aequabit populos circumincolentes simul sumptos.

Iam interruptae v. 17-19 benedictionis reliquum narratur. v. 20 « *Benedixitque eis in tempore illo dicens : In te benedicetur Israel atque dicetur* » : — « Cum alicui volet quis bene apprecari, te in exemplum adducet, et sic dicet » (*Bonfr.*). Neque necesse est cum *LXX* emendare *in vobis :* quae immediate praecedunt, dicebantur ad solum Ioseph et, qui benedicitur in Ephraim et Manasse, reapse idem benedicitur in Ioseph. — « *Faciat tibi Deus sicut Ephraim et sicut Manasse* ». Similem benedictionem habes Ruth 4,11 sqq. Numerosam prolem tibi Deus largiatur sicut illis (*Vat.*). « *Constituitque Ephraim ante Manassen* ».

v. 21 « *Et ait ad Ioseph* [*filium suum*] : *En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum* ». Intelligit Iacob, quod 46,4 promiserat Deus se illum ex Aegypto esse reducturum, id non se superstite, sed in posteris esse complendum. v. 22 « *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo* ».

שכם h. l. esse nomen appellativum nec verti posse *Sichem* (*LXX*) vel ex addito

אחד indubie colligitur (*Cai.*). Ceterum אחד lectionis est dubiae. *LXX* Σίκιμα ἐξαίρετον. *Chald.* (et similiter *Syr.*) voci חד addit vocem יתיר *plus quam*, cui tamen fortasse affingi etiam possit significatio *superabundans*, *excellens* (ἐξαίρετος), cum Deut. 28, 11 et 30, 9 afel verbi sensum induat procurandae abundantiae. Porro ei voci יתיר in textu hebr. optime potuit correspondere lectio אחר, in textu, quem LXX vertebant, fortasse deligurata in בחר. Ergo lectio genuina potuit esse שכם אחר. Porro שכם semper *humerum* significat, etiam regionis tractum altiorem, humeri formam imitantem; nunquam *partem*. Tamen *partem* vertunt *Vulg.* *Syr.* *Targ.* Sicut כתף, quod item *humerum* sonat, 3 Reg. 6, 8; 7, 39 designat *latus* domus et Ios. 15, 8. 10; 18, 12. 13. 16. 18 *latus* montis, ita potuit שכם ad eandem significationem transferri et designare regionis latus seu tractum seu, latiori acceptione, partem. — Regio *gladio et arcu* occupata sane ea est, quae armis, non quae « pecunia multoque labore » (*Sa*) comparatur. Neque arcus et gladius « iustitiam » (*Hier.*) exprimunt. De praedii situ cf. Io. 4, 5 sq., ubi Sichar *Hier.* censet « vitiose » scribi pro Sichem, dum alii censent locum Sichimis proxime abfuisse.

Ad explicationem sententiae quod attinet, qui sequuntur LXX aliique plures intelligunt tradi Iosepho *Sichimam*, ad cuius nomen vox appellativa שכם alludat. Eam autem gladio et arcu tulit Iacob, quando Simeon et Levi omnes urbis mares trucidaverunt. Obiicit *Aug.*, Iacob filiorum scelus illico perhorruisse, Sichimam iniuste occupatam censuisse. Quod facinus h. l. suum veluti faceret (*Per.*). — *Cai.* ad quaestionem, quomodo praedium illud prope Sichar gladio et arcu fuerit occupatum, respondet non omnes patriarcharum pugnas in Genesi narrari. — *Kn.* idem enuntiari censet atque v. 5 sq., sc. adoptatos duos Iosephi filios, duas illis tribus concessas, duos pagos : Ecce, dedi tibi partes duas, ut una parte reliquos fratres tuos omnes excedas. Illud vero de gladio et arcu intelligit prophetice (uti etiam *Malv.*) : Iacob in posteris suis illam partem tollet gladio et arcu. — *Per.* partem illam intelligit illam « partem agri », quam 33,19 Iacob emerat a filiis Hemor centum Keschitis. Hanc e speciali affectu in Iosephum transfert, cuius reapse ib. ossa condita fuere Ios. 24,32. Unum difficultatem parit : illa pars agri diserte affirmatur esse empta, nostra pars gladio et arcu esse obtenta. Nota eidem sententiae tam Ios. 24,32 quam Gen. 33,19 adscribi verba במאה קשיטה, h. l. verba בחרבי ובקשיתי : supponas, etiam h. l. priora illa verba antiquitus fuisse descripta, sed iniuria temporum vocem במאה exstitisse fere obliteratam : facile scriba aliquis lacunam explere potuit scribens בחרבי ובקשיתי. Ita tota illa difficultas evanescit, qua patriarcha secus non ita pugnax exhibebatur arcu et gladio omnia prosternere. Insignem autem favorem Iosepho exhibuit Iacob, unicam illam praeter alteram ab Abraham sepulturae patriarcharum coemptam, quam ipse in terra promissa possidebat partem in illum transferens atque ita indubie eum fratrum principem demonstrans.

11. *Vaticinium Iacobaeum* Gen. 49.

Parentem brevi morituram filios *convocare* et supremum *alloqui*, non est quod mireris. Id egere, ut Moysen taceam Deut. 33, David 1 Par. 28 sq., Tobias 14,5 sqq., Mathathias 1 Macch. 2,49 sqq., ipse Christus in ultima coena. Abundant exempla ex historicis deprompta. Neque alloquuntur solum filios parentes morituri, sed iisdem etiam *benedicunt*. Unde nostrum vaticinium antiquitus etiam vocabatur Benedictiones duodecim patriarcharum : *Ambr.*, *Rufin.* (*M.* 21. 297 sqq.). Ubi conferas dicenda ad v. 28. Neque desunt exempla (cf. *Per.*, *Kn.*) moribundorum *praesagientium* eventus futuros. Quod, eventu secuto, variis modis explicari potest. Quandoque eventus *fortuito* sequitur praedictionem temerarie editam : verum *tot* futura vaticinio Iacobaeo demonstrata fortuito omnia impleri nequaquam potuere. Quandoque parentis morituri filiis fausta vel adversa pro meritis *imprecantis* aequas preces *exaudit* Deus ; quas preces lector difficilius a veri nominis vaticinio discernat, quod eaedem formae verbales sensu aut optativo aut futuro indicativo exponi queant. At eiusmodi in Iacobo supponere nefas est, qui v. 1 solemniter profiteatur se non desiderata eloqui, sed quae ventura sint in novissimis diebus praenuntiare. Insuper illud indubie in votis habebat Iacob, ut Iosephum filium maxime dilectum et optime meritum pro viribus honoraret, collato permanenter non solum primogeniti iure sed etiam principatu : tamen principatum, non quidem in praesens, verum pro tempore subactae terrae promissae, assignat Iudae incestuoso. Manet igitur illud unum, ut supremum Iacobi alloquium fluxerit e scientia futurorum *revelatione* acquisita.

Potest porro aliquis futura proloqui secundum revelationem *eo ipso tempore*, aut secundum revelationem *aliquamdiu ante* sive a se sive ab aliis acceptam. Hoc altero modo nostrum quisque extremum iudicium praenuntiare potest. Sunt utique in vaticinio Iacobaeo aliqua, quae sine nova revelatione Iacob e revelationibus sibi vel patriarchis factis norat : semen suum fore numerosissimum, possessurum regionem Chanaan, generaturum messiam. Verum pleraque eiusmodi sunt, quae novam omnino requirebant revelationem : quae tribus plus quaeve minus futurae essent numerosae, quae singularum futura esset indoles et sedes, quae habitura esset principatum.

Singula adagia orditur Iacob *ludens in nominum etymologiis*, licet non presse sequatur etymologias cap. 29 sq. traditas, imo quoad Gad sequatur etymologiam toto coelo diversam. Indubie ludit in etymolo-

giis nominum Iuda, Zabulon, Gad, Dan, Ioseph; item nominum Issachar, Aser, Nephthali. Ergo fas est dispicere, annon in quatuor etiam reliquis eiusmodi allusiones detegantur. Et revera Ruben, « Ecce filius », quae est aptissima primogeniti appellatio, acutam habet ironiam, ubi de filio patris torum foedante praedicatur. Simeon i. e. « exauditio » belle vocatur is, cuius furori « maledictio » inuritur; neque insulse Levi seu « adhaesio » audit is, qui cohaesionis expers in Israel praedicitur dispergendus. Minus evidens in Beniamino res : sed memento e 35,18 virum fuisse binominem. Quare lupo comparatur, qui dum praedam dividit, utique lupis, quos pastus socios admittit, est Beniamin, pastoribus vero agricolisve, quorum ovem rapit, Benoni. Tandem illud notandum, quoad Iuda, Dan et Gad ita etymologiae adhaerere Iacob, ut ipsis nominum *radicibus* insistat : דן ידין, יהודה יודוך, גד גדוד יגודנו; dum in reliquis soli *sensui* inhaereat.

Ab etymologia profectus Iacob tres filios natu maximos ob admissa scelera nativo honore interdicit. *Rubeno*, primogenito paterni tori stupratori, poena indicitur « non crescas », a benedictione excluderis patriarcharum toro concessa, qua prolem stellas numero et arenas excedentem nanciscaris. *Simeon* et *Levi*, nefarii consilii consortes, communem sententiam ferunt, non habebunt continuos in terra sancta fines. — Facundissimam eamque uberrimam benedictionem nanciscuntur Iuda et Ioseph. *Iudae* leoni comparato tribuitur futurus inter fratres et super hostes principatus et autonomia usque ad messiae tempora perseveratura, quorum bona celebrantur. *Ioseph* « filius abundantiae » celebratur ob numerosam prolem Deoque assistente fortitudinem opumque affluentiam. — *Zabulonis* et *Aser* soli in terra Chanaan *fines* describuntur, ii utique, qui vel ob maris affinitatem vel fructuum nobilitatem ad negotiationem invitent; quibus tribuum futura indoles quadamtenus attingitur. *Issachari* autem *et indoles et fines* adumbrantur; *Beniamini*, *Dan* et *Gad* sola *indoles* bellicosa et dura. In *Nephthali* laetum instar arboris *incrementum* celebratur.

Dixi indicari incrementum, indolem, fines, generaliora omnia. Putavere interpretes haud pauci, ducibus imprimis Rabbinis, indicari facta plura et personas ex iis, quae posterioribus saeculis essent futura : Gedeonem, Samsonem, S. Paulum, imo antichristum, Iudam primo agmine per desertum incedentem, reges Israel contra Syros feliciter dimicantes, variaque Beniaminitarum atrociter gesta. Esto haec tribuum indolem, qualis a Iacob describitur, egregie illustrent : at eorumdem Iacob fuisse praescium gratuito omnino affirmatur. Haec a quibusdam in textum impacta explanationem reddidere perquam obscuram et impeditam. Vaticinium non solum ignorat regnum

Israel, sed ne ad ipsum quidem regnum Davidicum *explicite* alludit, licet hoc prioribus vaticiniis (17,6. 16; 35,11) fuerit praemonstratum, ideoque Iacobi etiam h. l. animo potuit obversari. Tamen sceptrum necessario solam denotat autonomiam tribus, non regiam in illa futuram auctoritatem. Ignorat item haec prophetia sacerdotium leviticum, quod auctor Moyse recentior nullo pacto potuisset ignorare.

Unum aliquod historiae populi electi tempus omnino respicit vaticinium, occupatae sc. duce Iosue terrae sanctae : id descripti tribuum fines demonstrant. Apex vaticinii is est, ut distinctius ostendatur, qua ratione adimplenda sit promissio patriarchis facta *terrae Chanaan ab eorum semine possidendae :* tribus omnes tempore eius regionis occupandae superstites erunt et (exceptis Simeon et Levi) continuas ibidem sedes accipient. Celebrantur prae ceteris ob fertilitatem aut commercii opportunitatem sedes Zabulon, Issachar, Aser et Ioseph; dum in Iuda, Dan, Gad, Ioseph et Beniamin fortitudo, in Nephthali et Ioseph foecunditas commendatur, in Iuda futurus messias praemonstratur. Quo uno vaticinium occupatae regionis Chanaan tempora utique transgreditur, non aliam ob rationem, nisi ut altera promissio patriarchis facta illustretur *de gentibus universis in eorum semine benedicendis :* hoc semen iam exhibetur tamquam unus vir, cuius e posteris Iudae ortus saltem adumbratur, aevique laudes iis primum imaginibus depinguntur, quae a prophetis postmodum tam saepe adhibentur.

Haec eccui aptius consonant auctori quam ei, quem v. 1 demonstrat, *Iacob?* Cui illud item convenit, omnes, quantum fas erat, in unum Ioseph congeri laudes : foecunditatis, fortitudinis, opulentiae; eum unum, praeter Ruben primogenitum et Iudam futurum principem, directo alloquio honorari. Is sc. erat Iacob, cui Ioseph longe plus ceteris carus erat.

Ex dictis solves obiectionem, qua una *Reuss* n. 171 effici autumat, non haberi h. l. verum vaticinium a Iacob profectum, sed meram post eventum prophetiam. Auctor, inquit, nihil novit de regibus Ephraim, qui quandoque ipsis regibus Iuda exstitere potentiores; nihil novit de tribus Levi excellentia, nihil de populi futura ruina : at haec omnia verus propheta, rerum in novissimis futurarum gnarus, nosse debuit. Et *Dillm.* censet, quod pericope, ignoratis penitus tam quae ante quam quae post acciderint, unice eos fines easque rationes attingat, quae iudicum fere aevo fuerint, id indubie probare non haberi veram prophetiam; prophetiam theopneuston ab iis profectam, quae prophetae tempore exstiterint, attingere primum quae immediate, dein ea quae longius post eventura sint, neque sistere in meris factis geographicis. Delectat audire rationalistas canones genuinae prophetiae describentes. Quid novissimi dies v. 1 sibi velint, infra dicemus, Propheta videt ea et ea tantum, quae Deus illi videnda obiicit, revelatio vero in V. T. *gradatim* procedit. Deus igitur Iacob morituro non quaelibet posterorum fata praemonstrat, sed ea tantum, quae viventi generaliori modo indicaverat, distinctius revelat.

Quae praeterea contra Iacob auctorem proferuntur obiectiones, eas ipse *Reuss* censet « exigui esse momenti ». Num potuit, aiunt, senex annosus, decrepitus, moribundus edere sermonem tam artificiosum, vivacem, gravem? Num potuere filii Iacob sermonem tam complexum fideliter memoria retinere? Sufficit, ut quisque benedictionem sibi concessam alte memoriae impressam retinuerit, ad quod lusus etymologici mirum quantum iuvabant. Alii, ne cogerentur Iacob admittere auctorem, adstruxere in cap. 49 legi *variorum temporum effata, sententias, desideria* quae in unum postea fuerint collecta. Ita *E. Renan* (Histoire générale des langues sémitiques p. 111 sq.), *I. P. N. Land* (Disputatio de carmine Iacobi, L. B. 1857), *Kuenen* p. 228 sq.. Contra quos *Dillm.* : « Quod adagia illa », inquit, « iudicum aevum respiciant omnia, quod effata de Ruben, Iuda et Ioseph intime connectantur inter se, reliquorum aliqua, si a contextu solvantur, inania plane evadant, haec praeter omne dubium efficiunt, adagia illa omnia unius esse auctoris atque arte et consilio inter se esse contexta ».

Ordo, quo singulae tribus recensentur, proxime petitur a *matribus* : praecedunt sex Liae filii, sequuntur concubinarum filii quatuor, agmen claudunt duo Rachele nati. Filii Liae priores tres ob scelera principatu privandi, et quartus Iuda in eorum locum successurus eo, quo nati sunt, ordine invicem excipiunt : at Zabulon praeponitur Issachari. Filii Balae et Zelphae permiscentur inter se, Nephthali ad calcem relegato : non Dan, Nephthali, Gad, Aser; sed Dan, Gad, Aser, Nephthali. Coniicit *Kn.* ordinem adagiorum aliquando incuria scribae cuiusdam esse mutatum. Quod parum probabile videatur perpendenti, quam arcte tribus quaeque iis invigilare consueverint, quae originis nobilitatem mutuamque dignitatem attingant, et quomodo etiam 48,19 Iacob consilio ab ordine aetatis in filiis benedicendis deflectat. Crediderim equidem inversi ordinis rationem esse *geographicam*. Iacob mente constitutus Sichimis, ubi tamdiu vixerat et partem agri (48,22) propriam acquisiverat, futurorum praesagus cernit tribus eo ordine circa se dispositas, quo a Iosue postmodum illis sedes attributae fuere. Primogeniti nomen mentem avocat ad australem plagam, qua illa orientem respicit. Inde transit ad occidentem simul et austrum, ubi inde a Iosue Simeonitae et inde a Ieroboam Levitae Iudaeis permixti sedes sunt habituri. Ad reliquos duos filios a meridie septentrionem versus transferens oculos, uti Rubenum remotiorem ante Iudam recensuerat, ita Zabulonem remotiorem praeponit Issachari proximiori. Simili ordine e quatuor concubinarum filiis primi recensentur duo, qui ad austrum Sichimorum incolunt, Dan occidentem et Gad orientem versus; inde ii, qui aquilonem obtinent, ubi rursum Aser occidentem obtinens praeponitur Nephthali orientales sedes nacto. Circumspectis reliquis circa tribubus, tandem ad centrum reflectit oculos vates, ubi late circa Sichimas Ioseph residet, cui appendicis instar alter Rachelis filius Beniamin subnectitur.

Cap. XLIX v. 1 « *Vocavit autem Iacob filios suos et ait eis : Congre-*

gamini, ut annuntiem, quae ventura sunt vobis in diebus novissimis ». Annuntiat Iacob libere futurorum vaticinium, unde recte *Syr.* caput inscribit : « Benedictio Iacob, quod dictum fuit per prophetiam ». « אחרית, ab אחר *post*, notat quod posterius est, et de tempore adhibitum significat quod futurum est » (*Lamy*). In prophetis quidem expressio « tempus dicit messianicum, ultimam illam periodum, ad quam praeparandam et significandam tempora antecedentia diriguntur, et quae ipsa iam non alia periodo erit excipienda hisce in terris » (*Knabenbauer* in Mich. 4,1). At h. l. expressio certe non restringitur ad tempus messianicum, cum de eo caput nonnisi perpauca habeat, pleraque autem tempus distributae inter tribus terrae promissae respiciant. Reapse, si memineris, quam alte illud patriarchae menti inhaeserit, posteros ex Aegypto quondam reduces terram promissam fore possessuros, si advertas eo se ordine filiorum in vaticinio nomina excipere, quo e Sichimis circumspectans parens distributas circa se tribus conspiceret, facile intelliges futurum, de quo h. l. agatur, tempus imprimis distributam tribubus terram sanctam respicere. Cf. *Tost.*, *Per.*, *Bonfr.* aliosque. v. 2 « *Congregamini et audite, filii Iacob, audite Israel patrem vestrum* ».

Ruben v. 3 sq.

Rubenum primogenitum manebat excellens dignitas et specialis foecunditatis benedictio : qua ipse ob incestum privatur. v. 3 « *Ruben, primogenitus meus tu* » *es*, « *fortitudo mea et principium doloris mei* », seu verius *roboris mei* (*Chald. Syr.*), quod apte explicant *LXX Theod.* ἀρχὴ τέκνων μου, *Ps. Ion.* « principium roboris generationis meae ». Quo altero parallelismi membro repetitur vel evolvitur prius *fortitudo mea*. Dicitur igitur patris fortitudo Ruben non ideo potissimum, quod ipsum maxime decuerit patrem adiuvare familiaeque dignitatem defendere (*Cai.*), licet hoc etiam e primogenitura consequatur : « Quia te in aetate robustiore genui, et tu ceteris fortior et dignior esse debueras » (*Tost.*). Sed vocatur Ruben *fortitudo* patris, quia exstitit « filius iuventutis » (*Ephr.*), quem pater integra virtute generativa, ceteros eadem iam hebescente genuit. Et coniicit idem auctor, Iacob usque ad Liae connubium illibatam servasse virginitatem. « *Prior in donis, maior in imperio* » esse debebas, supplendum est (*Per.*). שאת *excellentiam* significat primogeniturae, עז non crudum robur, sed legitimam *potestatem*, quae primogenito competit : sicut nativa praestabas excellentia, ita praefuturus eras potestate fratribus, princeps eorum futurus.

Cum ראשית אונו etiam secus (Deut. 21, 17; Ps. 77, 51; 104, 36) de filiis primogenitis scribatur, non licet h. l. cum *Vulg. Aq. Symm.* recurrere ad און *dolor*, sed sistendum est in significatione *robur*. Idem suadet contextus : « Quia uno contextu Iacob dignitatis elogia recenset, quae in primogenitum competunt, non dubium, quin *principium suae virilitatis* nominet » (*Vat.*). — יתר, pro qua voce *LXX Theod.* videntur legisse איתן *durus*, verti quidem etiam potest *reliquiae* (*Syr.*), at h. l. cum *Aq. Symm.* vertendum est *abundantia*, itemque interpretabantur *Vulg. Chald.* Inde a *Targumim* placuit Iudaeis interpretatio haec : « Competebat tibi primogenitura et dignitas sacerdotalis et regia : quia vero peccasti, data est primogenitura Ioseph, regnum Iudae, sacerdotium Levi ». Ipsi igitur שאת ad dignitatem sacerdotalem referunt, עז ad regiam : at dignitatem sacerdotalem ad primogenitum fuisse devolvendam, gratuito plane adstruitur. Eidem traditioni adhaerens *Hier.* שאת ad *dona* retulit, sc. duplicem portionem primogenito tribuendam, עז sine dubio ad sacerdotium et regnum simul.

Explicata eminentia, quae Rubeno tamquam primogenito debebatur, eius scelus commemoratur, in cuius poenam ea eminentia privabitur. v. 4 « *Effusus es sicut aqua* ». Egisti similiter atque aqua, quae *ebulliens* effunditur : pulchre peccator concupiscentiae impetu actus comparatur aquae, quae ebulliens e vase prosilit praeter eius, qui ignem supposuit, intentionem. Omissa comparatione dicere poteris cum *Menoch.* : « praeceps in scelus ruisti ». Non petitur imago a flumine ripas transgrediente (*Ephr.*) vel aggerem perrumpente. Neque iam sceleris depingitur poena : « fluxa tibi et humilia sunt omnia » (*Calm.*); vel : sicut aqua effusa nihil omnino aut saporis aut odoris post se relinquit, ita tu primogeniturae privilegiis omnibus privaberis (*Lyr.*). Sed ipse incestus imagine exprimitur, cui illico subnectitur poena : « *Non crescas* ». Cum תותר eiusdem radicis sit atque praecedens יתר, reapse eadem etiam illi significatio concedenda est : non abundabis neque excellentia neque potestate, *non eminebis* (*Aq. Symm.* et etiam *Chald.*). Ita *Hier. Proc. Cai. Vat. Sa;* atque *Tost.* ipsum Vulgatae textum sic interpretatur, et iure merito quidem : « Non crescas inter fratres tuos, sc. recipiendo aliquam praeeminentiam ». Ergo Rubeno unum tantum, et illud mere negativum, praenuntiatur, eum privatum iri primatu, qui primogenito debebatur. Quod egregie comprobavit eventus, cum tribus Ruben nunquam, ne iudicum quidem aevo, primatum obtinuerit. Sed affectu abripitur patriarcha, ne iam permittat filii scelus sub honesta latere imagine : « *Quia ascendisti cubile patris tui et maculasti stratum eius* ».

פחז effusionem significat aquae ebullientis : *Symm.* ὑπερέζεσας. *LXX* ἐξύβρισας. *Aq.* ἐθαμβεύσας, obstupuisti (?). *Sam.* פחזת constructionem planiorem reddit. *Masor.* : *ebullitio sicut aqua, non eminebis*, aut appositive explicari potest : tu, qui et quia es instar ebullitionis aquae, non eminebis (*Kn.*); aut absolute : ebullitio aquae tu es,

non eminebis. — Deut. 33, 6 : « Vivat Ruben et non moriatur, et sit parvus in numero » : at hinc non licet inferre. h. l. תיתר edicere Rubenitas paucos futuros esse numeris. Nam h. l. non necessario idem edicitur, quod ibi. *Syr.* sane minus accurate *non perdurabis;* quare *Ephr.* suggerit sententiam h. l. latam Deut. 33, 6 mitigari : nihil mitigatur, nihil mutatur. *Hier.*, qui vocem prius verterat « ne adiicias », i. e. ne iterum pecces, sensum ita explicat : « sis in fratrum numero, poenam peccati luens, quod primogeniti ordinem perdidisti ». Ergo hic quoque אל תיתר exponit, non de exiguo futuro numero, sed de amissa eminentia. — *Hebr.* alteram versus partem vigorosius ita construit : *quia conscendisti cubile patris tui. Tum desecrasti. Stratum meum conscendit!* Primum filio incestum crudis verbis in memoriam revocat Iacob. Affirmat hanc tori paterni violationem unicam exstitisse amissae eminentiae rationem. Dein ad reliquos conversus sceleris immanitatem exaggerat, quo latae sententiae iustitia nulli iam subsit dubio. Cogita, quantopere is tori violationem perhorrescere debuit, e cuius toro messias tandem proditurus speraretur.

Simeon et Levi v. 5-7.

Simeon et Levi coniuncti Sichemitas dolo oppressere; unde, uti initio sequentis benedictionis Iacob in nomine Iudae ludit, quasi dicat : Iuda, tu vere es Iuda i. e. laudatus; ita h. l. ludit in nomine *fratrum.* v. 5 « *Simeon et Levi fratres* », non origine tantum, sed « in scelere socii » (*Bonfr.*). « *Vasa iniquitatis bellantia* ». *Hebr. : Instrumenta violentiae* (cf. 6,11. 13) fuere *gladii eorum. LXX Sam. Chald.* pro כלי habent כלי : *Perfecerunt violentiam gladii eorum.* Enuntiato scelere, se ipsum ab illis secernit. v. 6 « *In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea* », quo altero nomine ipsa anima designatur. Censet *Mar.*, hic scribi « futurum pro praeterito : non venit. Ostendit, se eius proditionis participem non fuisse ». Reprobavi (34,30), ait, et reprobo. Potest etiam futurum seu optativus retineri, ut verba non ad praeteritum destruendae Sichem consilium referantur, sed ad omne scelestorum fratrum consilium : nihil cum illis mihi est commune, non agnovi ut filios et hinc certam illis inter filios portionem non concedo. — Repetitur iam distinctius eorum scelus : « *quia in furore suo occiderunt virum* », i. e. universim, « *et in voluntate sua* », arbitratu suo « *suffoderunt murum* » urbis Sichem. Scelus maledicto oneratur, non scelesti v. 7 : « *Maledictus furor eorum, quia pertinax* » seu *violentus,* « *et indignatio eorum, quia dura* ». Non omnis furor et indignatio reprobanda, cum haec etiam de Deo praedicentur. — « Sequitur *poena,* et est conformis peccato eorum » (*Tost.*), ut qui una peccaverint, communem ferant sententiam et, qui in scelus conspiraverint, ab invicem divulsi inter reliquos dispergantur. « *Dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel* ». Haec poena evidenter impleta est in iuniore fratre Levi, at in ipso si-

mul versa est in honorem et benedictionem, sacerdotio illi delato. Impleta est item in Simeone, quae tribus, quod parva esset, intra fines haereditatis fratrum suorum habitavit (*Ephr.*), « in alieno quasi hospitio intra tribum Iuda recepta est » (*Bonfr.*) : cf. Ios. 19,2.9. *Hier.* etiam appellat 1 Par. 4,39 sqq., ubi narrantur Simeonitae plures tempore Ezechiae latiores sibi sedes in deserto australi procurasse.

Pro *suffoderunt murum* verti etiam potest *subnervaverunt borem* (*LXX*), qua poetica locutione dicendum erit nihil aliud exprimi, nisi ipsam Sichimitarum caedem. Certe bos non intelligitur Ioseph a fratribus traditus (*Cai.*), cuius iniurias prophetia haec non attingit, sed condonatas supponit. — Immerito *Ephr.* textu censet affirmari, Simeon et Levi divisum iri « alterum ab altero », idque impletum pronuntiat, quando Num. 25, 14 Phinees Levita confecit Zambri Simeonitam : non hoc duorum virorum factum respicit prophetia, sed tribuum fata. Neque ideo illi dividuntur, quia, quod violenti sint, unitis nemo possit resistere (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*) : sed unice in sceleris poenam.

Iuda v. 8-12.

Etiam Iuda peccaverat, sed peccata luerat poenitentia. Nurum scortum arbitratus cognoverat, sed eam cum suo etiam dedecore 38,26 a crimine liberaverat; in Ioseph cum reliquis coniuraverat, sed vitam eius 37,26 servaverat et pro Beniamino 44,18 sqq. se vinculis obtulerat. Cui igitur ignoratis delictis excellens conceditur benedictio. Exinde, quod Simeon et Levi in poenam propriis finibus sint privati, sequitur reliquis et imprimis Iudae *proprios* in terra sancta *fines* concedi. Prophetia respicit Iudam non per desertum itinerantem, non primum agmen (Iud. 1) in terram sanctam inducentem, sed in suis finibus considentem. Non antea adoraverunt eum filii patris eius, quin potius et Iacobi et Iosue tempore adorabant Ioseph; non antea principatum ipse obtinuit a patre Iosepho collatum. Sed neque necessario, ubi primum proprias in terra sancta sedes Iuda obtinuit, haec omnia impleri debuere; sufficit, ut decursu temporum evenerint. Benedictio orditur a paronomasia nominis Iuda. v. 8 « *Iuda, te laudabunt fratres tui* ». יהודה אתה יודוך אחיך. Iuda, in te reapse habebunt fratres, quod laudent, *principatum*, qui constat obsequio *fratrum*, neque sine *hostium* caede perseverare potest. Iungi etiam potest : *Iuda tu! te laudabunt fratres tui.* « Merito tu diceris Iuda, merito a laude nomen habes, quia laudabunt te fratres tui » (*Cai.*). Et comparat *Per.* Matth. 16,18 : Tu es Petrus, etc. « *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum* ». Cur in cervicibus? Sive quod in fugam vertas (*Vat.*), sive quod imo fugientium terga caedas (*Malv.*), sive quod hostes comprimas et humilies (*Tost.*), sive quod eorum cervices iugo supponas (*Per.*). Expri-

mitur plena de hostibus victoria, quae certe tum habetur, quando illi cervices, non pectora victori obiiciunt. *Chald. praevalebit.* « *Adorabunt te filii patris tui* ». Quid sibi verba velint perspicies, si advertas, idem et Iosepho fuisse praedictum et, superstite adhuc cum fratribus parente, impletum.

Iudae principatus porro describitur sub imagine *leonis*, qui animalium censetur rex. v. 9 « *Catulus leonis Iuda* ». Iuda cum tribu a se gignenda unus est leo : quare ipse Iuda coram patre adstans catulus leonis vocatur, qui decursu temporis in leonem seu leaenam adolescat. « *Ad praedam, fili mi, ascendisti* » : sed reliqui omnes *a praeda*. Describitur leo a praeda redux, princeps parta victoria. « *Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena* », « quae catulos lactans saevior et fortior est leone » (*Menoch.*). En iam leo adultus, terribilis in bello et in pace, accumbens « in sua haereditate » (*Ephr.*), non quod viribus sit decrepitus, sed ut praedam digerat. « *Quis suscitabit eum?* » Sane « nullus sapiens » (*Cai.*). Quibus omnibus neque Davidis victoriae neque messiae regnum explicite demonstratur, sed Iudae principatus universim describitur.

Praenuntiaverat igitur Iacob Iudae *principatum* in terra sancta exercendum, cui praeter ipsam tribum Iudae etiam aliae tribus sint subfuturae : iam ultra progressus et reliquae veluti prophetiae limites excedens, quae rerum in Palaestina post Mosen et ante captivitatem conditionem potissimum respiciat, illius principatus *durationem* saltem *negative* definit. v. 10 « *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse* » — *Hebr. Sam. Chald. Syr. Aq. ipsi* — « *erit expectatio gentium* ». Praedicitur igitur sceptrum seu principatus duraturus, usque dum veniat שילה. Non dicitur tum cessaturus : si tamen aliquando cessaverit, signum est indubium illum iam advenisse. Non promittuntur omnes reliquae tribus aut aliquae earum usque ad eius adventum esse duraturae. Neque e v. 8 necessario sequitur principatus super *omnes* tribus, multoque minus super *omnes semper* tribus. De facto prophetia ita impleta est, ut sub Davide et Salomone tribus Iuda obtineret principatum omnium, post illos solarum tribuum Beniamin et Levi. Perseveravit autem principatus usque ad Christi tempus, quo interempto Iudaeorum respublica brevi interiit et inter dispersos tribuum distinctio penitus obliterata est.

סור *recedere* plerumque construitur cum מן, quandoque absolute : cf. Zach. 10, 11 « et sceptrum Aegypti recedet ». — שבט primitus *baculum* significat, hinc *scipionem* seu *sceptrum* pastoris, principis, regis : vox hoc sensu accepta non est necessario restringenda ad principatum *regium* (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*), licet illum neque exclu-

dat. Praeterea vox saepissime usurpatur significatione translata *tribus*. Cum vero nativa significatio non sit *ramus*, sed *baculus*, hinc non ideo vox ad significandam tribum descendit, quod tribus sint velut unius stipitis rami (*F. X. Patrizi S. J.* : De interpretatione S. Scr., lib. II q. VI art. 1 n. 5, Romae 1844). sed quod tribus una communi auctoritate contineatur, cuius symbolum sit scipio. Porro vox significatione nativa *sceptrum* accepta non est necessario restringenda ad principatum *regium* (*Ps. Ion.* et *Targ. Hier.*), licet illum minime excludat, imo cum aliis formis autonomiae politicae etiam ipsum includat. Sceptro exclusive designari auctoritatem regiam, non sequitur e 17, 6. 16 et 35, 11, quia prophetiae posteriores non ita serviliter antiquiorum vestigiis adhaerent, sed eas extendunt et amplificant; non sequitur e posterioribus vaticiniis (v. g. Ez. 21, 27), cum haec ea, quae antea edita fuerint, soleant applicare et definire.

Quaeritur iam, utro sensu, nativo an translato, שבט h. l. sumatur. *Tribus* vertit *Patrizi*. Monet, ita eandem vocem verti v. 16. 28. Unde efficax pro v. 10 haberetur praeiudicium, nisi in eo versu contextus cum praecedentibus et parallelismus cum מחקק aliud suaderet. Urget, si שבט vertatur *sceptrum*, haberi tautologiam cum מחקק; verum parallelismus hebraeus reapse aliquam adiunctam habet tautologiam. Dicit, מן bis scriptum utrobique oportere eundem sensum habere, aut originis aut termini : si intelligatur dux de inter pedes eius *oriundus*, intelligi item oportere שבט e Iuda *oriundum;* si intelligatur שבט recedere *a* Iuda, intelligi item oportere מחקק recedere *de* inter pedes eius. Quod ipse censet absurdum, nos autem infra defendemus. Eius argumenta refutata habes apud *I. Corluy S. I.* : Spicilegium I. 458 sq., Gandavi 1884.

Igitur in significationem sceptrum conspirant versiones omnes : *LXX Theod.* ἄρχων, *Aq.* σκῆπτρον, *Symm.* ἐξουσία, *Chald. habens principatum*. Eandem commendat contextus cum prioribus. Praemonstrabatur Iudae principatus idemque leonis imagine illustrabatur : exspectabis iam de eius principatus, non de tribus duratione edoceri. Commendat item parallelismus cum sequentibus : non recedet sceptrum de Iuda, neque scipio de inter pedes eius.

מחקק participium est poel verbi חקק *incidit, decrevit*, ergo *decernens*. Posse verti *ducem, legislatorem* ex ipso etymo perspicitur; et ita reddidere versiones : *LXX Theod.* ἡγούμενος, *Aq.* ἀκριβαζόμενος, *Targ.* כפרא *scriba*, *Syr.* מיבדקנא *expositor*, quod *Ephr.* interpretatur « propheta ». Verum translatam esse vocem ad symbolum auctoritatis ducis vel legislatoris, i. e. *scipionem* designandum, quis miretur? Deut. 33, 21 est textus perobscurus. Is. 33, 22 vox *ducem* sonat : « Dominus iudex noster, Dominus dux noster, Dominus rex noster ». Iud. 5, 14 ea immediate personam designat, sed simul alludit ad sequens שבט. E contra Num. 21, 18 vox scribitur parallele cum מושענת, *baculus;* et Ps. 59 (60), 9 et 107 (108), 9 : « Iuda *sceptrum* meum, Moab pelvis mea ad lavandum ». In nostro vaticinio eadem *sceptri* seu *scipionis* significatio ob parallelismum videtur praeferenda.

Expressio מבין רגליו secus nonnisi Deut. 28, 57 occurrit, ibique de re natura sordida adhibetur, de « illuvie secundarum, quae egrediuntur de medio feminum eius ». Ut expressione tam crassa successionem principum Iuda exprimi permittamus, idque in documento prophetico maximeque poetico, ne versionum quidem auctoritate inducimur, maxime cum eas in vertenda voce מחקק non certam scientiam, sed coniecturas secutas esse pateat. *LXX Theod.* ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, *Aq.* ἀπὸ μεταξὺ ποδῶν αὐτοῦ, *Chald.* et *Targ. Hier. a filiis filiorum eius, Ps. Ion. de semine eius*. Dein, si in hoc membro vertas *dux de semine eius*, ob parallelismum in priore membro vertere debebis *tribus e Iuda oriunda* (*Patrizi*), ergo *tribus Iuda* : verum id fieri nequit. « Etenim

non potest sumi de *tribu Iuda*, nam alibi saepe tribus illa memoratur et ubique *tribus Iuda*, nunquam vero *tribus ex Iuda*, מיהודה appellatur; imo nec ita appellari potest, quia particula מן in simili locutione est partitiva, et supponeret plures dari tribus Iudae, inter quas una designaretur; sicut in exemplis a P. Patrizio allatis *vir de Beniamin* notat plures esse viros Beniaminitas, inter quos unus designatur; sic dicitur etiam *tribus de Israel*, quia duodecim erant tribus in Israel; sed nunquam dicitur tribus e Iuda, tribus e Dan, quia non plures sed una dabatur tribus Iuda, una tribus Dan » (*Lamy*). Si מחקק vertas scipionem, sensum habes planum : non recedet sceptrum de Iuda, neque scipio de inter pedes eius. Ita *Calm.*, *Corluy*. Nota, quod e monumentis Assyriorum aliorumque discimus, sceptra antiquitus fuisse longa ad instar baculorum, ut revera *inter pedes* tenentium terram attigerint.

עד כי omnes versiones vertere *donec*, nec aliter verti potest. *Chald.* עד עלמא censendum est explicationis gratia adiectum, non ad exprimendum עד כי, cui immediate sequens עד ד correspondet. Versio : « non recedet... in aeternum, quia veniet S. », videtur revocanda ad codicem aliquem hebraeum (cf. *Del.*) athnach scribentem sub voce עד, non vero sub voce praecedente. Verum substantivum עד nunquam adhibetur adverbialiter. Cf. *Patrizi*, *Corluy*. — *Hitzig* (Bibl. Theologie p. 153) vertit : « quamdiu veniet Siluntem », i. e. quamdiu aliquis eo veniet, quamdiu ibi cultus Dei perseverat, ergo in aeternum (?). Verum, licet עד ש (Cant. 1,12) et עד cum inf. (Ex. 33, 22; Iud. 3, 26; Ion. 4. 2; 4 Reg. 9, 22) induat sensum *quamdiu*, at nunquam eum sensum habet עד כי : denotat semper terminum, ad quem duratio porrigatur, non quem includat (*Del.*).

Sequentis vocis, cum lectio שילי duorum tantum sit codicum, duae solum discutiendae veniunt lectiones שילה et שלה.

שילה (etiam שלה, שלי, שילי scriptum) unica in sacris paginis recurrit significatione *Silo*. Vertendum igitur erit : donec veniat Siluntem (cf. 1 Reg. 4, 12 eundem accus. localem) : ita *Eichhorn* aliique. Subiectum erit Iuda, cum de arca aut de Israel in contextu non sit sermo. Silo primum commemoratur Ios. 18, 1; eo Iosue castra et arcam moverat Sichimis; eo, uti reliquae tribus, ita Iuda quandoque ascendebat, tam superstite quam demortuo Iosue, usque ad Samuelis tempora. At eo usque vix efflоruerat sceptrum Iuda, nullum super reliquas tribus Iuda principatum obtinuerat. — Quare alii conati sunt novas vocis שילה effingere significationes, imprimis significationem *requies* a radice שלי vel שלה : sed hinc secundum grammaticae regulas derivaretur forma non שילה, sed שלוי vel שילוי. — Unde alii tandem שילה pronuntiant esse nomen aliquod proprium messiae : « Quod nomen est messiae? qui ex schola Rabbi Sila sunt, dixerunt nomen eius esse Schiloh, quoniam scriptum est : donec veniat Schiloh » (*Talmud*, tract. Sanhedrin f. 15). Et Midrasch Bereschith Rabba : « usque dum venit Schiloh », inquit, « hic est rex messias ». Hoc nomen supponunt apocopatum esse ex שילון, sicut שלמה ex שלמון et, sicut hoc, significare *pacificus*.

At lectio שילה nonnisi exiguam habet probabilitatem, dum keri שלה tuentur codices apud *de Rossi* triginta octo, *Sam.*, versiones omnes, etiam *Vulg.*, quae supponit lectionem שלה corruptam e שלה, non vero e שילה : alios testes, imprimis rabbinicos, vide ap. *de Rossi* in Append.

Porro inter eos, qui huic keri adstipulantur, communissima et antiquissima ea est explanatio, quae שלה contractum esse adstruit ex אשר לה seu לו אשר. Ita *LXX Theod.* τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (alia lectio ᾧ ἀπόκειται); *Chald. messias, cuius est regnum; Syr. is, cuius est; Targ. Hier.* « messias rex, et eius erit regnum »; *Ephr.* « is, cuius est regnum ». Unde vero petatur *Ps. Ion.* « rex messias, parvus filiorum », זעיר בנוי, non

liquet. Et licet eiusmodi contractio secus in Pentateucho non habeatur, at habetur in documento antiquissimo Cantico Debborae (Iud. 5, 7; cf. 6, 17) neque, si grammaticae peritos audias, mere ad recentiorem sermonis corruptionem pertinet. Verum, talem contractionem si h. l. admittas, constructionem habes ita mancam, quae intelligi certo omnino nequeat. Quid enim sibi vult : donec veniat, *quod ei* vel *cui*. Requiritur nomen aliquod (sceptrum = regnum, supplevere versiones). Cf. Ez. 21, 27 (32), quo loco propheta nostrum textum videtur respexisse : עד בא אשר לו המשפט. Profecto, si unice per sententiam relativam difficultas enodari queat, malim שלה ולו interpretari corruptionem ex אשר לו natam : donec veniat is, ad quem pertinet exspectatio gentium.

Ubi omnia in hoc illustri vaticinio concretis substantivis exprimuntur : cervices inimicorum, leo, sceptrum, scipio, merito exspectamus illud quoque, quod in vaticinio est omnino potissimum, non constructione aliqua truncata, non impervia allusione, sed *concreto nomine* expressum iri. Perpende porro, quam retulimus, Iudaeorum traditionem Gen. 49, 10 haberi messiae *nomen*, non utique proprium sed propheticum, quale est nomen Emmanuel apud Isaiam. Confer, quod supra monebamus, lectionem שלה lectioni שילה critice esse plurimum anteferendam. Ita nixus hinc traditioni Iudaeorum, illinc prudenti crisi perspicies in שלה latere messiae nomen *Sela*. Porro שלה e regulis grammaticis 1 Reg. 1, 17 confirmatis est forma abbreviata vocis שאלה *petitio*, שאל *petere*. Unde item nomina Saul et Samuel (1 Reg. 1, 20) derivantur. Petitio e genio Hebraeorum accipitur aut subiective pro petendi actu, aut obiective pro re petita, atque sic fere idem sonat atque *exauditio*. שלה nomen fuit tertii Iudae filii, qui una post interemptos Her et Onan Iudae aliquamdiu superfuit gloriosae posteritatis spes. Quam utique spem obscuratam in Iudae animo fuisse crediderim, quando ipse neque sciens neque volens Thamare legitima Selae futura uxore abusus est. Neque e Phares Zarave incestu natis gloriosam sibi sobolem promittere audebat Iuda. Nunc eius spes erigitur simulque peccati plena remissio indicatur verbis : *Non recedet sceptrum de Iuda,... donec veniat Sela* ; Sela sc. alter et priore maior, qui verius Petitio seu Exauditio nuncupetur, desideratus cunctis gentibus. Haec explicatio textum non torquet, e certis proficiscitur principiis, eumque adstruit sensum, quem et filii Iacob facile potuere et nos facile possumus in verbis deprehendere, quod idem neque de interpretatione שילה aut אשר לו, neque de aliis interpretamentis asserueris.

Ab hac eadem explicatione haud longe abest *P. de Lagarde* (Onomastica sacra p. 368, Goettingae 1887), licet in duobus deficiat : primum est, quod omnia revocans ad lectionem non שלה sed שילה aliquam textui sacro vim inferat (שאילה); alterum, quod textu edici supponat, veniente שלה cessaturum esse Iudae principatum, cum aliud dicatur nihil, nisi ante adventum שלה principatum non esse cessaturum, rem oppido diversam. Accipe Lagardii verba : « Gen. 49, 10 scio verti posse *donec Siluntem veniat*. Sed primum dicere, Iudam ceteras tribus recturum esse, donec Siluntem veniant, non est benedicentis : sequeretur enim, imperium eius cessaturum esse, postquam Siluntem venissent. Cessaturum imperium non ante esse, quam aliud nescio quid evenerit, dici a benedicente non potest, nisi aliud istud bonum sit tantum, ut minus beneficium libenter abiiciat, qui maius istud nanciscatur. Deinde eliciendum e verbis ita explicitis esset, Iudam in deserto primas partes egisse, quas non egit. Quid, quod sequens לו hominem aliquem requirit, ad quem referatur? Hinc ausim שילה explicare pro שאילה : Iudas regnabit, donec venerit is, quem Iuda ipse expetit votis, cui omnes gentes parebunt. שאיל idem, quem Malachias 3, 1 vocat האדן אשר אתם מבקשים ».

Pulchre concluditur versus : *et ipsi*, sc. alteri illi Selae venturo, *erit expectatio gentium*. Sed יקהה e Prov. 30,17 exprimit non tam *expectationem*, quam *reverentiam; Chald. erunt obedientes; Syr. suspicient*. En post sceptrum suae tribus et aliarum tribuum promittitur Iudae *principatus gentium*, praerogativa vere messianica. Reverentia gentium v. 10 omnino correspondet adorationi fratrum v. 8.

Et nunc visione messiae et abundantiae eius regni bonorum in ecstasin abripitur moribundus vates v. 11 : « *Ligans ad vineam pullum suum* » asini, « *et ad vitem, o fili mi, asinam suam* ». בני *Vulg.* interpretata est vocativum, melius *LXX Syr.* statum constructum : *filium asinae suae*, quo perfectus habetur parallelismus. *Ligans* est ipse Iuda, qualis v. 10 intelligebatur, aut, quod in idem recidit, *aliquis :* ligabit aliquis, ligabit quilibet tempore messiae (*Del.*). שרקה genus vitis nobilissimum. Tanta erit in messiae regno vitium etiam nobilissimarum abundantia, « ut passim obviae prostent, non secus atque alti vepres vel infrugifera arbusta. Nam cum ad sepes ligari soleant asini, vites ad hunc contemptibilem usum deputat » (*Vat.*). Neque sollicitus est, easne asini depascantur. « *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum* ». « Tantam significat fore vini abundantiam, ut id non modo sufficiat bibendo, sed etiam supersit ad lavandas vestes; quod accipiendum est quasi hyperbolice dictum » (*Per.*). v. 12 « *Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores* ». Verte : obscurati sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte albescunt (*Cai.*). Abunde item vescentur tempore messiae lacte et vino.

His indicari « nihil aliud », nisi fertilitatem terrae Iuda, sentire videntur ***Mar.*** alique. At indicari benedictiones regni messianici perspexere *Targ.* itemque Patres (*Chrys.*, *Theodoret.* etc.), licet in spiritualiter exponendis singulis vocibus (vino, pullo) quandoque longius procedant. Dicas cum ***Tir.*** intelligi utique fertilitatem, sed principalius dona regni messianici. Ubi spiritualia exhibentur imaginibus materialium, efferturque eorum tam abundantia quam excellentia. Terra promissa secus exhibetur ut regio fluens lacte et melle (Ex. 3, 8. 17; 13, 5. etc.) : hic ut fluens vino et lacte.

Zabulon v. 13.

Rursum in nominis etymologia luditur (*Bonfr.*), cum זבל *habitare* significet; cf. 30,20. v. 13 « *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem* ». Verbotenus : Zabulon prope litus marium habitabit, idemque prope litus navium, et latus eius versus Sidonem. ימים h. l. vel uti Iud. 5,17 solum Mare Mediterraneum designat, vel etiam Lacum Genesareth (*Bonfr.*). Ex hoc textu et *Ios.* (V. 1. 21) patet, Zabulon reapse ad Mare Mediterraneum

pertigisse : Ζαβουλωνίται δὲ τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον. Loci obscuriores Ios. 17,10 et 19,10-16 secundum hoc explicandi sunt. Cum ירכה secus de parte posteriore et remotiore praedicetur, hinc fingas h. l. Zabulonem inter duo maria consistentem, prospicientem Sichimam versus, tergum vero obvertentem Phoeniciae. Non dicitur pertingere usque ad ipsam Sidonem, cum potius intercesserit Aser. Describitur autem opulentia e vicino mari et commercio cum thalassocratoribus procurata.

Issachar v. 14 sq.

v. 14 « *Issachar asinus fortis accubans inter terminos* ». « Iuxta *Hebr.* habetur *osseus* » (חמור גרם), « quod est plus quam *fortis* », ait *Cai.;* certe dubitare licet, sitne idem atque *fortis*, cum sit imago plane insolita, et robur musculis potius constet quam ossibus. Mire dissonant versiones. *Aq.* ὄνος ὀστώδης; sed *LXX* τὸ καλὸν (?) ἐπεθύμησεν (חמד); *Chald. dives* (an forte חוחר?) *substantia; Syr.*, fortasse explicans, *homo gigas*. Omnino praeferenda videtur lectio *Sam.* חמור גרים, *asinus peregrinorum*. Cum benedictiones Iudae, Zabulon inceperint ab aliqua ad etymologiam nominum allusione, merito in benedictione Issachar exspectabis allusionem ad שכר, *mercedem :* qualem non habet *asinus fortis*, habet autem *asinus peregrinorum*, qui sc. a peregrinis mercede conductus onera comportet. Hic asinus describitur primum quiete fruens, dein ob emolumenta relicta quiete oneri dorsum supponens. De משפתים vide quae ad Iud. 5,16 (cf. Ps. 67,14) diximus : designat *caulas*, recumbere autem inter caulas describit felicitatem hominis otio fruentis. — Porro v. 15 « *vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens* ». בית עבד sonat *angariam* et hinc nequit cum *LXX* de solis agriculturae laboribus exponi : ἀνὴρ γεωργός. Relinquitur hoc versu imago asini, qui sane considerata requie minime inducitur ad dorsum oneribus supponendum. Describitur tribus ingenium sobrium, minime ambitiosum, fortasse etiam nonnihil sordidum. Requiem, qua terrae feracissimae bonis vescerentur, unice appetentes duplici ratione facti sunt mercenarii : primum suas fruges asinorum instar comportabant ad alios, puta Phoenices, a quibus opimam nanciscerentur mercedem; malueruntque tributa pendere oppressoribus, quam pro libertate pugnare. Cf. *Calm.*

Dan v. 16 sq.

v. 16 « *Dan iudicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel* »,

« licet ex concubina sit natus » (*Vat.*). Idemque per analogiam dicendum erit de reliquis ancillarum filiis (*Malv.*). *Populum suum* interpretatur *Rosenm.* ipsos Danitas, qui ipsi suis rebus consulturi sint, non per moderatores aliunde arcessitos. Veteres interpretabantur reliquos Israelitas, quibus iudex praefuerit Samson Danita. Neque tamen cogimur dicere, Iacobum explicite hic de Samsone cogitasse : dicit, in pugnis contra inimicos Dan, haud secus atque alias tribus, iura Israelis esse defensurum eiusque salutem effecturum (*Dillm.*). v. 17 « *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro* ». « Illud *fiat* more prophetico positum est pro *fiet* » (*Per.*). Possumus tamen sententiam concipere ut propheticum desiderium seu petitionem, in patri perspecta Dani patriarchae indole fundatam. Petitioni assensus est Deus factique sunt Danitae genus durum et perseverans, qui in angustis etiam rebus astutia et audacia feliciter egere. Huius exempla fuere subacta Lais, Samsonis gesta et alia bene multa, quae nos latent quaeque non sunt necessario supponenda a Iacobo distincte esse praecognita. v. 18 « *Salutare tuum exspectabo, Domine* ». Quae verba *Masor.* a prioribus et a sequentibus distinguunt, quasi neque ad benedictionem Dan neque ad benedictionem Gad pertineant. *LXX* prioribus intime iungunt : τὴν σωτηρίαν περιμένων κυρίου, secuti sane opinionem antiquitus vulgatissimam, Dan colubrum alium non esse nisi antichristum e tribu Dan oriturum. Cuius opinionis argumentum princeps a scriptoribus postea christianis quibusdam afferebatur hoc, Ap. 7 tribum Dan omitti : infirmius sane tam portentosae assertionis fundamentum. *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ita praecedentibus iungunt, ut Iacob affirmet se exspectare non meram per Gedeonem aut Samsonem, sed per messiam salutem. Sed nequit demonstrari Iacob de Gedeone aut Samsone distincte aliquid novisse. Recordare, quam constanter hae benedictiones ad nominum etymologias alludant; recole, primarium omnino *iudicis* (Dan) officium esse, ut *salvet*, cuius rei totum Iudicum librum habes argumentum : perspicies igitur, etiam hac invocatione alludi ad nomen Dan. Salus autem, quae exspectatur, est tota illa, ad quam Dan sicut reliquae tribus cooperatur, salus tot civilibus in V. T. salvationibus praefigurata, per messiam tandem complenda : verba messiam non unice, licet potissimum respiciunt. Cf. *Vat.*

Gad v. 19.

Postquam Dan, primus inter concubinarum filios recensitus, sex articulis celebratus est, reliqui tres concubinarum filii disticho singuli

expediuntur. v. 19 » *Gad accinctus procliabitur ante eum* », quod pronomen *Bonfr.* ait referri ad *populum* v. 16; sed hoc nomen longius abest, et יגודנו non est *procliabitur ante eum*, sed *adorietur eum*. « *Et ipse accingetur retrorsum* ». *Hebr.* : *Gad, exercitus adorietur eum, et ipse aggredietur calcaneum*. Sed quid h. l. *calcaneus? Sa* censet hostes fugientes Gado calcaneum obvertisse; *Ges.*, uti Ios. 8,13, calcaneum intelligit novissimum agmen; cum id nomen etiam pro adverbio usurpari consueverit, praeplacet *Vat.* « in fine ». Ergo : Gad vastum exercitum habebit adorientem se, sed non deficiet et in fine aggressores ipse aggredietur. Nota, hanc benedictionem plus ceteris in paronomasia ludere : גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב. At vix fieri potest, ut tam artificiosa paronomasia omni vacet obscuritate. 30,11 nomen a גד *felicitas* derivabatur, hic comparatur cum radice גוד *penetrare*, *adoriri*, ita ut tandem felicitas certamine parta demonstretur. *Sam.* verbi נגד formas hiphilicas יגידנו et יגיד habet : *Gad, exercitus laudabit ipsum, et ipse demonstrabit praedam*. Utcunque interpreteris, bellica Gad praedicitur excellentia. Post *Chald.* plures censuere ad illud alludi, Gadum in primo agmine transgressum esse Iordanem, pugnaturum pro fratre, dein ultra flumen regressum esse ad proprias sedes occupandas. Sed vis infertur verbis neque ullo indubio exemplo demonstrari potest, praeter messiae adventum ullum distinctum historiae populi electi eventum Iacob praenovisse : singularum tribuum indolem vel fata generali prorsus ratione attingit.

Aser v. 20.

Aser 30,13 significat *fortunatus*, et in hac significatione ludit sententia : in hoc sc. fortunatus praedicatur Aser, quod terram nactus sit eximie fertilem. v. 20 « *Aser, pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus* », « dignas regibus » (*Vat.*). *Hebr.* : *De Aser* (*venit*) *pinguedo, panis eius;* vel : *De Aser — pinguis est panis eius*. Sed praepositionem מ ignorant *LXX Vulg. Syr. Chald.*, et reliquae benedictiones ordiuntur nominibus, nulla praefixa praepositione. Monet *Cai.*, per panem intelligi « universum alimentum » ; et *Mar.* comparat Deut. 33,24, ubi Aser propter oleum celebratur. Ubi advertas, pro שמנה *Sam.* habere שמן, quod verti potest : *oleum est fructus eius*.

Nephthali v. 21.

v. 21 « *Nephthali cervus emissus et dans eloquia pulchritudinis* ». Admirationem illud facit, quod, dum reliquae benedictiones ludant

aut etymologia aut significatione nominis, nihil eiusmodi h. l. deprehendatur : quid enim aut cervo aut pulchre loquenti cum radice פתל, *verti, torqueri, pugnare* (cf. 30,8)? Duabus vocibus aliter punctatis vertebat *LXX* : στέλεχος ἀνειμένον ἐπιδιδούς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος; accuratius : *terebinthus procera producens cacumina pulchritudinis*. Haec sane imago est una et perspicua. At, quid illi cum nomine Nephthali? Adverte, פתלה arabice inter alia designare *folliculum*, quod grano seu semini *circumvolvitur*. Sine dubio apud Hebraeos quoque aliqua forma a radice פתל derivata teneram plantam eiusve partem designabat, et sensus benedictionis Iacobaeae fere hic est : Nephthali, tenella planta, in celsam et luxuriantem arborem excrescet.

Ioseph v. 22-26.

Longior ceteris et facundior filio prae aliis dilecto tribuitur benedictio. v. 22 « *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus adspectu, filiae discurrerunt super murum* ». Iam *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* perspexere, Iosephum arbori comparari, et ipsi quidem scripsere vitem (cf. Ps. 79,9). Revera בן et בת, quae tropice de quibusque rebus ex aliis quomodovis natis usurpari consuevere, h. l. arborem designant et ramos (*Vat., Malv., Calm.*) : *Arbor fructifera Ioseph, arbor fructifera prope fontem, rami discurrerunt super murum*. Describitur arbor prope fontem et ad murum plantata, quae muro iam non continetur, sed ramos fructibus graves supra murum protendit. Pulchra imago eius patriarchae, cuius progenies, angustos limites posteritatis fratrum eius transgressa, non in unam sed in duas tribus effloruit. Duas tribus etiam repetito בן פרת designari censet *Malv.*

בן פרת *filius ubertatis* seu *filius frugifer*, non « propago arboris frugiferae » (*Kn.*), quod esset laus Iacob potius quam Ioseph. Eum sensum habeat פריה Is. 17, 6, quae tamen non est eadem vox atque פרה. — Veteres latini fere hunc sensum eruunt : « O fili mi Ioseph, qui tam pulcher es, ut te tota de muris et turribus ac fenestris puellarum Aegypti turba prospectet » (*Hier.*). — *Sam. LXX* in altera versus parte corruptam sequuntur lectionem בני צעירי.

v. 23 « *Sed exasperaverunt eum et iurgati sunt* » — ויריבהו : ita *Sam. LXX Vulg.* et, ut puto, etiam *Chald.* contra *Masor.* ורבו *iaculati sunt*, et *Syr.* וירבו *multiplicati sunt* — « *invideruntque illi habentes iacula* ». v 24 « *Sedit in forti arcus eius, et dissoluta sunt* [*vincula*] *brachiorum* [*et*] *manuum illius per manus potentis Iacob : inde pastor* [*egressus est*] *lapis Israel* ». Verte : *Et confractus est potenter arcus eius, et dissoluti sunt nervi manuum eius* — sc. qui modo plurali *ha-*

bentes iacula exprimebantur, ii nunc ut una concreta persona cum Ioseph luctans concipiuntur, quare recte quoad sensum *LXX* αὐτῶν — *a manu potentis Iacob, a nomine pastoris lapidis Israel.* Ioseph inimicos specialiter a Deo adiutus penitus devincet.

Pro ותשב legebant *LXX* καὶ συνετρίβη; etiam *Chald. Syr.* passivum verbi exprimunt, et *Syr.* eius quidem verbi, quod etiam *delendi* significationem habeat. Cf. *Bonfr.* — ויפזר *LXX Vulg. Syr.* vertunt et *dissoluti sunt*. Piel 2 Reg. 6, 16 saltandi significationem induit : et reapse, qui saltat, quodammodo solvit membra. — Cum זרוע *brachium* etiam ad significationem *robur* descendat (2 Par. 32, 8; Dan. 11, 15. 22. 31), aliqui apte verterunt τὰ νεῦρα (*vincula*), quae versio alteri *brachiorum* conglutinata habetur in *LXX Vulg.* — מידי *LXX Vulg.* vertunt *inde*, verius *Syr.* et *Ps. Ion. a nomine* : inimici funduntur Dei *manu* et *nomine*. Dei, inquam, nam אביר est titulus Dei Is. 1, 24; 49, 26; Ps. 131 (132), 2. 5. Ergo propter parallelismum etiam רעה אבן ישראל est titulus divinus. *Pastor lapidis* fingi nequit; ergo *pastor lapis*. At cur hi duo tituli, et quidem sine copula scribuntur? cur dicuntur hostes fundi virtute nominis lapidis Israel, cum Deus secus nunquam אבן ישראל, nominetur? Corrige רעה בני ישראל, et habetur omnimodus cum אביר יעקב parallelismus : *a nomine pastoris filiorum Israel*.

v. 25 « *Deus patris tui erit adiutor tuus, et* » *Deus* « *omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum* », fontium, fluminum, « *benedictionibus uberum et vulvae* ». Triplex benedictio Iosepho conceditur : numerosae prolis v. 22, victoriae de hostibus v. 23 sq., affluentiae bonorum v. 25 sq. — v. 26 « *Benedictiones patris tui* » — *Sam. LXX Chald. et matris tuae* — « *confortatae sunt* » — praevaluerunt prae, maiores sunt — « *benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium aeternorum* ». Verte : *usque ad spem collium aeternorum.* « *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazaraei* » — נזיר *electus, princeps* (cf. etiam *LXX*) : principatus Iosepho collatus explicite commemoratur — « *inter fratres suos* ».

v. 25 *Hebr.* orditur a ביאל; item *Sam. LXX*, sed iungentes duo prima verba versui 24. Constructio apud Hebr. est valde abrupta. *Vulg. Chald. Syr.* אל. — *Sam. Syr.* et octo apud *de Rossi* codices אל שדי, *LXX* אלי omisso שדי, *Hebr. Chald.* et fortasse *Vulg.* את שדי : constructio durior, sensus idem. — *Benedictiones patrum eius* merito referunt *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ad Abraham et Isaac : hos proxime in mente habet Iacob loquens de patribus suis (cf. 48, 15). הורי autem omnino verti oportet *patres mei* (*Vulg. Chald.*) seu felicius *genitores mei* (*Syr.*), includendo matres (Saram, Rebeccam, Rachel, Liam, quos *Targ. Hier.* in illis *collibus aeternis* deprehendit); actio הרה, quae proprie matrum est, in eloquio poetico facilius potest ad genitores, tam matres quam patres, extendi. Nequaquam autem iungere licet הורי עד, ὀρέων μονίμων (*LXX*). Quid enim sunt illae *benedictiones montium aeternorum*, i. e. benedictiones, quas secundum contextum ipsi montes aeterni impertiuntur? Et nunc, cum iam in extremo explicando vaticinio versemur, illud in mentem revocemus, demptis

quae ad paronomasias spectant, quam planus sit semper Iacobi sermo, quam obviae et lucidae imagines : et facile intelligemus, cum h. l. non introducturum fuisse miram illam et nulla ope explanandam imaginem de montibus benedictionem impertientibus. עד etiam *Masor.* a praecedentibus separant. — Sed quid est עד תאות גבעת עולם? Ἅπαξ λεγόμενον est תאות et incertae praeterea derivationis. תקות *spes* legebat *Syr.*, ק et א inter se perquam simillimis. Idem crediderim legisse *LXX* et *Targ. Hier.*, liberius vertentes *benedictiones*. — Durum est illud גבעת עולם. *Chald.* intellexit *principes saeculi*, i. e. sane patriarchas Abrahamo antiquiores; *Ps. Ion.* eosdem, quos tamen ipse interpretatur Ismael, Esau filiosque Ceturae; *Targ. Hier.* personas, quas supra recensuimus. Personas, non colles contextus omnino exigit. Expressio aut est imago aliqua ad tales personas exprimendas : Benedictiones patris tui maiores sunt benedictionibus patrum meorum Abraham et Isaac, usque ad spem (seu benedictionem) collium aeternorum, quibus antiquiores patriarchae repraesentantur. Aut correctione opus est, v. g. גברי pro גבעת : usque ad spem heroum antiquorum. Maiores sunt, quia antiquas illas benedictiones Iacob transmittit, suis additis; maiores sunt, quatenus ipse utique abundantissimas in filium prae ceteris dilectum conferre nititur benedictiones : attamen non promittuntur Iosephi florentes permansurae res usque ad messiae adventum.

Beniamin v. 27.

v. 27 « *Beniamin lupus rapax* », « tribus fortis » (*Ps. Ion.*). « Praedicit tribum Beniamin instar lupi fortem et bellicosam futuram » (*Menoch.*), imo violentam, hoc enim habet lupi natura, et abunde confirmatur Beniaminitarum gestis tempore Iudicum, Saulis et aliorum. « *Mane comedet praedam et vespere dividet spolia* ». « Idem est comedere praedam et dividere spolia, nimirum praedari » (*Menoch.*). *Mane et vespere* idem sonat atque « saepe » (*Sa;* cf. Soph. 3,3). Beniamin semper erit audax, turbulentus, saepe praeda pascetur, quandoque ut lupus utique retundetur.

Hebr. : Beniamin, lupus, discerpet. עד praedam significare (cf. Soph. 3, 8; Is. 33, 23) docet parallelismus cum שלל; non ἕτι (*LXX*). Iam *Tert.* (c. Marc. V. 1; *M.* 11. 469) textum applicat ad S. Paulum primum persecutorem, inde apostolum : gratuito inter *mane* et *vespere* oppositio adstruitur et, si admittenda esset, gratuito supponeretur Iacob de S. Paulo explicite cogitasse. Ceterum tacito S. Pauli nomine eandem explanationem habet Testamentum XII Patr. (*M.* 2. 1149).

v. 28 « *Omnes hi in tribubus Israel duodecim* ». אלה vertendum est non *hae*, (*Drus.*) sed *hi*. Reliqui (excepta LXX) habent : *omnes hi tribus Israel duodecim*. Numerale non refertur ad tribus, quae reapse fuere tredecim numero, sed ad viros. « *Haec locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis* ». להם commode ad *tribus* trahitur : promissiones Iacob non individuis factae sunt, sed tribubus. Dubitabat *Tost.*, an *benedictiones* eaedem sint atque modo re-

censita vaticinia, cum nihil benedictionis tributum sit Ruben, Simeon et Levi. Respondet *Est.*, hos quoque aliquid benedictionis nactos esse : reapse, quod perseveraturi essent usque ad « dies novissimos » benedictionis erat, licet Rubeno negaretur incrementum, Simeoni et Levi continuae sedes. אשר post איש ignorat *Sam.* et, uti videtur, etiam *Vulg. LXX Syr.* : איש in אשר defiguratum etiam indicat keri ad 2 Reg. 23, 21 ; cf. Num. 21,30 (*Del.*). v. 29 « *Et praecepit eis dicens : Ego congregor ad populum meum* » (cf. 25,8.17) : « *sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici* », seu potius Macphela (cf. 23,9), « *quae est in agro Ephron Hethaei* », v. 30 « *contra Mambre, in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulcri* ». v. 31 « *Ibi sepelierunt eum et Saram uxorem eius; ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua; ibi et Lia condita iacet* ». Hic reliqui textus inserunt sententiam, quam tamen merito ut glossam expungas (*Del.*) : *Possessio agri et speluncae, quae in eo est, a filiis Heth.* v. 32 « *Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum et obiit; appositusque est ad populum suum* ». « Prius in sponda lectuli sedebat, cruribus pendentibus (cf. 48,2) : colligit ergo pedes in lectulum » (*Menoch.*). Auctor « exprimit placidam sancti viri quietem : acsi diceret, sanctum senem tranquillo animi statu membra direxisse, quo voluit, qualiter sani et vegeti se ad somnum componere solent » (*Vat.*).

12. *Iacobi funus et Iosephi mors* Gen. 50.

Cap. L v. 1 « *Quod cernens Ioseph ruit super faciem patris flens et deosculans eum* », quo implebatur praedictio 46,4. v. 2 « *Praecepitque servis suis medicis* », i. e. entaphiastis iis, qui ad tanti viri familiam pertinebant, « *ut [aromatibus] condirent patrem* ». Aegyptiorum condiendorum cadaverum morem oppido novimus e monumentis, cf. *Erman* p. 431 sqq. ; *Vigouroux* : La Bible II. 167 sqq. Teste *Diodoro* 1,91 entaphiastae operi impendebant « dies amplius triginta » (alia lectio « amplius quadraginta ») ; teste *Herodoto* II. 86.88 « dies septuaginta » : utrum temporibus antiquioribus dies totidem impenderint, ignoramus. *Hebr.* : *Et sepelierunt Israel.* v. 3 « *Quibus iussa explentibus transierunt quadraginta dies : iste quippe mos erat cadaverum conditorum; flevitque eum Aegyptus* », Aegyptii domus Ioseph, « *septuaginta diebus* ».

Aegyptus Asiam versus defendebatur muro continuo turribus munito, neque cuiquam regionem ingredi eave egredi fas erat, nisi assignatis nomine, conditione, negotio et exhibito syngrapho. Cf. *Erman*

p. 708 sq. Ergo Iosepho etiam licentia exeundi erat petenda. Cur vero non petit ipse? Fortasse, licet planctus funus praecedens absolutus esset, nefas ei erat ante ipsum funus absolutum aulam ingredi : cf. Esth. 4,2. Simul intercessio apud seniores erat modus illos, ut funeri interessent, invitandi. Et licet rationem certo nequeamus assignare, dubium haud est Iosephum id etiam egisse, « ut consuetudini obediret » (*Calm.*). v. 4 « *Et expleto planctus tempore locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis* », v. 5 « *eo quod pater meus adiuraverit me dicens : En morior; in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me* ». Videtur sibi Iacob in spelunca Macphela locum sepulturae effodisse. Aut loquebatur Ioseph secundum usum loquendi nobilium Aegyptiorum (*Dillm.*), qui singuli sibi sepulturas effodiebant aut exstruebant. Non facile poterat Pharao, tali assignata ratione, veniam Aegypto excedendi denegare. « *Ascendam igitur et sepeliam patrem meum, ac revertar* ». v. 6 « *Dixitque ei Pharao : Ascende et sepeli patrem tuum, sicut adiuratus es* ».

v. 7 « *Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis cunctique maiores natu terrae Aegypti* » ; — « senex nomen est potius dignitatis quam aetatis » (*Calm.*) : comitati igitur sunt proceres aulae et proceres regni numero plures — v. 8 « *domus Ioseph cum fratribus suis* », mulieres virique adulti, tam liberi quam servi, — reliqui addunt *et domus patris eius :* Iacob utique 48,1 habitaverat seorsim a Ioseph : an etiam seorsim a reliquis filiis, ita ut propriam et separatam habuerit familiam? — « *absque parvulis et gregibus atque armentis, quae dereliquerant in terra Gessen* ». v. 9 « *Habuit quoque in comitatu currus et equites, et facta est turba non modica* ». Praesidio (*Menoch.*) currus et equites adhibebantur. v. 10 « *Veneruntque ad Aream Atad, quae sita est trans Iordanem; ubi celebrantes exsequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies* ». Videntur primum in Aegypto celebrasse secundum mores Aegyptiorum, dein in terra promissa secundum eum ritum, qui etiam aliunde (1 Reg. 31,13; Iudith 16,29; Eccli. 22,13) scitur Hebraeis fuisse usitatus. v. 11 « *Quod cum vidissent habitatores terrae Chanaan, dixerunt : Planctus magnus est iste Aegyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius Planctus Aegypti* ». Notat *Calm.* אָבֵל, quae h. l. est punctatio Masor., proprie significare pratum, planitiem, dum אֵבֶל luctum sonet.

Nomen areae inditum putant ab אטד, *rhamnis :* sed notat *Mar.*, posse illud etiam esse viri nomen, ad quem area spectaverit; cf. 2 Reg. 6,6; 1 Par. 13,9. — De situ disputant. *Tost.*, *Bonfr.* aliique censent, illud *quae sita est trans Iordanem* (quod reliqui textus extremo v. 11 repetunt) dici e mente eorum, qui ex Aegypto profecti et

ad orientem Maris Mortui progressi, tandem Iordanem traiicere debuere, quo Hebronem pervenirent. Argumenta invocant, primum expressionem quandoque ita reapse intelligi (cf. Deut. 3, 25; Ios. 5, 1 etc.); putant eum luctum reapse instituendum fuisse prope locum sepulturae, neque de nomine a *Chananaeis* imposito locuturum fuisse s. scriptorem, nisi area in Chanaanitide fuisset. Invocant auctoritatem *Hier.*, qui in Onomast. aream eo inter Ierichuntem et flumen loco collocat, qui postea Beth Hagla audiit (Ios. 15, 6; 18, 19.21). « An ipsa sit Area Atad, incertum, » reponit *Calm.:* « Eusebius in Locis situm Areae Atad non docet atque, agens de Beth Hagla, minime significat eo loci sitam fuisse Aream Atad; quaeque ea de re obtinet traditio, nullam habet a vetustate fidem ». — *Aug., Per.* tenent, Aream reapse fuisse ad orientem fluminis; cur ibi praecise luctum egerint, ignoramus. Utrovis modo expressionem *quae sita est trans Iordanem* accipias, patet agmen illud ab oriente Maris Mortui iter fecisse. Si enim area supponatur fuisse ab oriente fluminis, non potest agmen supponi primum Hebronem praeteriisse, dein flumen traiecisse, luctum egisse et, traiecto rursum flumine, Hebronem rediisse. Si area supponatur ab occidente fluminis fuisse, tum expressio illa sensu caret, nisi agmen supponatur ex orientali fluminis plaga profectum. Cur autem eo itinere et non per Philisthaeam processero Aegyptii? Fortasse, quo tempore Ammonitae et Moabitae nondum numeris et virtute florerent, iter per illam regionem tutius erat, quam iter per Philisthaeam (*Aug.*).

v. 12 « *Fecerunt ergo filii Iacob, sicut praeceperat eis* », v. 13 « *et portantes eum in terram Chanaan sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethaeo contra faciem Mambre* ». Vocem *Iacob* reliqui textus ignorant, ut hi versus reapse abruptius praecedentes consequantur. Si dicas cum *Kn.*, hos versus primitus continuasse narrationem 49,32 et descriptionem funeris 50,1-11 postmodum esse insertam, non repugno equidem. Audacius *Dillm.* ex eo, quod Aegyptiorum his duobus versibus nulla habeatur mentio, coniicit eos trans flumen substitisse neque terrae sanctae pedem intulisse. v. 14 « *Reversusque est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis et omni comitatu, sepulto patre* ».

Non fuisse plane inanem fratrum demortuo patre metum, disce ex 3 Reg. 2. — v. 15 « *Quo mortuo, timentes fratres eius et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit iniuriae, quam passus est, et reddat nobis omne malum, quod fecimus* »; v. 16 « *mandaverunt ei dicentes* » : — censent *Ps. Ion.* et *Targ. Hier.* ablegatam esse Balam, ancillam Rachel, dum *Tost.* suggerit Beniaminum : sed haec incerta. *Hebr.* orditur v. 15 clarius : *Videruntque fratres eius, quod mortuus esset pater eorum* — « *Pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur* », v. 17 « *ut haec tibi verbis illius diceremus : Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum et peccati atque malitiae, quam exercuerunt in te* ». Patris verba conficta putat *Tost.* : Iacobum superstitem ea locuturum

fuisse ipsi Ioseph. Potuit haec Iacob ante mortem et Iosepho et fratribus iterato inculcasse : sed habitura erat petitio specialem effectum, si veluti a demortui parentis labiis per fratres ad Iosephum deferretur. « *Nos quoque oramus* », — hoc merito *Vulg.* supplet — « *ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Ioseph* ». Veniam implorant nomine patris et Dei (*Cai.*).

v. 18 « *Veneruntque ad eum fratres sui, et proni adorantes in terram dixerunt : Servi tui sumus* » seu « erimus » (*Tost.*) : offerunt se servorum loco futuros. v. 19 « *Quibus ille respondit : Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati?* » Quod ita explicat *Bonfr.* : « Nonne aequum est me Deo esse subditum et, quidquid Deus de me voluerit, id aequo animo perferre nec ob ea, quae voluntate Dei acciderunt, hominibus succensere? »

כי התחת אלהים אני. Haec quaestio, prout responsio aut positiva aut negativa adstruitur, et תחת sensum *sub* vel *loco* induit, quatuor modis exponi potest : 1) *An sub* Deo sum ego? Utique. Ergo non est, cur ulciscar id, quod ob sapientissimos fines ipse permisit. Ita sensere *LXX* τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμι ἐγώ; *Chald. quoniam timens Deum ego sum; Syr. quia sub Deo ego sum.* 2) *Num sub* Deo ego sum? Nequaquam. Hic sensus, utpote impius, eliminandus est. 3) *An loco Dei* sum ego? Utique. « Ego partes Dei sequor et ad id, quod Deus fecit, attendo, non ad id, quod fecistis vos » (*Cai.*). 4) *Num loco* Dei sum ego? Nequaquam. Ergo non licet mihi ea indignanter ferre, quae ipse ob sapientes rationes permisit. *Aq.* ὅτι μὴ ἀντὶ θεοῦ ἐγώ; *Symm.* μὴ γὰρ ἀντὶ θεοῦ εἰμὶ ἐγώ. Hunc sensum praeferendum suggerit 30, 2 (*Est.*), ubi eadem legitur expressio. *Vulg.* vel ad hunc vel ad sensum primo loco propositum revocari potest.

Cum igitur non sit loco Dei, sed sub illo, non est fas ipsi improbare et ulcisci, quae Deus sapienter permisit, maxime cum ex his iam ingens bonum natum conspiciatur. v. 20 « *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me* » — sed reliqui לטובה עשה ergo generalius *ut faceret* — « *sicut impraesentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos* », seu verius *populum multum.* v. 21 « *Nolite timere : ego pascam vos et parvulos vestros* », seu *familias vestras* (*LXX Chald. Syr.* et cf. Ex. 10.10 etc.). Perperam verbis asseri putat *Kn.* eum, qui ea scripserit, putasse famem adhuc fuisse in Aegypto. « *Consolatusque est eos et blande ac leniter est locutus* ». v. 22 « *Et habitavit in Aegypto cum* [*omni*] *domo patris sui* », quod reddunt *LXX cum fratribus suis*, et cf. v. 8 : sane domus patris constabat imprimis filiis eorumque familiis — « *vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem; filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Ioseph* ». v. 23 « [*Quibus transactis,*] *locutus est fratribus suis* » : — vocem latius accipe pro fratribus, si qui supererant, eorumque progenie — « *Post mortem meam*

Deus visitabit vos et ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iuravit Abraham, Isaac et Iacob ». v. 24 « *Cumque adiurasset eos atque dixisset : Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto* », v. 25 « *mortuus est expletis centum decem vitae suae annis. Et conditus aromatibus repositus est in loculo in Aegypto* ». Cuiusmodi sarcophagos procerum Aegyptiorum in musaeis cernere est bene multos.

INDEX.

INTRODUCTIO.

1. Generalis libri Genesis conspectus 1
2. Nomina divina 4
3. Traditionis antiquissimae natura et strata. 14
4. Traditionis stratum primum. 19
5. Traditionis stratum secundum. 21
6. Traditionis stratum tertium. 28
7. Redactor, seu libri auctor 39
8. Libri Genesis textus et interpretatio 43

COSMOGONIA BIBLICA GEN. 1,1-2,3.

Caput I. Historia interpretationis Cosmogoniae biblicae. 49
Caput II. Cosmogoniae biblicae origo 75
Caput III. Cosmogoniae biblicae Commentarius. 82
1. Opus creationis Gen. 1,1 sq. 85
2. Opus hexaemeri Gen. 1,3-31. 92
3. Opus completionis Gen. 2,1-3 115

GENERATIONES CŒLI ET TERRAE GEN. 2,4-4,26.

Caput unicum. Generationum coeli et terrae Commentarius. 121
1. Hominis in paradiso conditio Gen. 2,4-25. 123
2. Historia lapsus Gen. 3. 150
3. Primi seminis fata Gen. 4. 174

GENERATIONES ADAM GEN. 5,1-6,8.

Caput I. Genealogia Sethitarum Gen. 5.
1. Critica numerorum genealogiae. 199
2. Genealogiae Commentarius. 207
Caput II. Diluvii infligendi causae Gen. 6,1-8. 211

GENERATIONES NOE GEN. 6,9-9,29.

Caput I. Diluvii universalitas.

A. De diluvii quoad terram universalitate. 223
1. Quid affirmet s. scriptura 227
2. Quid affirmet traditio. 229

B. De diluvii quoad homines universalitate.
1. Quid affirmet Genesis 237
2. Quid affirment alii s. scripturae textus. 240
3. Quid affirmet traditio. 244

Caput II. Generationum Noe Commentarius.
1. Mandata Dei ad Noe Gen. 6,9-7,5. 257
2. Ingressus in arcam Gen. 7,6-16. 264
3. Diluvii descriptio Gen. 7,17-8,22 268
4. Acta post diluvium Gen. 9. 273

GENERATIONES FILIORUM NOE GEN. 10,1-11,9.

Caput I. Scientiarum de gentium affinitatibus placita. 285
Caput II. Generationum filiorum Noe indoles et origo. 292
Caput III. De indole confusionis linguarum Babylone factae. 301
Caput IV. Generationum filiorum Noe Commentarius.
1. Genealogia populorum Gen. 10. 307
2. Turris aedificatio et linguarum confusio Gen. 11,1-9 333

GENERATIONES SEM GEN. 11,10-26.

Caput I. Critica numerorum genealogiae. 341
Caput II. Genealogiae indoles et Commentarius. 347

GENERATIONES MAGNORUM PATRIARCHARUM GEN. 11,27-50,25.

Chronologia aevi patriarcharum 359

I. Generationes Thare Gen. 11,27-25,11.

A. Abrahae in terram promissam ingressus Gen. 11,27-14,24.
1. Iter ab Ur usque Haran Gen. 11,27-32 361
2. Iter ab Haran usque Sichem Gen. 12,1-7. 363
3. Iter Sichimis in Bethel Gen. 12,8. 366
4. Iter e Bethel per Negeb in Aegyptum Gen. 12,9-20. 366
5. Reditus in Bethel atque a Lot separatio Gen. 13 369
6. Victoria de regibus Euphratensibus relata Gen. 14 372

B. Abrahae fides Gen. 15,1-22,19.

1. Prooemium : Abrahae fides Gen. 15,1-6 385
2. Fidei praemium, foedus concessum Gen. 15,7-21 390
3. Aliud fidei praemium, filius e Sara promissus Gen. 16,1-17,27 . 395
4. Sodoma destructa, Lot servatus Gen. 18,1-19,38 405
5. Acta apud Abimelech Gen. 20 420
6. Natus Isaac, foedus in Bersabee Gen. 21. 425
7. Sacrificium Abrahae Gen. 22,1-19. 430

C. Actorum Abrahae supplementum Gen. 22,20-25,11.

1. Genealogia Nachoritarum Gen. 22,20-24. 436
2. Sarae funus Gen. 23. 438
3. Nuptiae Isaac Gen. 24. 442
4. Abrahae familia, funus Gen. 25,1-11 450

II. Generationes Ismael Gen. 25,12-18.

Commentarius. 452

III. Generationes Isaac Gen. 25,19-35,29.

A. Acta ante iter Iacob in Syriam Gen. 25,19-28,9.

1. Filii in utero collidentes Gen. 25,19-26 454
2. Primogenita divendita Gen. 25,27-34 456
3. Peregrinationes in Gerar Gen. 26. 457
4. Itineris syriaci causae Gen. 27,1-28,9 463

B. Iter Iacob in Syriam Gen. 28,10-33,17.

1. Visio scalae Gen. 28,10-22. 471
2. Adventus in Syriam Gen. 29,1-14. 474
3. Labani in nuptiis Iacob fraus Gen. 29,14-30 476
4. Uxorum invidiae et partus Gen. 29,31-30,24. 478
5. Labani quoad mercedem delusa fraus Gen. 30,25-43 483
6. Fuga Iacob e Syria Gen. 31,1-18 489
7. Cum Laban post furorem restituta pax Gen. 31,19-55. 492
8. Cum Esau compositae inimicitiae Gen. 32,1-33,17. 499

C. Acta post reditum e Syria Gen. 33,18-35,29.

1. Acta in finibus Sichem Gen. 33,18-34,31. 508
2. Acta in Bethel Gen. 35,1-15 512
3. Acta prope Bethlehem Gen. 35,16-26 516
4. Acta in Mambre : mors Isaac Gen. 35,27-29 517

IV. Generationes Esau Gen. 36.

1. Generationes Esau proprie dictae Gen. 36,1-19. 518
2. Generationes Seir Horraei Gen. 36,20-30. 521
3. Edomitarum post subactos Horraeos reges et duces Gen. 36,31-43. 523

V. Generationes Iacob Gen. 37-50.

1. Ioseph a fratribus venditus Gen. 37. 525
2. Iudae proles incestuosa Gen. 38 531
3. Ioseph in domo Putipharis Gen. 39 538
4. Eunuchorum in carcere somnia explicata Gen. 40. 541
5. Ioseph a Pharaone exaltatus Gen. 41 544
6. Fratrum Ioseph iter aegyptiacum prius Gen. 42. 552
7. Fratrum Ioseph iter aegyptiacum alterum Gen. 43 556
8. Ioseph a fratribus agnitus Gen. 44 sq. 561
9. Iacob in Aegyptum advectus Gen. 46 sq. 568
10. Iacob in Ioseph specialis amor Gen. 48. 580
11. Vaticinium Iacobaeum Gen. 49 585
12. Iacobi funus et Iosephi mors Gen. 50. 604

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8· C001 V011
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS .
3 0311 00015 7771

et

BS
475
.C6C8
AUTHOR
V.11
TITLE

31059

Cornely, Rudolph, 1830-1908

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.

DATE DUE	BORROWER'S NAME

~~220.6~~ C977c ~~v.4~~

~~STUDENT~~
~~LIBRARY~~ ~~1945~~

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 7771